



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

IO. FRANCISCI BVDDEI,

P. P.

ELEMENTA
PHILOSOPHIAE
PRACTICAE.

EDITIO NOVISSIMA
auctior & correctior.



HALAE MAGDEBURGICAE
Apud IO. FRIDERICVM ZEITLERVM,
AN, M DCC XX,


2

PHILIZONHIVE

AMERICAN OFFICE



AMERICAN NATIONAL ASSOCIATION



LECTORI BENEVOLO
S.

QVae me induxerint rationes, ut
elementa haec philosophiae
practicae in lucem proferrem,
in praefatione priori editioni
praemissa exposui. Sed reliqua etiam
quae de hoc meo instituto aliis significan-
da existimaui, ibidem reruli. Nonnulla
tamen fateor in hac immutavi, meam-
que in quibusdam correxi sententiam,
quod illis, quibus veritate nihil prius est,
nihilque antiquius, vitio verti non potest.
Ast pauca ea sunt, nec omnia adeo magni
momenti, multo minus hic indicanda,
cum si quis operae pretium duxerit,
huncce libellum perlustrare, siquidem
quae antea docui illi perspecta fuerint,

et facile ea deprehensurus sit, et intellecturus etiam, nihil sine grauissimis me fecisse rationibus.

Praecipuum forte momentum trahit qualiscunque ordinis, in secunda et tertia parte, mutatio. Quod non tantum ideo feci, vt in omnibus practicae philosophiae partibus, eadem methodus, eademque tractandi ratio obseruaretur, qualem & in instrumentali philosophia adhibui, vtque adeo cuncta inter se consentirent melius atque conspirarent, sed quod intelligerem, hanc quam hic secutus sum tractandi methodum, rebus ipsis perquam esse accommodatam.

Superstitiosius itaque obseruati ordinis suspicionem plane deprecor, cum probe sciam, et alibi etiam docuerim, methodum accommodandam esse rebus, non res methodo. Moralium autem ciuili-umque rerum naturae nihil conuenientius, quam indole humanarum actionum ex ipsa conditione humani generis
ex.

explorata, vitiisque et perfectionibus intellectis, de mediis illa remouendi, has acquirendi, esse sollicitum. Accedit, quod ita statim intellectus adfuefiat ex ipsa rerum consideratione principia sibi efformandi, quibus suas superstruat ratiocinationes, quam veram et genuinam esse philosophandi rationem, cordati omnes et rerum harum intelligentes, mecum consentiunt.

Praeterea et in eo a priori haec editio differt, quod in illa ius gentium separatim a iure naturae tradiderim, in hac autem in ipsa iuris naturalis tractatione, statim unicuique capiti, ubi quidem res ipsa hoc aut permittebat, aut exigebat, statim applicationem ad integras gentes, subiunxerim. Hac ratione enim facilius me illorum errori, qui nescio quod ius gentium a iure naturae distinctum comminiscuntur, omnia hoc ipso turbantes, et leges cum moribus, mores cum legibus, ciuilia cum naturalibus inficete admodum confundentes, obuiam iturum


intellexi. Luculentius etiam mea in oculos incurrit hypothesis, ius gentium si modo hoc nomine verum ius intelligamus, nihil aliud quam ius naturae esse, si quidem integrarum gentium atque rerum publicarum facta, ad illud exigantur.

Ultimam denique prioris editionis partem, seu commentationem de statu Imperii Romano - Germanici, plane omisi. Erat enim delineatio potius quam iusta tam nobilis argumenti pertractatio. Adde autem quae desunt, si voluissem, institutionum philosophicarum modum, haec commentatio excessisset; quod tamen facile fuisset, praesertim cum in meis praelectionibus, iam multa, quae huc pertinent congefferim. Quare relictus me facturum spero, si aliquando forsiter, amplio rem commentationem, de *statu civili et ecclesiastico imperii Romano Germanici* in lucem emiserim, in qua quicquid paucis et in compendio, in ultima ista elementorum practicae philosophiae parte

parte complexus sum, vberius prosequi,
si Deus annuerit, animus est.


Ceterum vt cuncta eo a me destinata
sunt, vt academicae pubis, cuius salus
vnice mihi curae cordique est, commo-
dis quam rectissime prospiciatur, ita
DEum etiam supplex veneror, vt illa
vberrimos ex qualibuscunque meis la-
boribus ferat fructus. Halae Magde-
burgicae, Idibus April, A.

MDCCLIII.



)(4

PRAE-



PRAEFATIO PRIORI EDI- TIONI PRAEMISSA.

Philosophiam tradere, eiusque sum-
mam præceptionibus complecti, res adeo
frequens est, ut, si quis supra vulgus sa-
pere gestiat, libellos eiusmodi suis oculis pla-
ne indignos iudicet, tantum abest, ut ipsimet
hocce defungi labore cupiat. Et fateor sane,
laboramus horum scriptorum copia, qua ta-
men adeo nulla lux rebus obscuris affundi-
tur, ut saepius claris etiam perspicuisque adi-
matur, et quae plana sunt atque aperta, dif-
ficultia, et impedita reddantur. Quod cum
olim mecum expenderem, firmiter decerne-
bam, aetatem omnem silentio potius transi-
gere, quam eiusmodi subire laborem, quo ut
longe plurimi iampridem se satis praeclare
perfunctos esse arbitrantur, ita qui eundem
in posterum suscepturi sint, nunquam defu-
turi essent. Nec mutassem sententiam, nisi
summa, quam muneris mihi demandati, at-
tulit, necessitas, alias consiliorum meorum
inire rationes, iussisset. Idque non sine cau-
sa a me factum esse, ut Te edoceam, *huma-
nissime Lector*, omnino mea magnopere refert.
Postquam Hugo Grotius vir summus & pla-
ne incomparabilis, magno ausu & felicissimo
suc-

successu, eam moralis doctrinae partem, quae de officiis praecipit, quamque Iuris naturalis nomine insignire moris est, restauravit, suoque reddidit. nitori, certatim quotquot ingenio atque doctrina floruerunt, eam sibi tractandam colendamque sumpserunt. Taedium hinc sensim ipsos quoque iuvenes subiit, legendi aut audiendi ieiunas de summo bono, et virtutibus, quibus Aristoteles, vir cetera suo merito maximopere suspiciendus, suos imbutos voluit, formisque rerumpublicarum, commentationes, quibus augustissima artium liberalium sacra personabant, quibusque moralis pariter ac civilis doctrinae ambitus circumscribatur. Quod quidem tanto magis auctum est, quanto insigniores ad hanc moralis doctrinae partem, doctissimorum virorum ope fiebant accessiones, quibus effectum, ut siue quis prolixis et amplis dissertationibus, siue libellis summam rei exhibentibus delectetur, affatim scriptorum reperiat, quibus suam explere cupiditatem, discendique satisfacere desiderio possit. Interim omnibus ita iurisprudentiae naturali operantibus, ceterae practicae philosophiae partes, tum ea quae de summa hominis felicitate, mentisque morbis & vitiis, medelaque illis adhibenda exponit, tum etiam quae civilem homines erudit prudentiam, fere negligebantur, certe non adeo diligenter excolebantur, plerisque ita existimantibus, iurisprudentiae naturalis ambitu, omne illud quod

in practica philosophiae parte, scitu dignum aut necessarium est, contineri. Accedebat vero, quod multi nescirent, quem demum locum iurisprudentia naturalis, inter philosophiae practicae partes occupare debeat: vnde quidem contigit, vt nonnulli partem ad ethicam; partem ad politicam referrent, plerique autem iurisprudentiam naturalem separatim, nulla habita ceterarum partium ratione, exhiberent.

Mihi itaque ex muneris mei lege de moribus exposituro, praesto quidem erant libelli elegantissimi, quos etiam non sine insigni, vt credo, audientium emolumento publicis priuatisque praelectionibus pertractaui, sed omnibus aut vna, aut aliquot practicae philosophiae partes deerant, plerisque de officiis saltem ad naturae legem exigendis, praecipientibus. Qui autem ethicam politicamque, ex antiquioribus tradiderunt, praeterquam quod ne in hisce quidem ita vt decet, versati sunt, de naturae iure aut nihil, aut talia attulerunt, quae cordatioribus profecto probari nequeunt. Ergo aut pars quaedam istius doctrinae quam edisserere explicareque, muneris ratio iubebat, praetermittenda erat, aut ex alio auctore addenda, in quo nec tractandi modus, nec res ipsa, cum priori consentiebat, nexus autem ille partium, qui magnum utique momentum trahit, plane nullus erat. Interea animaduvertebam, a doctissimis viris, eam quoque moralis philosophiae partem, quae

quae de summa veraque hominis felicitate, deque affectibus, eorumque remediis agit. indies magis magisque perpoliri, et aliam induere faciem. Prudentiae enim ciuili iam, pridem Lipsius, Bœclerus, Conringiusque, strenuam nauauerant operam. Vnde facile intelligebam, discentium commodis magnopere consultum iri, si quis per clarissimos scriptores sparsa colligeret, et in vnum rite coire corpus iuberet. Nihil ergo magis in votis erat, quam vt alii, quibus exactius iudicium, doctrinaeque vberior obrigit copia, literatam pubem, eosque, quorum interest hanc rite fingi formarique, insigni hocce sibi obstringerent beneficio. Sed cum votis parum proficerem, et tamen magna cupiditate iuuenum in meam disciplinam subinde se tradentium, studia rite promouendi, flagrarem, tandem ipse ingenii periclitari vires mecum constitui, aliorum iudicia eo minus extimescens, quod nec doctrinae ostentandae, nec gloriae captandae, (ita enim longe alia mihi ingredienda fuisset via) sed aliorum commodis inseruiendi causa, hasce me delegisse partes, certus essem.

Nec poenituit me haecenus consilii mei. Dum enim accuratiori meditatione praecipua doctrinae, quam pertractandam sumpseram, capita prosequerbar, subinde deprehendebam, quaedam a praestantissimis etiam viris perperam dicta esse. Ita enim est, dum primum

num praeclara inuenta in lucem proferuntur, nondum statim maturitatem, summumque fastigium, consequuntur, quippe ad quod sensim, et velut per gradus deducenda sunt. Atque ut omnium consensione immortalis laude digni sunt, qui primum artes scientiasque inueniunt, aut atra caliginine obfuscatas, in lucem reuocant: ita meo iudicio, non contemnendus quoque illorum labor est, qui inuentis aliquid addunt, aut naeuos quosdam, pulcherrimo ceteroquin corpori adpersos, abstergunt, Quod ut eo felicius cedat, id quidem quemque anniti decet, ne vllius hominis abripiatur auctoritate. Ego sane semper ita existimaui, maximas laudes viris ingenii et doctrinae laude conspicuis deberi ab omnibus, a nemine obsequium. Atque ut in genuo homine parum dignum censeo, de aliorum gloria aliquid detrahere, aut ob quaedam minus recte asserta, acri eos insectari censura: ita plane illiberale est, in vnius viri iurare, verba, illepidissimosque mortalium qui illud faciunt, sed qui exigunt, plane intolerabiles esse puto. Solam ergo rationem secutus sum, et ad eius praescriptum me composui: idque cum primis operam dedi, ut ex evidentissimis principiis, ceu fontibus limpidissimis cuncta deducerentur, et apte inter se colligerentur.

Damnant quidem, qui certae sectae additi sunt, hanc philosophandi rationem, qua Potamon ille Alexandrinus primus usus est, quam-

quamque eclecticam vocant, & qua me plurimum delectari lubens fateor: eamque vel hoc nomine non tolerandam putant, quod quae ex diuersis decerpuntur auctoribus, vix inter se jungi, aut apte connecti possint, unde tandem corpus quod monstro haud ab simile fit, enasci contendunt. Contra quae vnius magistri approbat placita, eam, licet forte naevis non destituatur, hoc tamen nomine commendandam putant, quod omnium partium mirifica sit conspiratio, et vt Plinii voce vtar, quidam veluti concentus. Quibus haud difficulter suffragari possum, cum eiusmodi animo concipere videantur, philosophandi modum, quo nonnulli aliorum saltem congerunt placita, deque partium iunctura, parum sunt solliciti. Falluatur autem turpiter, si sibi persuadeant non posse cuncta inter se apte iungi, nisi in vnius magistri militemus castris. Nimirum inuestigare primum vera principia decet, ex quibus cetera deinceps ordine deriuentur: quo ipso saepius contingit, vt mox ad illum, mox ad alium propius accedere videamur, vel plane cum illis consentire, licet ideo saltem aliquid aut probemus, aut reiiciamus, quod cum ratione conueniat, aut eidem refragetur. Quo ipso non potest non in corpus concinnum & aptissime constructum efflorescere philosophia, vt tamen libertas, qua quisque gaudet, illibata maneat.

Atque haec est illa philosophandi via, quam quis-

quisque, quo generosior est magisque ingenuus, eo libentius ingreditur. Quamdum et ego secutus sum, nihil asserui, quod non prompte ex his profluat fontibus: & simul tamen, in plerisque maximos praestantissimosque auctores, mecum consentientes habeo. Potuissem sane, si auctoritate potius quam rationum momentis uti libuisset, tum veterum, tum recentiorum effatis, abunde ea, quae asserui comprobare. Sed ab instituti mei ratione hoc plane alienum fuit. Interim ea quoque, in quibus maxime ab aliorum placitis recedere videor, ita comparata sunt, ut mihi valde proum sit, antiquissimorum philosophorum consensu ea firmare. Quae in Ethica de summa hominis felicitate docui, eam in amore Numinis positam esse, non tantum cum Pythagorae & Platonis, sed aliorum etiam sententia conueniunt, ut doctissimis uiris nostra aetate est comprobatum. Atque hoc caput est totius doctrinae moralis. Nec quae de morbis mentis, praecipue voluntatis, attuli, secus se habent. Certe nihil frequentius, quam amorem sui prauum, ut fontem scaturiginemque omnium malorum accusare. Huius autem tres praecipue riuos esse, ambitionem, auaritiam, et voluptatis cupiditatem, iam ex veteribus obseruauit Hugo Grotius. Ast quod in iurisprudencia naturali praecipuum est, ipsum, ut vocant iuris naturalis principium, ita inuestigauit, ut veterum simul mentem ab aliorum vindicauerim

cor-

corruptelis. Certe qui hominem ad societatem natum dixerunt, iis nihil aliud constitutum fuit, quam officiorum, quae homo erga alios praestare tenetur, rite designare fontem. Quae quidem sententia nihil verius, nihil planius, aut evidentius esse, mihi persuasit. Est tamen, ubi a recepta omnium sententia mihi discedendum putavi, quemadmodum ex iis quae de iustitiae partitione asserui, intelligere licet: sed nec id sine ratione feci, prorsus existimans, non tam pulchrum esse alios secum consentientes habere, quam turpe est, ne ab aliis dissentire videamur, veritatem in minimis ponere. In ceteris saepius Samuelem Pufendorffium secutus sum, cui quantum literatus orbis in hac doctrinae moralis parte debeat, nemo nescit: nec tamen religioni mihi duxi in aliam ire sententiam, quoties cum veritate illi non bene convenire arbitratus sum. At in iurisprudentia gentium Grotium selegi ducem, identidem ea ratione, ut ubi a recto deflectere tramite videtur, illi nequaquam suffragarer. Certe ambages atque anfractus illi, in quos se immisit, ut ex moribus gentium ius aliquod exculperet, ut nemini cordatiorum probantur, ita simul inde patuit, quam facile magnorum virorum auctoritas, alios det praecipites. Quod si vero aliquis me rem superuacaneam egisse existimauerit, gentium leges seorsim tradendo, quae mea tamen confessione, a naturae legibus aliter non differant, quam

quam quod eadem leges mox singulos homines, mox integras obligent gentes, eum res ipsa rectius sapere docebit. In civili denique prudentia id cumprimis egi, ut quae de officiis imperantium et parentium, non sine confusione quadam hic tradi solent, ad suas referrem sedes. In quo quidem magnorum virorum et monita et exempla secutus sum. Certe Hugo Grotius grauer redarguit Ioannem Bodinum, quod disceptationes quae de utilitate et commodo instituuntur, miscuisset cum illis, quibus quid ius fasque sit, explicatur, cum tamen hae ab illis toto differant coelo: unde et mea opinione omnino separatim pertractandae sunt. Ad didi etiam ea, quae in libellis Politicis, qui mihi quidem innotuerunt, frustra quaesivi, idque omni opera annisus sum, ut nihil, quod momentum trahit, praetermitterem, et cuncta suo loco propriaque sede designarem. Quod reliquum est, id quisque meminerit, me elementa scripsisse, adeoque si non ubique plenior tractationem deprehenderit, instituti mei cogitet modum. Id autem ex quacumque hocce opere me consecuturum spero, ut probi omnes intellecturi sint, saltem animum spartam meam mascule ornandi, mihi non deesse. Tu interim *humanissime Lector* vale, conatibusque meis faue.



PHILOSOPHIAE PRACTICAE
P A R S P R I M A

DE
RATIONE PERVENIENDI
AD SVMMAM FELICITATEM.



CAP. I.

de

NATURA ET INDOLE TVM PHILOSOPHIAE PRACTICAE, TVM MAXIME ETHICAE.

Σύνοψις.

Philosophia practica, quid?

§. I.

Eius pars una de summo bono, altera de officii praecipit, §. II.

In officiis vel honestas spectatur, vel utilitas, §. III.

Hinc tum iurisprudentia, tum prudentia status resultat, §. IV.

Sed iurisprudentia intelligitur naturalis, §. V.

Quae & hominum in diversis statibus viventium officia complectitur, §. VI.

Imo & integrarum gentium, §. VII.

Prudentia status in varias iterum species abit, §. VIII.

Speciatim & oeconomicam sub se complectitur, §. IX.

Ethica quid? §. X.

Num recte pro scientia habeatur, §. XI.

Certitudini eius non obstat, quod circa res contingentes versatur, §. XII.

Cui dicatur pars philosophiae practicae, §. XIII.

Ethices obiectum, §. XIV.

Finis, §. XV.

Quo pacto differat a iurisprudentia naturali, §. XVI.

XVII.

Az

Apoli

- A politica & oeconomica, §. XVIII.*
Differt quoque tota philosophia practica, a theologia morali, §. XIX.
Nulla autem inter utramque datur pugna, quia eundem habent auctorem, §. XX.
Quia haec pugna nullo exemplo probari potest, §. XXI. XXII.
Imo in plerisque eleganter conspirant, §. XXIII.
Differunt autem quoad cognoscendi principium, §. XXIV.
Quoad media perueniendi ad summam felicitatem, §. XXV.
Quoad morborum mentis accuratam designationem, §. XXVI.
- Quoad subiectum, §. XXVII.*
Quoad officiorum normam, §. XXVIII.
Eorundemque formam, §. XXIX.
Insigni tamen Ethica gaudet usu, in diuinae reuelationis veritate comprobanda, §. XXX.
In animis ad disciplinam Christianam praeparandis, §. XXXI.
Iurisprudentia & Politica Ethicam semper supponunt, §. XXXII. XXXIII.
Philosophiae practicae dignitas ac necessitas, §. XXXIV.
Ratio tractandi Ethicam, §. XXXV.
Ceterasque practicas philosophiae partes, §. XXXVI.

§. I.

Philosophiae practicae nomine, eam intelligo philosophiae partem, quae & viam ad veram felicitatem mortalibus pandit, & actiones etiam huc pertinentes dirigit.

§. II.

Duae ergo eius praecipuae sunt partes, sed vnum tamen habitum integrum constituentes, quarum altera de summo bono, & modo illud consequendi, quam *Ethicam*, in arctiori significato accepta voce, appellitare liceat, altera autem de *officiis*, praecipit.

§. III

§. III.

Officia mihi ipsas actiones denotant, quae vel ad legem componendae sunt, vt *honestas* illis constet, vel ad conseruationem nostram spectant, *utilesque* vocari solent.

§. IV.

Hinc rursus in duos velut ramos practica philosophia abit, quorum priorem *iurisprudentiae*, alterum per eminentiam *prudētiaē* voce designabimus.

§. V.

Ast cum leges non sint unius generis, hic tamen eas intelligimus, quas a praepotenti Numine hominibus datas, ipsa nos hominum natura conducet. Ergo *iurisprudentia*, quam *uniuersalem*, itemque *naturalem* vocant, huius demum loci est.

§. VI.

Et haec quidem, non tantum quae Deo, quae nobis ipsis debemus, docet, sed & officia tum hominis erga hominem, tum gentis erga gentem, coniugis quoque erga coniugem, parentum erga liberos, & liberorum erga parentes, praeterea dominorum & seruorum, subditorum pariter ac imperantium, ex rationis praescripto naturaeque lege, rite designat.

§. VII.

Equidem gentis erga gentem eadem fere officia sunt, quae hominis erga hominem: non ea tamen ratione, qua singulorum ho-

minum actiones ad leges naturae referuntur, hae quoque integris attemperari gentibus possunt. Vnde non improbo illorum morem, qui *iurisprudentiam gentium* separatim exhibent, aut distincte saltem ostendunt, quo pacto leges naturae ad integras gentes & respublicas, adplicari queant. Eam vero a iurisprudentia naturali, eo modo, ut vulgo docetur, distinctam esse, plane abnuo.

§. IIX.

Vtile aliquid identidem est vel singulis hominibus, vel integris societatibus, iisque tum maioribus, tum minoribus, vnde rursus variae *prudenticiae species* constitui possent. Ast quid singulis aut hominibus, aut societatibus utile sit, praeceptis tradere, res infiniti negotii foret. Quare suffecerit, civilis societatis habere rationem, & quod illi expedit definire, id quod *prudenticiae civilis* siue *Politicae* munus est.

§. IX.

Ex minoribus societatibus nonnulli familiam addunt. Et huius quidem utilitati quae inuigilat *prudencia, oeconomica* appellitari solet.

§. X.

Ethica ergo, quae principem iure sibi vindicat locum, est pars philosophiae practicae, tradens rationem ad summam felicitatem perueniendi.

§. XI.

§. XI.

Dum philosophiae partem dixi, palam est, quod, quae in philosophiam generatim spectatam cadunt, hic quoque locum inueniant. Datur nimirum & in Ethica notitia maximam quidem partem, & quod ad caput causae attinet, certa, ob clarissima euentissimaque, quibus passim abundat, principia: adeoque & hoc nomine, vti & reliquae philosophiae practicae partes, scientiae nomen titulumque promeretur, Nonnulla tamen & hic occurrere, quae verosimili saltem quadam cognitione explorata habemus, ipsa experientia magistra edocemur.

§. XII.

Quod autem de subiecto nonnulli regerunt, asserentes, necessarium & sempiternum in scientiis requiri, id, vt ad ceteras quoque moralis philosophiae partes pertinet, ita nos minime ferit, eum sufficiat subiectum ex hypothesis necessarium, & ratione principiorum & causarum, aeternum.

§. XIII.

Practicae autem philosophiae pars vocatur praecipue quidem ideo, quod circa actiones hominum occupata est: deinde vero, quod illud, quod ceteroquin philosophiae generatim quoque spectatae proprium est, peculiari quadam ratione sibi vendicat. Nimirum nequam hic intra cognitionis limites est substi-

stendum, sed quaecunque traduntur, in vsum quoque conuertenda sunt. Parum proderit aegroto, morbi aut sanitatis indolem, aut vim medicaminum, exploratam habere, nisi idem sanitati restituatur. Mecum ergo consentiunt, qui Ethicam per *prudenciam*, prout haec non tantum circa singularia, sed & vniuersalia versatur, aut per *scienciam de prudencia* definiunt.

§. XIV.

Et istud quidem Ethicae cum ceteris philosophiae partibus est commune, quippe quae iunctum prudentiae habitum constituunt. Hoc autem proprium sibi & peculiare habet, quod circa summum bonum, & ex eius possessione fluentem felicitatem, versatur.

§. XV.

Hanc non tantum designat, sed viam etiam rationemque ad eam perueniendi demonstrat, in quo quidem *finis* Ethicae elucescit.

§. XVI.

Differit ergo a *iurisprudentia naturali*, quippe quae actiones ad legem componit, vt homo, qui rectae rationis praescriptum sequi secum constituit, quid agere, quidue intermittere debeat, cognoscere possit.

§. XVII.

Nimirum postquam eiectis & exturbatis vitiis, omnis miseriae causis, tranquillitati veraeque felicitati redditus est animus noster, & quod inde consequi necesse est, diuinæ volun-

voluntati in omnibus parere, rationisque obtemperare legibus, decreuit, necesse quoque est, vt accurate quid ratio agere iubeat, aut vetet, edoceatur. Hoc vero *iurisprudencia vniuersalis* praestat.

§. XIIII.

Politica & Oeconomica ab *Ethica* eadem ratione, vt *pars a parte* differunt. Vtraque enim circa actiones vtilis occupatur: & illa quidem ciuitatis & hominum in ciuitate viuentium, haec autem familiae felicitatem respicit. Sed tamen *Ethicae* vtraque inferuit, incommoda multa, quae hominem sapientem quoque premunt, ab eodem remouendo.

§. XIX.

Ceterum inter *Ethicam*, quin totam philosophiam practicam, & *Theologiam Mōralem* ingens intercedit discrimen. Non enim minus errant, qui hasce scientias inter se miscent, quam qui eas ita sibi oppositas censent, vt conciliari nequeant.

§. XX.

Eas sibi inuicem non aduersari indeprobo, quod vtraque Deum habeat auctorem. Qui ergo hic pugnam quandam comminiscitur, is ipsum Deum, non sine insigni impietate secum committit. Praeclare Augustinus: *absit, ut hoc in nobis Deus oderit, in quo reliquis animantibus excellentiores creauit. Epist. CCXXVI. quae est ad Consentium.*

A 5

§. XXI.

§. XXI.

Idem exinde quoque constat, quod nullo hactenus id comprobari potuerit documento. Licet enim tota quacunquē patet theologia, multa subinde tradat, quae vim omnem humanae mentis quam longissime superant; hinc tamen nondum sequitur, eandem cum ratione pugnare.

§. XXII.

Sed *rectam* rationem intelligo. Etsi enim ratio, siue, quod mihi nunc perinde est, intellectus humanus, multis magnisque infirmitatibus obnoxius sit, ut suo demonstrabitur loco: nihilo secius, prout eorum errorum, quae humana industria euitari possunt, est immunis, omnino *rectus* dici potest.

§. XXIII.

Quin tantum abest, ut inter se pugnent, ut potius in plerisque amice conspirent. De officiis res certa est, & nulla indiget demonstratione. Ethica saltem eousque cum theologia conspirat, quod idem summum bonum, iidem morbi & imperfectiones, utrobique designentur.

§. XXIV.

In multis tamen differunt. Primo enim ipsum, ut vocant, *cognoscendi principium*, ratio & reuelatio, toto coelo diuersum, haud exiguum inter utramque intervallum ponit.

§. XXV.

Deinde licet philosophia veram felicitatem
vteun-

vtcunque designet, media tamen quae ad eam consequendam sufficiant, haudquaquam suppeditat.

§. XXVI.

Morbos quoque mentis philosophia pandit quidem, causam tamen ignorat, nec eorum profunditatem assequitur.

§. XXVII.

Ipsam etiam subiectum vtriusque scientiae discrimen luculentissimum omnibus demonstrat. In philosophia enim homo solis naturae, corruptae vtrique, & infinitum in modum deprauatae, viribus instructus: in theologia autem homo coelesti lumine collustratus, & diuini Spiritus adiutus gratia, tantum adgreditur opus.

§. XXVIII.

Ad officia autem quod attinet, & ea quidem, quae ad honestatem spectant, haec ipsa norma differunt, cum theologia non tantum ad naturae legem, sed ad *positiuam* quoque *uniuersalem*, hominum actiones exigat. Vnde porro consequitur, theologum officia quaedam tradere, quae philosophus plane ignorat.

§. XXIX.

Accedit vero quod Christianorum officia, vitam velut & spiritum, & vt in scholis loqui amant, ipsam *formam*, a fide sortiantur, quam itidem, eo quidem sensu, philosophia nescit.

§. XXX.

Multis ergo & infinitis modis theologia
mora-

moralis philosophia praestat: sed haec tamen ideo non omni destituitur vsu. Primo namque ad theologiam nos manuducit, reuelationis diuinae veritatem inuicto argumentandi genere comprobatur, & ad impios ipsosque Gentiles conuincendos, telum nobis subministrat. Quo ipso fructum longe uberrimum omnibus praebet.

§. XXXI.

Deinde, dum vera solidaque philosophia hominem suae infirmitatis & miseriae prorsus conuincit, animum quoque eius ad disciplinam christianam quodammodo praeparat: ne quid nunc de eo dicam, quod religionis christianae regulae non facilius feliciusque adplicari ad cuiusuis statum & indolem queant, quam si moralis doctrinae accuratior notitia accesserit.

§. XXXII.

Porro de *Iurisprudentiae & Politicae* insigni in vita ciuili vsu, nemo dubitauerit. Has vero si ab *Ethica* separaueris, philosophiae nomine dignas esse plane obnuo.

§. XXXIII.

Qui enim animi vitia *Ethicae* ope nondum exuit, eius officia quantumuis honesta & laudabilia videantur, splendida sunt scelera. Politicam vero sine *Ethica*, fallendi saltem & decipiendi artem esse, illi puto intellexere, qui eum ciuem bonum esse negant, qui non & vir bonus est.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Ad dignitatem necessitatemque totius practicae philosophiae rite agnoscendam, hoc sufficit, quod animi morbis medeatur, viam ad felicitatem pandat, actionesque hominis dirigat.

§. XXXV.

In tractandi ratione Medicorum filios imitabimur, & primo hominem, deinde morbos, quibus vexatur, summamque eius miseriam, considerabimus. Hinc sanitatem mentis, hoc est summam veramque felicitatem edisseremus: signa quoque indicabimus, ex quibus mentis constitutio, & propensio ad bona aut mala, diiudicari possit. Tandem quae ratio sit morbos mentis, praecipue voluntatis, expellendi, veramque felicitatem consequendi, subiungemus. Et hisce quidem Ethica absolvitur,

§. XXXVI.

Ast vero Medica ars non tantum aegrotos sanitati restituit, sed sanis etiam, habita ratione aetatis, sexus, aliarumque *περιζώσεων*, viuendi regulas praescribit, partim ad sanitatem conseruandam, partim ad morbos imminentes euitandos. Quod qua ratione ceterae practicae philosophiae partes exequantur, suo loco docebimus.

CAP.

CAP. II.
de
NATURA HOMINIS.

SECT. I.

de
PRIMA ET PRAECIPVA HOMINIS PAR-
TE, QVAM MENTEM VOCANT, EIVSQUE
FACVLTATIBVS.

Σύνοψις.

<i>Hominis partes essentielles,</i>	<i>mea, & illa vel certa vel</i>
<i>quot? §. I.</i>	<i>probabilis, §. XVI.</i>
<i>Mens hominis est materiae</i>	<i>Quid recta? quid erronea?</i>
<i>expers, §. II.</i>	<i>§. XVII.</i>
<i>Adeoque & interitus, §. III.</i>	<i>Quid certa? quid probabi-</i>
<i>IV.</i>	<i>lis? §. XVIII.</i>
<i>Facultates eius vel puras</i>	<i>Erronea non recte vocatur</i>
<i>sunt, vel mixtae, §. V.</i>	<i>probabilis, §. XIX.</i>
<i>Ad puras referuntur intelle-</i>	<i>Quid dubia, & scrupulosa?</i>
<i>ctus, voluntas, & memo-</i>	<i>§. XX.</i>
<i>ria mentalis, §. VI.</i>	<i>Cur conscientia libri, regu-</i>
<i>Intellectus quatenus sint o-</i>	<i>lae, testis, iudicis, nomi-</i>
<i>perationes, §. VII.</i>	<i>nis veniat, §. XXI.</i>
<i>Ex his in morum doctrina, in</i>	<i>Quo sensu illi tribuatur vis</i>
<i>consensum venit secunda ope-</i>	<i>obligandi, §. XXII.</i>
<i>ratio, §. VIII.</i>	<i>De consultatione, §. XXIII.</i>
<i>Itemque tertia, §. IX.</i>	<i>Et hinc orta prudentia, §.</i>
<i>Scientia, opinio, fides, §. X.</i>	<i>XXIV.</i>
<i>Coniecturae, praesumptiones,</i>	<i>Tam iuris, quam factus, §.</i>
<i>divinatio, §. XI.</i>	<i>XXV.</i>
<i>Quid conscientia? §. XII.</i>	<i>De habitibus intellectus reli-</i>
<i>Eius partes, §. XIII.</i>	<i>quis, §. XXVI.</i>
<i>Diuersitas eius unde? §. XIV.</i>	<i>De iudicio & ingenio, §.</i>
<i>Est vel bona, vel mala: item</i>	<i>XXVII.</i>
<i>vel rei praeteritae, vel rei</i>	<i>Alteram mentis facultas pura</i>
<i>futurae. §. XV.</i>	<i>dicitur voluntas, §. XXVIII.</i>
<i>Porro vel recta est, vel erro-</i>	<i>Maquandoq; praecedit, quan-</i>
	<i>doque</i>

*doque sequitur intelle-
ctum. §. XXIX.*

*Per libertatem ab intellectu
differre vutgo dicitur, §.
XXX. XXXI.*

Sed perperam, §. XXXIII.

*Quo sensu libertas illi tribui
possit, §. XXXIII.*

*Et quidem respectu actionum
externarum, §. XXXIV.*

*Nentiquam autem interna-
rum, §. XXXV.*

*Libertas hominis non tolli-
tur per concursum divi-
num, §. XXXVI.*

*Nec per Numinis praescien-
tiam, §. XXXVII.*

Nec per fatum. §. XXXVIII.

*Praetera voluntas semper ad-
petit bonum, XXXIX.*

*Licet non semper idem, vnde
inclinationes oriuntur.
§. XL.*

Et mores, §. XLI.

Actus voluntatis varii, §. XLII

*Sunt vel eliciti vel imperati,
§. XLIII.*

*Actus voluntatis nihil aliud
sunt quam affectus, &
quidem mentales, §.
XLIV. XLV.*

§. I.

PRimo itaque hominem contemplanti non li-
cet secus sentire, quam ex duabus substantiis,
diuersissimis quidem, aut arctissimo quodam vin-
culo & federe inter se colligatis, *mente* scilicet &
corpore, illud exurgere & efflorescere, quod nos
hominem appellitamus. Nec re ipsa dissentire
videntur, qui tres hominis partes constituunt;
cum media, quocunque demum nomine vocetur,
seu materialis, ad ipsum corpus haud incommo-
de referri possit.

§. II.

Mente varias res percipimus, non tantum
corporeas, sed omnis etiam materiae expertes,
rationes numerorum, virtutumque, & id ge-
nus alia, quae nec sensus vllus assequi, nec
phantasma exprimere potest. Percipimus or-
dinem

dinem rerum, variosque respectus; quae multa sunt mente ad unitatem reuocamus, confusa distinguimus, diuisa coniungimus. Hinc tandem verosimili quadam ratione colligere licet, eam *materiae omnis & corporis esse expertem.*

§. III.

Praeterea cum nihil intereat, nisi quod secernitur in partes dirimiturque, aut in nihilum redigitur, & vero nihil in partes dirimi aut secerni possit, nisi quod ex partibus est compositum, *mentem nostram finis quoque omnis interitusque expertem esse, merito inde concludimus.*

§. IV.

Namque ut in nihilum redigatur, non est metuendum. Deum hoc facere posse non abnuo. Ast eum hoc facere velle, id vero nulla ratione probari potest & cum bonitate insuper Numinis palam pugnat. Interim hoc extra dubium positum esse, nostra magnopere refert, cum inter praecipua totius moralis doctrinae fundamenta, mentis immortalitas sit referenda.

§. V.

Dum vero porro mentem considero, varias in ea deprehendo potentias, suae facultates, ex operationibus metiendas. Has enim qui accuratius secum expenderit, intelliget eam quandoque pure & sine corporis commercio operari, aliquando autem organis corporeis, spiritibus scilicet animalibus uti. Hinc duae facultates

facultates primariae constitui solent, quarum *puram* alteram, alteram *mixtam* dixeris.

§. VI.

Quibusdam autem res haec nondum adeo expedita videtur, tum quod mentis seu praecipuae, quae in homine est, partis operationes puras, paulo obscuriores in se deprehendere sibi videntur, quas alii contra clarissimas esse putant, tum quod alterius facultatis, quae circa materiales conceptus occupatur, operationes mediae illi parti, adsignant. Quemadmodum nec id satis patet, quae purae ut vocant, mentis facultati, tribuendae sint operationes, licet plerique & *intellectum* & *voluntatem*, nonnulli insuper *memoriam mentalem* in ea admittant.

§. VII.

Atque ad intellectum quidem quod attinet, eo res varias nos percipere, atque cognoscere, constat fere inter omnes. Quae autem addi solent operationes, iudicandi & ratiocinandi, an intellectui puro, an imaginationi, an vero utriusque, aut separatim, aut coniunctim conveniant, rursus non videntur adeo exploratum esse. Id quod nobis quidem nunc perinde est, quibus sufficit observasse, id quod omnes etiam fateri necesse est, esse in homine non *percipiendi* modo, sed *iudicandi* etiam, & *ratiocinandi* facultatem.

B

§. VIII.

§. VIII.

Et de his quidem ea disciplina praecipit, cujus est, ex instituto intellectus vitiis mederi. Sed ea tamen, quae ad moralem doctrinam pertinent, delibasse iuuabit. *Judicium* ergo, dum circa res morales versatur, *praeticum* vocari solet, omniumque *περιστάσεων*, quae actionem comitantur, accuratam notitiam connotat. Saepius etiam tertiam intellectus operationem hac voce simul indigitare solent.

§. IX.

Ratiocinatio in multas iterum abit species, quae etiam in morum doctrina ob diuersam & multiplicem ad actiones humanas *σχέσιν*, diuersas sortiuntur adpellationes.

§. X.

Et primo quidem ob ipsorum principiorum, quibus innititur, diuersitatem, non est vniuerso modi ratiocinatio. Haec enim vel firma sunt et extra omnem dubitationem posita, vnde *scientia*, vel verosimilia saltem, vnde *opinio* gignitur. Quandoque et principii locum subit auctoritas aut Dei aut hominum, aliquid asserentium, vnde *fides* enascitur, aut diuina, aut humana.

§. XI.

Et ex opinione quidem rursus proueniunt *coniecturae* et *praesumptiones*. Coniectura est ratiocinatio, quae ex signo proprio et certo procedit.

redit. Praesumptio autem, quae ex signo communi probabili quadam ratione concludit. Quod si quis siue per naturam, siue per habitum, in hac ex signis argumentandi ratione promptus et exercitatus sit, illi *εὐσυχία* et *εὐχρηστοία* tribui solet. Huius supremus velut gradus est *divinatio*, cum ex signis futura, eaque singularia, colliguntur.

§. XII.

Argumentatio de actionibus, praesertim siam perpetratis, prout legem respicit, & hinc carum aut bonitatem aut prauitatem colligit, peculiari nomine *conscientia* vocatur.

§. XIII.

Nonnulli assumptum huius syllogismi practici, et quidem si vim vocis spectes accuratius, *conscientiae* seu *προνοητικῆς* nomine indignant: maiorem vero propositionem, siue notitiam legum, principiorumque, *ουσιώδη* dicunt.

§. XIV.

Quod autem conscientia varie dispescatur, partim ex ipsa actionum varietate, partim ex diversis ratiocinandi modis oritur.

§. XV.

Si enim actio cum lege conveniat, conscientia *bona*, si ei repugnet, *mala*: si actio sit patranda, conscientia *rei futurae*, si iam sit patrata, conscientia *rei praeteritae* vocatur.

§. XVI:

Est quando conscientia in *rectam* et *erroneam*, et

illa iterum in *certam* & *probabilem* dispescitur, id vni-
 ce ex ratiocinationis modo prouenit.

§. XVII.

Nimirum in argumentationibus hisce aut rite
 procedimus, veram conclusionem ex praemissis
 elicientes, aut contra decipimur, & errore nouo
 locupletamur. Prius si fiat, conscientia *recta*;
 sin posterius, *erronea* gaudes.

§. XVIII.

Rursum argumentatio bona vel ex certis atque
 inuisis principiis procedit, vt supra demon-
 stratum, scientiamque gignit, quae conscientiae
certae respondet, vel *ducentibus* ex probabili-
 bus principiis opinionem elicit, quae cum con-
 scientia *probabili* pari passu ambulat.

§. XIX.

Vade in maximo versantur errore, qui eam
 conscientiam probabilem vocant, quae erronea
 est, cum omnis conscientia *probabilis* recte
 esse debeat.

§. XX.

Contingit quoque, vt in ipsa argumentatio-
 ne mens nostra fluctet, idque tum ratione
 propositionis, si dubitemus, num hoc vel illud
 praeceptum aut vetitum sit, tum ratione as-
 sumpti, si an actio a nobis sit petenda, vel an lex
 ad hanc actionem quadret, ancipites haerea-
 mus. Hinc namque dubitationem vel fluctu-
 ationem in ipsam conclusionem propagari, con-
 scientiamque *dubiam* reddi necesse est. Quod

si au-

si autem dubium non magni fuerit momenti, *scrupulosa* dicitur.

§. XXI.

Atque hinc intelligitur, quo pacto conscientia mox *libri & regulæ*, interdum *testis & iudicis*, quandoque etiam *tortoris* nomine veniat. Namque hisce nominibus non tote argumentatio quæ conscientiam absoluit, sed aut propositio, aut assumptum, aut conclusio indicatur.

§. XXII.

Minus quoque accurate loquuntur, qui conscientiam pro norma actionum humanarum venditant, aut illi vim obligandi tribuunt, quæ tantum legi competit. Qua de re cum de officiis, actionumque humanarum principiis agetur, præcipientus.

§. XXIII.

Præterea, quando rationes inimus, sit ne actio suscipienda, an intermittenda, *consultatio* vocatur: cuius ratiocinationis conclusio, si approbatio voluntatis accesserit, *decreti* nomine venit, & cum electione unius, ac reiectione alterius sententiæ, coniuncta esse solet.

§. XXIV.

Qui autem facultate singulari recte consultandi pollet, *prudens* audit. Namque non minus de actu, quam habitu consultandi, prudentiæ vocem usurpant.

§. XXV.

Hinc & ratio patet, quare supra alia *prudencia iuris*, alia prudentia, per eminentiam, siue *prudencia status* fuerit constituta. De qualibet enim actione duo inquiri et possunt et solent, siue *bonesta* an *turpis*, itemque *utilis* an *inutilis*.

§. XXVI.

Solet vero & saepius de opere quodam efficiendo ratiocinatio institui, quae si in habitum fuerit traducta, *ars* dicitur. Nec ceteris ratiocinationum modis, si in habitum transferantur, sua nomina desunt, quae prolixius hic exequi, plane superuacaneum foret.

§. XXVII.

Id potius adhuc obseruandum, generatim in intellectu dari aut facultatem res oblatas accurate a se inuicem discernendi et velut separandi, aut rursus eas componendi, apteque et ordinate inter se combinandi. Prior facultas, *iudicij*, posterior *ingenij* nomine venit: sed utraque a diversa corporis ac materiae constitutione quodammodo dependet: hinc rursus non tantum menti, quam iuxta alios mediae hominis partem, aut menti saltem, quatenus cum corpore agit, videntur adsignari posse. Multo itaque minus iudicium cum *intellectu*, quem vocant *puro*, ac *ingenium*, cum *imaginatione*, confundere par est, quod nonnullis tamen solennè admodum est.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Altera mentis quatenus pure agere creditur, facultas cenfetur *voluntas*, qua bonum et malum primo percipimus, deinde illud appetimus, hoc autem auerſamur. Nec tamen aliter niſi munere et operatione voluntatem ab intellectu differre, vero videtur ſimile eſſe, creditumque hætenus a quamplurimis fuit.

§. XXIX.

Nunquam autem aliquid appetimus aut auerſamur, niſi idem utcumque nobis cognitum atque perſpectum fuerit. Ignoti enim nulla eſt cupiditas. Sed vero ut accurate & diſtincte res ab intellectu prius cognita ſit, quam eandem aut appetamus aut auerſemur, minime requiritur. Vnde et manifeſtum eſt, quod voluntas aliquando ſequatur intellectum, aliquando eundem præcedat, et ad hoc aut illud accuratius cognoscendum, determinet.

§. XXX.

Solet ceteroquin inter intellectum et voluntatem hoc diſcrimen conſtitui, quod a modo rationeque operandi deſumptum eſt. Intellectum nimirum vocant *potentiam neceſſariam*, quæ poſitis omnibus ad intelligendum requiſitis, non poſit non intelligere, iudicare, ratiocinari.

§. XXXI.

Aſt a voluntate, inquiunt, homo hæbet tum
B 4 quod

quod *spon*te agat, i. e. vt non per internam aliquam necessitatem ad agendum determinetur, sed actionis suae ipse auctor sit: tum quod *libere* agat, i. e. vt vno obiecto proposito, possit agere & non agere, idemque eligere vel respuere, aut pluribus obiectis propositis, vnum eligere, cetera respuere.

§. XXXII.

Mihi voluntas aequae ac intellectus, omni prorsus libertate, eo quidem sensu, quo hactenus vox ista intelligitur, destitui videtur. Quamprimum enim voluntas, bonum aliquod aut ab intellectu aut ab imaginatione, vel ipsis etiam sensibus externis repraesentatum percepit, non potest non illud amare atque appetere, sicut malum, quod vt malum percepit, necessario fugit & auersatur.

§. XXXIII.

Quod si autem plura bona voluntati offerantur, quorum vnum vehementius eam afficiat, quam alterum, tum quidem omnino voluntas, misso altero in illud fertur: vt corpus quoddam illi cedit, quod maiori vi illud mouendi atque impellendi gaudet. Atque de malis, quae diuersimode voluntatem afficiunt, eadem ratione censendum. Cumque in hominis arbitrio quodammodo positum sit, si forte voluntas in vnam partem nimis propendet, obiectorum, quae in contrariam eam flectant, repraesentatione, illam vicunque retrahere & ad

ad æquilibrium reducere, hæc tamen *libertas* quædam homini tribui potest.

§. XXXIV.

Id vero tantum intelligendum est, de actionibus externis, quas ita temperare homo potest, ut licet necessario appetat, ad quæ per suas cupiditates fertur, poenarum tamen & præmiorum cogitatione moveat voluntatem in alteram partem, & sic a criminum perpetracione eandem retrahat. Ex quo patet, quo modo sublata licet omni libertate, leges nihilominus, poenæ atque præmia locum habere queant.

§. XXXV.

Multo itaque minus homo libertate gaudet virtuti veræ operandi, saltem quamdiu sibi relictus, nec diuino lumine collustratus est. Rerum enim huius seculi, & per naturæ corruptionem, & per consuetudinem etiam, aliæque causæ, dulcedine captus, ad eas amandas & appetendas ineluctabili impetu fertur, aut potius misere a rerum istarum varietate, mox huc, mox illuc rapitur. Cui calamitati finis modusque non ponitur, nisi cum veri summique boni gustu voluntas afficitur, et ita per præstantioris boni maiorem efficaciam ab illis rebus, quæ captiuum velut eum tenebant, retrahitur.

§. XXXVI.

Ceterum qui diuini Nominis *caucusum* ad

rēs creatas, aut eiusdem *omniscientiam*, cum humanae voluntatis libertate pugnare putant, opido falluntur. Concurrit enim quidem Deus cum omnibus *causis secundis*, sed modo cuiuslibet convenienti. Adeoque cum voluntate humana ita etiam concurrit, ut illi tamen sua constet libertas, si qua gaudet. Quin si haec aliunde non infringeretur, non posset non in homine summa, & plane illibata esse.

§. XXXVII.

Ex *praesentia* autem Numinis non maior homini iniicitur necessitas, quam solis aut lunae defectui, quod ab homine astrorum leges edocto, praevideatur.

§. XXXVIII.

Porro, qui ipsi aëtris, aut nescio cui fato, voluntatem humanam ita subiiciunt, ut omni eam libertate priuent, mea quidem opinione non rectius sapiunt. Fatum enim praeter providentiam diuinam nullum agnosco, siderum autem ut ut magna in corpora vis sit, cum spiritibus tamen, quibus mens hominum annumeranda, nihil illis per se intercedit commercii.

§. XXXIX.

Quod vero voluntatem maxime ab intellectu distinguit, illique plane proprium est, & praecipuum totius philosophiae moralis caput constituit, hoc est, quod semper propensione quadam ineffabili in bonum aliquod fertur.

ferunt. Hinc etiã nonnullis philosophorum
to bya doerdes rñs vvxñs, facultas anime boni
formis audit.

§. XL.

Et ita quidem in omnibus hominibus volun-
 tas se habet, vt bonum semper sine ulla intermis-
 sione appetat, licet non semper omnes idem appe-
 tant. Quin magna appetituum est varietas, qui &
inclinacionum nomine veniunt, et si per consue-
 tudinem aliisque de causis fuerint firmatae, in
mores tandem abeunt.

§. XLI.

Per *mores* enim nihil aliud quam voluntatis
 inclinationes, quas homini tum per naturam in-
 sunt, tum ab aliis causis inducuntur, simul tamen
 firmatae sunt et corroboratae, intelligo.

§. XLII.

Actus voluntatis varii sunt, et varias fortitan-
 tur denominationes. Namque si bonum, ad
 quod tendit, finis instar concepiatur, et seorsim
 media, quibus nos vti decet, vt boni huius com-
 potes reddamur, considerentur, sex voluntatis
 actus enumerari solent: *volitio, intentio, fruitio,*
electio, consensus, & usus.

§. XLIII.

Et tres quidem priores ad *finem*, posteriores
 ad *media* pertinent. Primo enim finem cogita-
 tum voluntas adprobatur, deinde ad eundem
 consequendum efficaciter se mouet, et tandem
 eo obtento fruitur, placideque adquiescit.

Sic

Sic & media primo probantur, tum quae maxime idonea visa fuerint, eliguntur, et demum vsui adplicantur.

§. XLIV.

Et hi quidem actus omnes *eliciti* vocari solent, eo quod ab ipsa voluntate producuntur, et ab eadem recipiuntur. Distincti ab illis sunt *imperati*, qui ab aliis hominis facultatibus a voluntate motis, proueniunt.

§. XLV.

Magis ad nostrum institutum pertinet, alia ~~voluntatis~~ voluntatis distinctio, vtut minus vsitata. Etiam sicut voluntas nostra semper bonum appetit, ita si quid illi a facultate quadam cognoscente offeratur, quod vt malum percipit, non potest non illud auersari. Quos quidem actus voluntatis nonnulli *affectus mentales* vocant, quorum duo praecipui sunt *appetitus & auersio*, sive *amor & odium*, sed qui in varios iterum ramos abeunt, distinctius deinceps enumerandos.

§. XLVI.

Namque & affectus sensuales vocantur motus voluntatis, sed quibus tam cum corpore aliquid commercii intercedit. Vnde si ab eo discesseris, quod de his suo loco dicitur, de illis ~~non~~ certa ratione intelligi potest.

**MEDIA HOMINIS PARTE, SEV MENTE
UNA CVM CORPORE AGENTE, ET FACVL-
TATIBVS HINC RESVLTAANTIBVS.**

Σύνοψις.

Trabitationis ordo, §. I.
 Facultatum mixtarum
 principium, §. II.
 Numerus, §. III.
 Quid imaginatio, §. IV.
 Quod in ea secundum quos-
 dam mens concurret &
 resistit, §. V.
 Et actus, §. VI. VII.
 Intellectus puri & imagina-
 tionis quodnam sit discrimen, §. VIII. seqq.
 An ea imaginandi an cogi-
 tationis consistant? §. XI.
 Differentiam inter imagina-
 tionem & ingenium, §. XII.
 Inferiorum diuersitas, §. XIII.
 In disciplinis & scientiis ma-
 xime conspicitur, §. XIV.
 Causa huius rei, §. XV. XVI.
 Altera facultas mixta est ap-
 peritica sensitiua, §. XVII.
 An differat a voluntate, §.
 XVIII.
 Pugna rationis & appetitus
 sensitiui, §. XIX.
 An ea differat iuxta carnis &
 spiritus, §. XX. XXI.
 Habet appetitum sensitiuum,
 sed affectum, §. XXII.

Quid sint affectus sensuales
 §. XXIII.
 Quo pacto a mentalibus
 differant, §. XXIV.
 Propria illorum sedes, §. XXV.
 Quo pacto affectus sensuales
 differant ab affectibus huius
 corporis, §. XXVI.
 Et a motibus pure corporatis, §.
 XXVII.
 Sedem illorum nusquam
 constitui posse in intellectu,
 §. XXVIII. seqq.
 Sunt affectus sensuales com-
 motiua voluntatis, passio-
 nis & actiua, §. XXIX.
 Quos praecedunt certi motus
 in corpore, §. XXXI.
 Motus illi voluntatis suos habent
 gradus, §. XXXII. seqq.
 In eis obseruandus terminus
 a quo & terminus ad
 quem, §. XXXV. seqq.
 Unde concluditur ferri affec-
 tum in bonum aut ma-
 lum aliquod futurum, §.
 XXXVII.
 Item, perperam inter affectus
 referri dolorem & volu-
 ptatem, §. XXXVIII.

Famem

- Favorem & sitim, §. XXXIX.* *Eorundem incommoda, §. LVII.*
- Terrorem, §. XL.* *Affectuum diviso, §. LVIII.*
- Sympathiam & antipathiam, §. XLI.* *Duo sunt affectus principes, amor & odium, §. LIX.*
- Causae affectionum vel proximae sunt vel remotae, §. XLII.* *Qui licet coniuncti sint, differunt tamen a se invicem, §. LX.*
- Ad has representatio obiecti pertinet, quae sit vel intrinsecus, vel extrinsecus, §. XLIII.* *Amor, quid? §. LXI.*
- Modorum etiam per imagines suas §. XLIV.* *Quid odium? §. LXII.*
- Bonum aut malum quod representatur, ad nos referri debet, §. XLV.* *Ob accedens indicium amor est vel benevolentiae, vel amicitiae, vel amoris, §. LXIII.*
- Inferitur ex diis, admirationem ad affectus non esse referendam, §. XLVI.* *Differentia affectionum abriuatorum, ratione boni amabili, §. LXIV. seq.*
- Affectus in mente sequitur, probitas perperam iudicandi §. XLVII.* *In odio eodem modo se rim habere. §. LXV.*
- Determinatio intellectus, §. XLVIII.* *Ex facilitate aut difficultate bonum obtinent; oritur spes, fiducia, §. LXVI.*
- Corruptio phantasiae, XLIX.* *Ex eodem ad malum respectu, metus, despectio §. LXVII.*
- Et totius eandem intellectus, cessantibus licet affectibus, §. L.* *Quid laetitia, tristitia? §. LXVIII.*
- In corpore motus extraordinarius sanguinis, §. LI.* *Consternatio terror, §. LXIX.*
- Membrorum quorundam possessive singularis, §. LII.* *Affectuum, tum circa finem, tum circa medium verisimium, diversi gradus, §. LXXI.*
- Dilatatio & contractio organorum, §. LIII.* *Audacia, pusillitas, et mulatio, §. LXXII.*
- In omni quoque affectu inest delectatio quaedam, §. LIV.* *Indignatio, ira, §. LXXIII.*
- Ufus affectionum, §. LV. LVI.* *Si bonum aut malum nos medius tangat, quomodo inde oriatur affectus? quid.*

- quidue commiseratio? §. LXXIV.
- Congratulatio, §. LXXV.
- Favor, gratitudo, §. LXXVI.
- Irrisio, inuidia, §. LXXVII.
- Ex affectibus derivatis iterum fluere alios affectus, §. LXXVIII.
- Speciatim ex affectu ambitionis amorem laudis, et pudorem, §. LXXIX.
- Ex affectu avaritiae, cum alio sorditiam, §. LXXX.
- Ex voluptate cupiditate, tum alios, tum maxime curiositatem, §. LXXXI.
- Existimatio & contemptus non sunt affectus, licet eos comitentur, §. LXXXII.
- Quid veneratio, item dedignatio? §. LXXXIII.
- Affectus mixti exemplum, zelotypia, §. LXXXIV.
- De certorum affectuum nexu, §. LXXXV.
- Satisfactionem, & hilaritatem esse tantum consequentia quorundam affectuum, §. LXXXVI.
- Quid fastidium, desiderium, penitentia, &c. LXXXVII.
- Ultima, quae huc spectat, facultas est memoria: haec quid sit? §. LXXXVIII.
- Quid oblitio? §. LXXXIX.
- Quod mens iuxta quosdam hic se habeat vel passus, §. XC.
- Vel aliter, §. XCI.
- Ex multitudine rerum memoria exurgere experientiam, §. XCII.

§. I.

ET haecenus quidem mentem pure operantem considerauimus. Nunc et illae operationes, quae ex eius cum corpore commercio fluunt, *immediate* tamen a mente edi creduntur, facultatesque hinc promanantes, contemplandae sunt.

§. II.

Non equidem nescio, quod & supra iam monui, nonnullos hodie hic secus sentire, ac ad mediam istam, quam in homine constituunt partem, quamue quidam ex ipsis astris deriuant, ea omnia referre, quae de mixtis, ut vocantur, mentis facultatibus, disputari solent,

nec

nec ab uno posse & hac ratione pleraque, quae hic occurrunt, phaenomena explicari: nihil scilicet cum nec illorum sententia, qui ex mentis corporisue commercio cuncta deriuant, abhorre-
re adeo ab omni verosimilitudinis specie videa-
tur, paucis eam referemus, cum & ita haud diffi-
cilter pleraque ad priorem hypothesein, accom-
modari queant, modo mentis directio ceteraque
functiones, ipsi huic principio medio, qualecun-
que demum istud sit, tribuantur, quamuis perce-
ptio saltem, menti denegari nequeat.

§. III.

Solent itaque mentis cum corpore ita operan-
tis tres iterum facultates, facultatibus mentis pu-
sas respondentes, identidem constitui, *imaginatio*
scilicet, *appetitus sensitivus*, & *memoria sensualis*.

§. IV.

Nimirum, cum mens nostra, inquit, spi-
ritibus animalibus, ad res corporeas in cerebro
repraesentandas, variasque imagines rerum sensi-
bus externis perceptarum depingendas, utitur,
imaginatio, siue *vis imaginandi*, vel *phantasia* vo-
cari solet.

§. V.

Quod ut recte intelligatur, porro docent,
mentem nostram in imaginando, vel *active* vel
passive se habere. *Passive*, quando scilicet ima-
gines per sensus externos in cerebrum de-
latae

latas necessario percipit, ad eum modum prout ipsae hae picturae, organaque se habent. Vnde menti inuitae etiam quasdam obuersari imagines, experientia docet.

§. VI.

Actiue autem mens in imaginando se habet, eum imagines intra cerebri tenuissima filamenta custoditas, vi federis, quod inter corpus & animam intercedit, et ex cuius lege ad certos motus mentis certi motus corporis sequuntur, ope spirituum animalium, iterum prodire iubet, easque attentius contemplatur.

§. VII.

Quin non tantum mens nostra iuxta illos hasce imagines in cerebro excitat, & contemplatur, sed eas etiam componere inter se atque diuidere potest, idque opera spirituum animalium, quorum diuerso fluxui id vnice tribuendum esse, naturae consultis est obseruatum. Interim & illud constat, vim illam mentis non eousque procedere, vt non aliquando impediatur, quo minus quaslibet producere & excitare imagines, possit.

§. VIII.

Atque hinc nonnulli discrimen, quod maximum omnino inter intellectum & imaginationem intercedere aiunt, demerare annuntiant qui & contendunt, magnorum grauiumque errorum se exponere periculo, qui vtramque non rite discernere facultatem ducere.

C

§. IX.

§. IX.

Nimirum vtriusque et intellectus et imaginationis, vel ex eo intelligi discrimen dicunt, quod ea, quae sensibus hauriuntur, ad hanc pertineant, ille autem quae sensus fugiunt, et omnis materiae sunt expertia, sibi vindicet. Vnde et intellectum plura, quam imaginationem, assequi necesse est.

§. X.

Accedere, aiunt, quod rei intelligentia omnibus sit eadem, ast imaginatio pro aetate, sexu, vitae instituto, gentium moribus, mirum in modum variet in variis. Quibus non equidem prorsus refragatus fuero, modo id addatur, intellectus puri, nullisque symbolis corporeis utentis, perceptiones neutiquam adeo claras ac evidentes esse, ut vulgo quidem sibi persuadent: quemadmodum et in eo nonnulli peccare videntur, quod perceptiones voluntatis, cum perceptionibus intellectus confundant.

§. XI.

Actus imaginandi, quatenus sunt inter se conexi, a nonnullis *cogitationes* vocantur, sumpta voce specialiter: ceteroquin enim omnes tum intellectus, tum phantasiae operationes hac voce denotari possunt.

§. XII.

Differre ab imaginatione *ingenium*, iam ex supra dictis constat: licet, haud raro et ingenium

nium specialiter sic dictum, *imaginationis* nomine veniat. Nimirum ea facultas intellectus quae a corpore quodammodo dependet, iterum et facultatem res secernendi, seu *iudicium*, et facultatem eas componendi, seu *ingenium* complectitur. Vsu tamen receptum est, vt speciatim facultas ideas rerum componendi inter se, quae et *ingenium* dicitur, *imaginatio* quoque appellatur. Rursus autem ingenii vox latius quandoque, imo vtplurimum, sumitur, omnes intellectus facultates, quibus praecipue ad bonas artes addiscendas opus est, comprehendens. Et hoc quidem sensu dicitur, quod *ingenium*, sumpta voce in significatione generaliori, constet ex *iudicio*, *imaginatione* seu *ingenio* specialiter sic dicto, et *memoria*.

§. XIII.

Prout ergo haec facultates diuersimode inter se sunt compositae, ita et ingenium ipsum variat. Nonnunquam enim contingit, vt iudicium primum, imaginatio secundum, memoria tertium obtineat locum. Rursus aliquando imaginatio primum, secundum iudicium, et vltimum memoria occupat. Porro in nonnullis iudicium imaginationem, vtramque facultatem memoria superat, vt ceteros, quibus inter se combinantur, modos taceam.

§. XIV.

Quae quidem ingeniorum diuersitas, tum alias saepe, tum maxime in disciplinis scienti-

tisque conspicitur. Namque nec orator, nec poëta, nec mathematicus, nec politicus, ingenio dituitur, alio tamen modo in oratore, alio in poëta, alio in mathematico, et rursus alio in politico sese habet.

§. XV.

Causam huius diuersitatis ex hæcenus dictis intelligere pronum est. Cum enim hæc mentis facultates iuxta ea quæ hæcenus disseruimus, ope spirituum animalium muere suo fungantur, et vero spiritus mox subtiliores, mox crassiores sint, interdum quoque tardius, interdum celerius moueantur, ratio diuersitatis luculenter patet.

§. XVI.

Accedit vero cerebri conformatio, figura, magnitudo, partium textura, et denique corporis totius habitus, et temperamentum, pluribus deinceps edisserendum.

§. XVII.

Alteram, quæ huc pertinet, facultatem, *appetitum sensitiuum*, non eodem tamen omnes sensu, appellitant. Nonnulli enim ipsi mediae hominis parti, seu spiritui, quem cum brutis homo communem habet, appetendi et auersandi facultatem inesse contendunt: alii ipsam mentis facultatem hoc nomine designant, quam voluntatem supra diximus, res corporeas appetentem, et spiritibus animalibus videntem, illorumque rursus incurſionibus et insul-

insultibus ita obnoxiam, vt mox ad hoc, mox ad illud appetendum irritetur. Et hi quidem quo pacto hac de re philosophari soleant, nunc porro explicabimus.

§. XVIII.

Ita namque statuunt: voluntas nostra non tantum motibus corporeis vtitur, agitque, appetendo aut auersando aliquid, quod sensibus gratum aut ingratum est: sed etiam saepius patitur, ita quidem vt velut inuita ad aliquid appetendum, vel auersandum, a motibus corporeis stimuletur.

§. XIX.

Hinc pugnam istam *rationis et appetitus sensitiui*, vel *partis inferioris ac superioris animae*, in morum doctrina, veteribus praesertim, adeo celebrata, facile intelligi putant. Saepius enim contingit, inquit, vt vel ab obiectis in sensus incurrentibus, vel etiam ab ipsa phantasia motus quidam ope spirituum animalium excitentur. Hos motus mens non tantum sentit, sed iidem voluntati etiam ablandiuntur, eamque in suas velut rapiunt partes, voluntate quoque ad motus hosce adprobandos valde prona: sed dum ratio siue intellectus accedit, et eos motus quantumuis gratos, minime tamen bonos esse dicitur, voluntas eosdem omni modo a se amoliri an nititur, viribusque velut collectis illis ita obuiam, vt pugnare et conficere cum illis videatur.

§. XX.

Quicquid huius sit, a pugna hac *rationis* et *appetitui sensitiui*, sedulo distinguenda est *lucta* *carnis* et *spiritus*, quam theologi in regentis obseruant. Namque vt alia taceam, in pugna *rationis* et *appetitui sensitiui*, voluntatem humanam ad meliora trahit intellectus humanus, sibi relicta, multis vitiis imbutus, et ea adhuc bona iudicans, quae saepius nihil minus quam bona sunt. At in lucta *spiritus* et *carnis*, voluntatem a peccatis retrahit intellectus diuina gratia colustratus.

§. XXI.

Praeterea alii utrobique sunt hostes. In pugna *rationis* et *appetitui sensitiui*, voluntas sibi relicta, sed a dictamine rectae rationis excitata, pugnat cum propensionibus maximam partem a motibus corporeis excitatis: at in lucta *carnis* et *spiritus*, voluntas gratia diuina perfusa, et a spiritu sancto adiuta, pugnat cum propensionibus istis, quae a peccato originali proueniunt, cuius vis licet in regentis imminuatur, penitus tamen dum inter mortales versantur, illud non tollitur.

§. XXII.

Habet et appetitus iste, quem sensitiuum vocauimus, suos motus, aequae ac voluntas pura, quos *affectus*, itemque *passiones*, vt et *animi perturbationes*, vocare solent, nos autem ad confusionem euitandam, *affectus sensuales* dicemus.

Hofce

Hocce autem distinctius considerare, nostra magnopere refert.

§. XXIII.

Sunt autem affectus sensuales, ut illorum, quos hactenus fere secuti sumus, principiis porro insistamus, commotiones voluntatis, ex repræsentatione obiectorum, cum relatione quadam ad nos spectatorum, sub ratione grati aut ingrati, et hinc spirituum animalium excitata agitatione, ortæ, et iterum spirituum animalium sanguinisque motum extraordinarium efficientes, ad hominis conservationem comparatæ.

§. XXIV.

Quæ ut rite intelligantur, obseruandum, affectus sensuales non tantum a mentalibus differre, sed ipsorum sensualium etiam, ut nonnullis videtur, duas velut classes posse constitui. Alii enim affectus originem a corpore habent, et hinc ad mentem transeunt; alii rursus in mente oriuntur, sed ob arctissimam mentis vnionem, fluxus ordinarius sanguinis, et spirituum animalium aliquantisper mutatur. Existimo tamen, hos ipsos affectus etiam recte ad mentales referri, licet ob summum eorum gradum, in corpore etiam aliqui motus excitentur, siue quod perinde est, ab iis affectibus mentalibus, ad quos nullus motus in corpore sequitur, non nisi *gradu* differunt.

C 4

§. XXV.

§. XXV.

Sedem affectibus propriam *voluntatem* assignamus, quam et *appetitum sensitivum*, in quantum cum motibus corporeis concurrat, adpellare nonnulli solent. Quam in re forte iterum, ut et in multis aliis dissentiunt, qui praeter mentem et corpus, spiritum non tantum in homine admittunt, sed praeter cognoscendi, facultate quoque appetendi eundem instruunt. Sed ut illorum affectuum, qui nobis cum brutis communes sint, sedem huc referri posse concedam, si cetera recte se habeant: ita in hominibus per istius etiam spiritus motus, ipsam voluntatem moveri, palam est: adeoque nec illi refragari amplius poterunt, quo minus voluntati praecipuo quodam iure affectus vindicentur.

§. XXVI.

Est enimvero hic probe observandum, et a brutorum affectibus, et a mentalibus, maxime differre illos, quos sensuales diximus. Brutorum affectus nonnulli in solo motu extraordinario sanguinis et spirituum animalium constituunt. Sed esse insuper in illis aliquid, quodcumque demum illud sit, quod aliquid percipiat, quod appetat bonum, fugiat malum, negari nulla ratione potest. In homine autem si eiusmodi motus excitentur, quos in brutis affectus vocamus, mens tamen itidem simul movetur, et ad id quod corpori
 motu-

motuumque corporeorum principio gratum aut ingratum, est, aut adpetendum, aut auersandum incitatur, indeque adeo ille affectus, quem sensualem vocamus, resultat.

§. XXVII.

Quare et illud patet, quod motus, qui tantum in corpore excitantur, nondum affectuum nomine tituloue digni sint, prout quidem hic vocem istam capimus: cum præcipuum quod affectum absoluit, sit voluntatis commotio. Nec motus illi, qui in corpore sunt, quive affectum aut præcedunt, aut consequuntur, pro ipso affectu sunt habendi.

§. XXVIII.

Multo magis illi falluntur, qui non in voluntate, sed in intellectu sedem propriam affectuum quaerunt: vniuersali hominum iudicio, qui non intellectu, sed corde ac voluntate se amare, odisse, quam luculentissime sentiunt, et ipsa experientia conuincuntur, repugnantes. Id quod istis, qui præiudicatarum opinionum vacui sunt, non magis persuadebunt, quam illud, quod fundamenti loco ponunt, intellectum tantum pati, voluntatem agere, affectusque nihil aliud quam passiones esse.

§. XXIX.

Accedit, quod quilibet etiam se ipsum explorans, facile deprehendit, voluntatem tantum bonis et malis, eorumque repræsentatione

ne affici et moueri, seu ad agendum stimulari. Quare et supra voluntatem, *facultatem boniformem*, a nonnullis dictam obseruauimus. Certe longe aliud quid in se geri, quando rem aliquam cognoscit, longe aliud, quando bonum aut malum percipit, quilibet fateri necesse habet: id quod sufficit, vt intelligamus, bona et mala, quorum repraesentatio affectum producit, ad voluntatem pertinere.

§. XXX.

Iam quod ad rem ipsam attinet, communi fere consensione philosophi docent, affectus esse *commotiones*. Nec male, si intelligantur *actiuae*. Etenim et quoad hosce motus corporis, qui ab obiectis gratis aut ingratiss excitantur, voluntas vel *passiue* se habet, motus hosce excipiendo, vel *actiue*, appetendo scilicet aliquid et auersando. Et hae commotiones actiuae demum, affectum constituunt, licet passio quaedam siue motus exceptio semper praecedat. Vnde et quo sensu affectus *passiones* vocari possint, liquet.

§. XXXI.

Sunt etiam in corpore motus, qui omnem affectum comitantur, quorum alii tamen mentis commotionem praecedunt, alii sequuntur. Primo enim (ordine namque affectuum generationem delineare iuuat) quoties obiectum aliquod affectum excitare aptum, sensibus excipitur, statim spiritus animales agitantur, seque

que in cerebrum recipiunt, mentem velut de rei nouitate certiozem reddituri.

§. XXII.

Hinc itaque voluntati nostrae imago istius rei offertur, et ad appetitum aut auersionem sollicitatur, quae ipsa est voluntatis passio. Cum vero voluntas ex federis, quo mens corpori iuncta est, lege, et aliis etiam de causis, motibus corporeis facile obtemperet, hinc in omni affectu, quamprimum imago ista obiecti, voluntati ex libetur, sequitur *propensio* voluntatis. Haec *propensio*, saltem in hocce hominum statu, maxime naturalis est, et non potest tolli aut eradicari. Seneca eam *primum gradum* affectus vocat, a quo tamen plerique Stoicorum dissentiunt, qui eam plane non pro affectu reputant.

§. XXXIII.

Si haec *propensio* non statim in prima herba suffocetur, vires acquirit affectus, et voluntas non amplius propendet ad id, ad quod a motu corporis impellitur, sed approbat etiam hunc motum, et plane cum eo consentit. Stoici alterum huncce affectus gradum *συγκατάθεσις* vocant, et communiter pro affectus initio venditant. Perperam quidem, cum iam ipsa *propensio* sit quaedam voluntatis commotio.

§. XXXIV.

Tandem ultimus quandoque gradus sequitur,

tur, Stoicis *ὄρεσι* dictus, quando voluntas iam citato cursu in praecipitia ruit, spretoque omni rationis dictamine, omnia ea approbat, et vehementer cupit, ad quae per corporis motus abripitur.

§. XXXV.

Sed ipse voluntatis motus, in quo praecipue affectus consistit, distinctius nobis explicandus est. Nimirum quemadmodum in omni motu *terminus a quo* et *terminus ad quem* considerari potest, ita quoque in hac voluntatis commotione transitus fit a *malo* ad *bonum*, siue verum illud sit, siue apparens. Saepius enim fit, ut id, quod vere bonum est, nobis ut malum repraesentetur, adeoque voluntas ab eo ad aliud, quod illi ut bonum exhibetur, sed reuera malum est, transeat.

§. XXXVI.

Ita sane est, cum voluntati, quod illi gratum est, exhibetur, priuatio huius grati, mala videtur: ab ea itaque transit ad bonum siue gratum consequendum, illud appetendo. Contra si ingratum sit quod illi offertur, bonum illi videtur hoc amoliri, adeoque illud auersatur. Transit itaque a praesentia mali, ad eius absentiam.

§. XXXVII.

Non inepte ergo hinc inferitur, affectus semper in bonum, aut malum aliquod futurum, tendere. Ceteroquin enim non possent commotio-

motiones vocari, cum omnis motus fiat a *termino a quo ad terminum ad quem*. Hoc autem ob-
tento, motus cessat.

§. XXXVIII.

Praeterea et illud sequitur, perperam nonnul-
los *dolorem* et *voluptatem* ipsis affectibus annu-
merare, licet illud certum sit, quod affectus co-
mitentur, eosque consequantur.

§. XXXIX.

Non magis etiam *fames*, *sitis*, et alii motus
corporis, qui appetituum naturalium nomine
veniunt, affectibus sunt annumerandi. Non
enim sunt commotiones voluntatis. Interim
affectibus occasionem suppeditare possunt.

§. XL.

Idem sentiendum de subitaneo *terrore*, ex so-
nitu vehementiori, similibusque de causis nos
percellente. Hic enim voluntas nihil agit, licet
spirituum animalium vehementissima sit agi-
tatio. Potest tamen et hinc facile oriri affectus,
si accedat obiecti cuiusdam sub ratione boni et
mali, repraesentatio.

§. XLI.

Denique nec eos motus, qui *sympathiae* et
antipathiae nomine veniunt, et ab effluviis ex
obiecto hosce motus excitare apto, in corpus
nostrum transeuntibus, motumque sanguinis
et spirituum animalium ordinarium turbanti-
bus, oriuntur, ad affectus referre licet. Nam-
que et hic mens nostra saltem aliquid patitur,
adco-

adeoque illud, quod maxime affectum absoluit, voluntatis actio, deest.

§. XLII.

Ad causas affectuum rite diiudicandas obseruandum, vocem istam vel strictiori significato, solum voluntatis commotionem indicare, vel laxiori ipsos etiam motus corporeos praecedentes, connotare. Si priori modo sumatur, causa proxima affectus erit ipsa *spirituum animalium agitatio*: si posteriori modo capiatur, causa proxima erit ipsa *objecti cuiusdam, sub ratione boni aut mali repraesentatio*, remota autem, praeter alias corporis dispositiones, cum primis *temperamentum*, quo quisque gaudet. Qua de re deinceps pluribus exponemus.

§. XLIII.

Repraesentatio autem, quam pro causa proxima venditauimus, vel *extrinsecus* ab objecto in sensus incurrente, vehementiusque nobis impresso: vel *intrinsecus* ab *objecti* renouatione, vel plane noui cuiusdam fictione, opera *imaginationis* facta, prouenit.

§. XLIV.

Nimirum non tantum a veris imaginibus, perceptionibusque naturae rerum ipsarum congruentibus, sed a *falsis etiam fibrisue imaginibus*, affectus excitari posse, ipsa quomuis docet experientia. Id quod tum maxime contingit, cum mens aliunde impedita, de veritate

tate vel falsitate rei, quam sibi imaginatio sistit, non est sollicita: vel ab ipsa voluntate, quo minus sollicita sit, prohibetur.

§. XLV.

Bonum vero et malum, quod nobis repraesentatur, ita considerari debet, prout ad nos refertur. Si enim ad alium referatur, et nos existimemus, parum nostra interesse, sitne huic male an bene, nullus inde excitabitur affectus.

§. XLVI.

Atque hinc istud etiam intelligere licet, male a nonnullis *admirationi* locum inter affectus concedi. Namque ut alia taceam, primo admiratio, ut deinceps docebitur, est operatio intellectus, non autem voluntatis. Deinde admiratio ab eiusmodi etiam excitari obiectis potest, quae nec bona nec mala sunt. Id quod in affectibus secus se habet. Accedit denique, quod admirationem nulla sequatur in corde et sanguine mutatio.

§. XLVII.

Quae affectus consequuntur, partim ad mentem, partim ad corpus pertinent, licet eorum, quae ad hoc spectant, mentio saltem in definitione facta fuerit. In mente conspicitur *proclivitas perperam iudicandi*, quamdiu affectus durat. Non enim potest rem considerare, prout in se est, obstantibus, quibus a voluntate repletur, praesudiciis.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Accedit intellectus-determinatio. Cum enim, ut supra probatum, intellectus quoque voluntatis iussui obtemperet, fieri in vehementiori voluntatis commotione aliter nequit, quam ut intellectus obiectum illud, quod passionem excitat, acriter et sedulo contempletur, sed eo modo, quo hoc vult considerari voluntas. Hinc hominum affectu abreptorum, absurdissima iudicia, quae ipsi motibus consopitis, et tempestate sedata, magnopere detestantur.

§. XLIX.

A phantasia autem siue intellectu imaginibus utente, nihil sani hic expectari potest, cum vehementissimus spirituum animalium motus omnia in cerebro conturbet, et menti facultatem imaginibus rite utendi, plane adimat.

§. L.

Ut vero ex affectibus saepius repetitis proclivitas quaedam et propensio, facilitasque enascitur, ita ut quo saepius homo eo affectu abreptus est, eo facilius abripiatur in posterum: ita et ipsi menti habitus quidam, perperam de rebus ad hunc affectum pertinentibus iudicandi, inducitur, ut adeo tum quoque, cum mens vehementiori motu non agitur, minime tamen verum videat, sed id bonum iudicet, quod propensioni suae ex affectibus saepius iteratis ortae, est conveniens.

§. LI.

§. LI.

In corpore autem sequitur *motus extraordinarius sanguinis*, hoc est, vel *effervescentia et ebullitio*, vel *frigus* quoddam et *torpor*, prout maior aut minor spirituum animalium praesto est copia.

§. LII.

Quin accedit etiam *membrorum quorundam positio singularis*, affectui respondens. Plerique enim spiritus animales in musculos faciei, brachiorum, crurum, &c. citato deriuantur cursu, ut corpus in eum componant habitum, qui acquisitioni boni, et fugae mali inseruit. Nonnunquam etiam, praesertim, ubi corporis vires ad finem passionis obtinendum non sufficiunt, spiritus animales certam illi exprimunt vocem, certumque vultum et habitum corpori inducunt, quibus alii ad similem affectum facile commoueri queant, ut laborantibus auxilio esse velint. Quod ipsam diuinæ prouidentiae luculentissimum est argumentum.

§. LIII.

Denique et *dilatatio* quaedam et *expansio* organorum versus grata et iucunda, *contractio* autem et *fuga* ab obiectis ingratis et molestis, interuentu spirituum animalium et sanguinis facta, ad passionum effectus iure meritoque referuntur.

§. LIV.

Nec praetermittendum est, in omni affectu
 D esse

esse quandam *delectationem*, etiam in iis, qui ab obiecto ingrato excitantur. Id quod inde provenire arbitror, quod partim in omni motu sanguinis, et spirituum animalium extraordinario, fit quaedam velut titillatio, partim quod intellectus, ut antea dictum, a voluntate in partes tractus, motum illum ab obiecto hoc excitatum, convenientem tamen iudicet. Atque haec haud extrema causa est, quod affectus orientes non statim reprimantur, aut in ipsa, quod aiunt, suffocentur herba.

§. LV.

Tandem et usum affectuum, in definitione paucis indicatum, vel tribus edisserere verbis iuabit. Primo itaque constat, affectus ad hominis facere conseruationem, sanitatem eius fovendo. Non male nonnulli spirituum agitationem in homine, idem praestare dicunt, quod venti in hoc terrarum orbe praestant. Quemadmodum enim hi aerem purgant, ita illi sanguinem quasi ventilant, ne stagnans putrescat.

§. LVI.

Habent vero affectus et alios usus, quos unico complectar fasce. Extimulatur nimirum is homo ad ea expetenda, quae ratio utilia et salutaria esse dicitur, praeterea ad praesentis vitae felicitatem, aut miseriam, non alia magis res quicquam confert, quam affectus: maximopere etiam ad vitam socialem conducunt,

cunt, quia nullum fere virtutis est officium, ad quod prompte praestandum affectus nos non impellant.

§. LVII.

Habent tamen, praesertim si nimii sint, modumque excedant, et sua incommoda, quae iam ex supra dictis patent. Tenebras videlicet intellectui offundunt, iudicium corrumpunt, rationem de throno deiciunt, et ad varia saepius crimina homines impellunt. Sed hac de re suo loco ex instituto dicetur.

§. LVIII.

Diuidi affectus varie a philosophis solent, sed mihi rem facillime et rectissime expedire videntur, qui ex *obiecti*, et *modi*, quo circa illud affectus versatur, varietate, discrimen aliquod inter eos constituunt.

§. LIX.

Nimirum versatur voluntas nostra aut circa *bonum*, aut circa *malum*, illud appetendo, hoc fugiendo et auersando, vnde duos principes affectus, ex quibus etiam ceteri omnes comode deriuari possunt, *appetitum* siue *amorem*, et *auersationem* siue *odiam*, constituere placet.

§. LX.

Equidem eo ipso, dum rem gratam siue bonam appetimus, non possumus non absentiam eius odisse, et vice versa, dum rem ingratham auersamur, non possumus non absentiam eius amare: nihilosecius cum alteruter motus alte-

ro semper praeponderet, mentemque aliter afficiat, recte hi motus a se inuicem discernuntur, et diuersis insigniuntur nominibus.

§. LXI.

Amoris itaque nomine intelligo motum voluntatis, rem quandam a sensibus, aut phantasia, sub ratione boni, aut grati, repraesentatam appetentis, quem sanguinis et spirituum animalium agitatio, motui huic conformis sequitur. Recte autem amorem ita a nobis definiri is intelliget, qui secum expenderit, amoris nomine nunc nobis neutiquam *perpetuam voluntatis inclinationem* aut *propensionem*, aut *habitum*, vt nonnulli vocant, sed affectum, eumque non *mentalem*, nec *corporeum*, sed *sensualem*, denotari.

§. LXII.

Similiter & *odium* est motus voluntatis, rem a sensibus, aut phantasia, sub ratione mali, aut ingrati, repraesentatam, auersantis, quem itidem sanguinis et spirituum animalium agitatio, motui huic conformis, consequitur.

§. LXIII.

Possunt autem hi affectus diuersimode considerari, prout diuersa voluntatis circa bonum et malum est operatio, vnde et ceteri affectus, quos *deriuatiuos* vocant, progignuntur. Et primo quidem spectari potest iudicium, quod de re amata menti nostrae sedet. Aut enim amans rem amatam pluris aestimat quam seipsum, aut

aut minoris, aut amatum apud amantem tantidem est, atque ipse sibi. Hinc nonnulli alium amorem *benevolentiae*, alium *amicitiae*, alium *deuotionis*, constituunt. Fateor tamen, hasce voces affectibus illis exprimendis parum aptas esse.

§. LXIV.

Deinde secundum boni amabilis differentiam, amor quoque variat. Aliud enim bonum *verum* est, ut suo tempore demonstrabitur, aliud *apparens*. Et apparens quidem prout aut aestimationem, quam homo de se habet, aut sensus eius externos, speciali quadam ratione mouet, aut ipsi ad eius conseruationem facere videtur, iterum vel *decorum*, vel *iucundum*, vel *utile* est.

§. LXV.

Hinc itaque alius amor boni veri, quem *honestum* dixeris, alius boni decori, qui *amor gloriae & honoris* vocari poterit, alius denique boni iucundi, siue *amor voluptatis*, et boni utilis, siue *amor diuitiarum*. Hi autem affectus cum ipsis propensionibus, et naturalibus inclinationibus, ad haec bona, neququam sunt confundendi.

§. LXVI.

Quod de amore dictum, idem et de odio intelligendum. Namque et illud vel secundum opinionem, quam de re, quam odio prosequimur, habemus, vel secundum mali, quod

odium in nobis excitat, differentiam, eadem plane ratione diuidi potest.

§. LXVII.

Praeterea prout bonum aliquod facile aut difficulter obtineri potest, rursus alii inde oriuntur affectus. Nimirum amor alicuius boni, quod facile a nobis obtineri posse, credimus, *spes* vocatur. Cum autem spes ita firma est, ut nulli plane dubitemus, nos bonum istud consecuturos, *fiducia*, atque *securitas* inde oritur.

§. LXVIII.

Auerfatio mali nobis imminentis, sed quod nos adhuc declinare posse putamus, *metus* vocatur: contra si nulla nobis praesto sit ratio illud euitandi, *desperatio*.

§. LXIX.

Cum non tantum nos bonum aliquod facile consecuturos videmus, sed etiam possessionem eius aut possessionis continuationem instare animaduertimus, *laetitia* inde enascitur: *tristitia* contra, cum mali imminentis et iam iam praesto futuri, aut vterius continuandi, auertendi aut declinandi, nullam plane videmus rationem.

§. LXX.

Si laetitia cum vehementiori motu sit coniuncta, causa eius inopinato nobis oblata, *consternatio* gignitur: *terror* autem et *trepidatio*, si idem, in tristitia contingat.

§. LXXI.

§. LXXI.

Vt vero ipsum bonum et malum, *maius* aut minus est, ita etiam affectus, tum qui circa finem, tum qui circa media finem consequendi versantur, vehementiores aut minus vehementes sunt. Hinc primo ipsius amoris et odii diuersi gradus sunt, quos propriis nominibus discernere, difficile fuerit.

§. LXXII.

Quod si autem vehementiori amoris motu inflammemur, media ad bonum consequendum necessaria adhibendi, *audacia* vel *animositas*, si languidiori, *pusillanimitas* inde oritur. Ast si aliorum, quibus idem feliciter cedere videmus, exemplis excitemur, *aemulatio* dicitur.

§. LXXIII.

Rursus si ad malum imminens propulsandum languidiori motu feramur, *indignatio*, si concitatori, *ira* vocatur, quae prout cito transit, aut firmitus animo infidet, aut etiam ob alias *negotiosas*, alias sortitur denominationes.

§. LXXIV.

Porro bonum aut malum, amorem odiumque excitare aptum, aut *immediate* nos tangit, aut *mediate*. Si *immediate*, tum species affectuum hactenus recensitae inde oriuntur. Si *mediate*, tertio, cui aliquid bonum aut malum contingit, aut bene aut male cupimus. Si illi bene, saltem non male cupiamus, eique aliquid mali obueniat, enascitur inde *commiseratio*,

ratio, quippe quae nihil aliud est, quam odium mali, quod homini, cui bene cupimus, accidit.

§. LXXV.

Si eidem, cui bene cupimus, aliquid boni accidat, oritur inde species laetitiae, qua huius boni continuationem exoptamus, quam nonnulli *congratulationem* vocant.

§. LXXVI.

Ast si bonum nondum adsit, quod ut tertio obteniat, optamus, *favor* appellatur: accedente autem causa peculiari, quare hoc optemus, v. g. quod magna ab eo in nos profecta sint beneficia, *gratitudo* inde resultat.

§. LXXVII.

Viceversa, si alicui, cui male, saltem non adeo bene, cupimus, aliquid mali evenit, *irrisio* progignitur: quemadmodum si bono quodam idem potiatur, *invidiam* inde oriri constat.

§. LXXVIII.

Et hi quidem affectus sunt, qui ex amore et odio ceu primis fontibus facili negotio, et quidem *immediate*, deducuntur. Sunt vero et alii, qui mediate hinc fluunt, aut saltem ita comparati sunt, ut cum affectibus quibusdam derivativis, peculiaris illis intercedat cognatio.

§. LXXIX.

Sic ad amorem honoris & gloriae refertur quoque amor laudis, siue cupiditas, ut alii bene

ne de nobis sentiant. Hanc enim nonnulli pro affectu peculiari venditant, et minus accurate *gloriam* vocant. Spectat huc etiam *pudor*, qui nihil aliud est, quam metus vituperii, siue metus, ne alii minus honorifice de nobis sentiant.

§. LXXX.

Amor diuitiarum cum itidem varia obiecta habeat, in varias etiam abire potest species, quae suis tamen nominibus non solent discerni, nec possunt. Saltem summum eius gradum, *sordiditatem*, sumpta hac voce pro affectu, nonnulli appellitant.

§. LXXXI.

De voluptatis desiderio idem censendum, nisi quod cibi, et potus, veneris, otiique cupiditatem, (prout hi motus ad affectus referri possunt, voluntatisque commotionem secum coniunctam habent, nam prout appetitus mere naturales sunt, huc non spectant) sigillatim commemorari videas. Ego addo amorem voluptatis eruditae, cuius perpetua aut comes aut filia est *curiositas*, hoc est cupiditas animum variarum rerum cognitione oblectandi.

§. LXXXII.

Ceterum vt admirationem merito e numero affectuum eiecimus, ita et de *existimatione ac contemptu* non aliter possumus sentire. Nimirum neutiquam sunt affectus, sed tantum iudicia intellectus de valore ac pretio rerum,

D §

quae

quae aliquando cum admiratione sunt coniuncta. Et per se quidem hisce vocibus, nihil aliud quam iudicium aliquod, seu opinio indicatur: saepius tamen contingit, vt haec iudicia non tantum admirationem, sed ceteros quoque affectus comitentur.

§. LXXXIII.

In specie autem si cum amore coniuncta sit *existimatio*, enascitur inde *veneratio*: quemadmodum vice versa, si odium comitetur *contemptus*, non potest non inde prouenire *dedignatio*.

§. LXXXIV.

In mixti siue compositi affectus exemplum *zelotypia* adferri solet, quippe quae ex odio et amore, erga diuersos tamen homines, aut erga vnum quidem hominem, sed diuerso respectu nobis consideratum, conflata esse videtur.

§. LXXXV.

Nec illud praetermittendum, quosdam affectus certa ratione inter se iunctos esse, vt vnus fere alterum comitetur. Sic cum gloriae cupiditate *iram*, *audaciam*, *aemulationem*, cum diuitiarum amore *inuidiam*, cum amore voluptatis *metum*, *pusillanimitatem*, *commiserationem*, similesque affectus, coniunctos esse, recte nonnullis obseruatum est. Cuius asserti vsus et causa in sequentibus patebit.

§. LXXXVI.

De voluptate, quae affectus in voluntate sequi-

sequitur, illud tandem obseruandum, quod in animi quadam tranquillitate consistat, quae sequitur, si bonum ipsum simus consecuti, et simul certi simus, possessionem huius boni aut perpetuam, aut diuturnam fore. Huc referunt nonnulli *satisfactionem*, h. e. voluptatem mentis: in recte factorum conscientia, placide acquiescentis. Quae autem ex recordatione alicuius boni, quod habuimus, oritur voluptas, *hilaritas* nuncupatur.

§. LXXXVII.

Dolor contra, voluptati ita consideratae oppositus, est perceptio molestiae, quam malum praesens affert. Quae molestia si ex eadem re, quam antea vt bonam appetiuimus, procedat, *fastidium*, si ex absentia boni, quod antea possedimus, *desiderium* vocatur. Quod si ex factis, quae non perpetrasse nostra interest, oriatur, *pœnitentia*, si vero dubitemus, rectene an perperam egerimus, *morsus conscientiae*, appellatur. Sed haec maximam partem ad voluntatem puram pertinent.

§. LXXXVIII.

Vltima, quae menti, quatenus cum corpore agit, tribuitur facultas, est memoria *sensualis*. Huius vt explicent naturam indolemue, nonnulli sequenti ratione philosophantur. Ponunt, spiritus animales cum particulis ab obiectis prouenientibus, per cerebri fibras transcurrentes, certa in illis relinquere vestigia, et
mea-

meatus, quos deinceps iterum longe facilius quam alios ingrediantur. Hinc quo saepius particulae ab obiectis prouenientes cerebrum intrant, vel quo vehementius spiritus animales concitantur, eo patientiores etiam fieri motus, per quos processerunt, et ipsas cellulas magis magisque distendi, ut spiritus animales eo facilius deinceps in eos meatus et particulas obiecti, quae cerebrum ingressae, in illis velut hospitantur, incidant.

§. LXXXIX.

Haec vestigia, inquit, si iterum deleantur, id quod particulis istis sensim discedentibus, fieri necesse est, vocatur *obliuio*. Vnde patet, quo saepius obiecti in cerebrum facta est impressio, eo firmiorem quoque fore memoriam. Sed cerebri tamen constitutio plurimum quoque huc confert. Prout enim eius substantia magis aut minus fuerit fluida, viscosa, sicca, firmiter etiam vestigia haec illi inhaerebunt, aut citius delebuntur. Sed istud quidem de memoria, quam corpoream vocant, est intelligendum.

§. XC.

Mens nostra, si hos potro audias, ratione memoriae huius corporeae dupliciter se habet, vel *passive* vel *active*. *Passive* quidem se habet, si idem aut simile obiectum cerebro impressum, eandem imaginem, quae illi oblata fuit, cum prima vice cerebro imprimeretur, illi obiciat.

Id

Id quod tum quoque fieri potest, cum mens nihil minus, quam istud expetit, quin cum serio optat, vt vestigia istius rei plane deleantur, et imago nunquam recurrat. Et hoc modo obliuio quoque non ita in nostra posita est potestate, vt semper alicuius rei nobis obliuisci liceat. Quin saepius contingit, vt quo magis delere rem ex memoria annitimur, eo saepius recurrat, et aliquando fortius illi imprimatur.

§. XCI.

Actiue mens circa memoriam versatur rem attentius considerando, vel saepius eandem imaginem reuocando, vnde fortius eandem cerebro imprimi necesse est. Contra quarum vult obliuisci, earum imagines remouet, quod tamen, vt ante diximus, non semper aequè feliciter illi cedit. Recordamur autem alicuius rei, cum mens beneficio spirituum animalium vestigia et meatus in cerebro existentes referat, et imagines in illis latitantes, iterum prodire iubet. Vbi si spiritus animales non statim in veram imaginem, quam mens nostra quaerit, incidunt, porto ad omnia rerum impressarum, et cum illa, quae quaeritur, conuenientiam quandam habentium, vestigia excutienda eos determinat, donec tandem vera imago producatur.

§. XCII.

Multarum rerum memoria, hoc est facultas
mul.

multas res siue auditu, siue visu perceptas in memoriam sibi reuocandi, peculiari nomine *experientia* vocatur, cuius in morali et ciuili doctrina, prout circa singularia versatur, maximus vsus est. Equidem cum ex multis experimentis per inductionem conclusio quaedam vniuersalis formatur, itidem experientia vocari solet, sed haec est species quaedam ratiocinationis, et cum experientia priori modo accepta neutiquam est confundenda.

SECT. III.

de

CORPORE EIVSQUE PARTIBVS, VT ET REBVS EXTRA HOMINEM POSITIS, QVAE AD MORES ALIQVID CONFERVNT.

Σύνοψις.

<i>Cur de corpore, rebusque extra hominem positis, hic agendum, §. I.</i>	<i>Vnde quatuor oriuntur temperaments, §. VIII.</i>
<i>Mentem corpore esse praestantiores, §. II.</i>	<i>Pro temperamentorum varietate, affectus moresque hominum variant, §. IX.</i>
<i>Nec tamen corpus tantum pro organo aut ergastulo mentis esse habendum, §. III.</i>	<i>Mores temperamentis sanguinei, §. X.</i>
<i>Partium corporis distinctiones variat, §. IV.</i>	<i>Cholerici, §. XI.</i>
<i>Speciatim partium fluidarum ratio, §. V.</i>	<i>Melancholici, §. XII.</i>
<i>De circulatione sanguinis, et vita vegetatiua, §. VI.</i>	<i>Pblegmatici, §. XIII.</i>
<i>De natura sanguinis, §. VII.</i>	<i>Temperamentorum mixtio, §. XIV.</i>
	<i>Corporis humani nutritio, accretio, multiplicatio, §. XV.</i>
	<i>De praerogatiua sexus, §. XVI.</i>
	<i>Andro-</i>

- Androgyni, Eunuchi, §. XVII.* Quae formositatis quoad mores vis sit, §. XXXVIII.
- Diversitas morum ratione aetatis, §. XVIII.* Itemque deformitatis, §. XXXIX.
- Mores puerorum, §. XIX.* Quod de rebus extra bonitatem positis etiam agendum sit, §. XL.
- Quid iuventus, et adolescentia, §. XX.* Illae sunt vel naturales, vel civiles, §. XLI.
- Mores iuvenum, §. XXI.* Quae temporis quoad mores vis sit, §. XLII.
- Virorum, §. XXII.* Et locorum, §. XLIII.
- Senum, §. XXIII.* Quid res civiles seu entia moralia? §. XLIV.
- Per aetatem mutari mores, non quoad speciem, sed quoad gradum, §. XXIV.* Secundum statum, homines vel nobiles sunt vel plebei, §. XLV.
- Vita corporis sensualis, in quo consistat? §. XXV.* Mores Nobilium, §. XLVI.
- Sensus vel interni sunt, vel externi, §. XXVI.* Plebiciorem, §. XLVII.
- Quid sensus externi, §. XXVII.* Imperantium, §. XLVIII.
- De appetitibus corporis naturalibus, §. XXVIII.* Subditorum, §. XLIX.
- De facultate eius locomotiva, speciatim loquela, §. XXIX.* Potentium, et minus potentium, §. L.
- De sermone, §. XXX.* Quod mores quoad singula vitae genera variant, §. LI.
- De somno, vigilia, somniis, §. XXXI.* Quae laudis, vituperii, poenae, praemii, in mores hominum vis sit, §. LII.
- Ratio, cur in somniis repraesententur res praeteritae, §. XXXII.* De rerum quantitate et qualitate, §. LIII.
- Ei futurae quoque, §. XXXIII.* Diuitiarum quae in mores hominum vis sit, §. LIV.
- Quod somniorum in morum doctrina, habenda sit ratio, §. XXXIV.* LV. LVI.
- De sanitate et morbo, §. XXXV.* Mores pauperum, §. LVII.
- Quod hinc certa mentis dispositio pendeat, §. XXXVI.* Cur honores et opes, fortunae munera audiant, §. LVIII.
- De formositate et deformitate, §. XXXVII.* Quid

64. EIVSQUE PARTIBVS ET REBVS EXT.

Quid fortuna et fasum, §. LIX. fortunatorum, §. LXI.
 Quo sensu quilibet fortunae introitus, §. LXII.
 suas faber dicatur, §. LX. An matri plus quam patri
 mores fortunatorum et im- debeat? §. LXIII.

§. I.

Est haec hominum conditio, vt non tantum internis motibus diuersimode agitentur, sed vt ipsa etiam corporis constitutio, resue, quae extra nos positae sunt, variis cupiditatibus propensionibusue, quae aut miserum aut felicem hominem reddunt, occasionem praebeant. Quare de corpore quoque hominis, rebusque, quae hominem circumstant, quaedam afferenda in medium sunt.

§. II.

Equidem si corpus cum mente contendamus, deprehendemus, mentem corpore longe praestantiorē nobilioremque esse, quin cum ea sola brutis praestet, *hominis dignitatem* hinc vnicē esse metiendam. Neutiquam ergo illis suffragari possum, qui corpori plus quam menti deferunt.

§. III.

Nec tamen cum illis facio, qui corpus saltem pro instrumento nudo animae, aut eius ergastulo habent, et sola mente hominem absolui contendunt. Hoc enim si esset, nunquam sapientissimus rerum conditor, mentem corpori iunxisset.

§. IV.

Ceterum in corpore humano primo considerari

derari possunt partes, ex quibus componitur, quarum aliae sunt *integritates*, et *essentiales*, aliae *accidentales*, et *accessoriae*: rursus nonnullae sunt *consistentes* et *solidae*, aliae autem *fluidae*, aliae denique ex fluentibus et solidis *compositae*.

§. V.

Ad partes fluidas referri solent, tum *liquores*, tum *vapores*. Liqueorum varia sunt genera, ut saliva, limpha, bilis, succus pancreaticus, sed nobilissimus praestantissimusque inter omnes est sanguis. Ad vapores autem pertinent *spiritus*, quos a diuersis functionibus, nonnulli in diuersas iterum classes dispescunt, alii autem profus non admittunt.

§. VI.

Sanguis autem motu automatico per totum corpus mouetur, dum ex vena caua, in dextrum cordis ventriculum defluit, et ab eo per arteriam pulmonariam in pulmones defertur, ex pulmonibus autem per venam pulmonariam in sinistram cordis ventriculum redit, et hinc denique per aortam seu arteriam magnam ad reliquas corporis partes deuehitur. Et in eo quidem sanguinis motu fundamentum vitae vegetatiuae consistit.

§. VII.

Praeterea componitur sanguis ex particulis diuersi generis. Namque et serum, et crassiores quasdam seu terrestres partes, et aliquid oleaginosum, cum salibus in eo se depre-

E

hen.

hendisse, naturalium rerum periti testantur. Quae si diuersa ratione inter se mistae sint, oritur inde ista temperamentorum diuersitas, quae non tantum diuersum admodum corporum habitum, sed mores quoque et propensiones diuersissimas in animos inducit.

§. VIII.

Nimirum, si firmo, quae haecenus supponimus, nitantur talo, *phlegmaticum* quidem resultabit temperamentum, si prae reliquis sanguinis partibus, serum abundauerit: aut si terrestrium particularum maior fuerit copia, tum quod *melancholicum* dicitur, inde orietur. Rursus *cholericum*, materiae oleaginosae et inflammabilis copia occasionem praebebit, ut salium abundantia, *sanguineo*.

§. IX.

Patet ergo causa remota affectuum, quam supra indicauimus. Pro temperamentorum enim diuersitate, homines etiam ad hos aut alios affectus, procliuiiores esse solent, cum etiam mens ipsa, saltem in operationibus mixtis, corporis constitutionem facile sequatur. Sed praecipua causa haec est, quod per temperamenti indolem facilius certi corporis motus excitentur, qui mentem secum abripiant.

§. X.

Scilicet qui *temperamento sanguineo* gaudent, ut vegeto plerumque sunt corpore, et quendam in vultu ruborem praefertunt: ita ad volupta-

luptates per naturam sunt proclives. Nihil rei seriae pene meditantur, sed in iocos, cantilenas, et dicteria effusi, nihil nisi delicias affectant. Quoad ingenium, phantasiam siue vim imaginatricem primum fere locum in hominibus eiusmodi obtinere, videas. Hinc et ad poësin, artesque, in quibus imaginandi facultas dominatur, cum primis apti sunt.

§. XI.

Biliosi contra, seu qui multa bile abundant, feruidi, animoque concitato sunt. Hosce homines ambitio vexat, suntque adeo ad iram etiam proclives, quippe qua ob materiae oleaginosae subtilitatem, et repentinam incensionem impotentius accenduntur, sed absque mora tamen feruor defervescit. Ratione ingenti, iudicio maxime pollent, adeoque ad eas artes scientiasque, in quibus iudicium primas tenet, per naturam sunt apti. Cum primis viros politicos, et magnis rebus gerendis idoneos, hac indole praeditos esse videas.

§. XII.

Melancholici autem, in quibus atra bilis seu terrestris materia dominatur, segnius quidem effervescunt, multamque temporis exigunt, ut ad furorem adigantur: verum irritatis furor senescit, manetque alta mente reposita iniuria. Avaritia quoque horum pectoribus insidet, adeoque et ad inuidiam, ceterosque affectus hanc comitantes, sunt proclives. Ex ingenio

genio si eos metiri placeat, memoria illos valere deprehendemus, hinc et artes, quae excellentem memoriam exigunt, vt historia in se spectata, et iurisprudentia, quatenus legum et canonum notitia absoluitur, cultores tali ingenio instructos, postulant.

§. XIII.

Pblegmatici cum frigida humentique sint indole, vix aliquo animi affectu facile concitantur. Sunt contra tardi, somnolenti, pigri, et omnis irae aculeis destituti. Quo fit, vt magnorum quidem scelerum vix sint capaces, et haecenus patientia sua virtutis quandam speciem prae se ferre videantur. Sed ignauia tandem, et quiduis potius quam virtus est, si res accuratius consideretur. Ingenii etiam viribus fere destituuntur, adsoque ad litteras quoque tractandas inepti sunt.

§. XIV.

Ast semper hic meminisse iuuabit, nominatim mortalium aequali temperamento gaudere, sed omnes de haecenus enumeratis, sed diuerso admodum modo, pro mixturae et graduum diuersitate, participare. Nec istud praetermittendum, aetatem, fortunam, aliasque causas saepius obflare, quo minus temperamentum suas exerere vires, aut eo modo eas exerere queat, quo ceteroquin exerere solebat ac poterat.

§. XV.

§. XV.

Solent et motus vitales in corpore humano constitui, quibus itidem sanguinis motus inferuit, videlicet, *nutritio*, *accretio*, et *multiplicatio* corporis viventis, quae et generatio, siue propagatio dicitur, ad quam in homine quidem, vt et aliis animalibus, mas et foemina requiruntur. Hinc *diuersitas sexus*.

§. XVI.

De *sexu* itaque illud obseruandum, *naturaliter* nullam vnus prae altero esse praerogatiuam, nisi quod foeminae ob corporis conditionem, non ad quosuis labores, et negotia, idoneae esse videantur. Quod autem ratione animi, inter mares et foeminas intercedere discrimen videtur, licet ex temperamenti qualitate etiam dependeat, (quo ipso tamen minime vniuersale erit) maximam partem tamen ab educatione pronascitur.

§. XVII.

In *androgynis* licet sit aliquis naturae excessus, ex eo tamen homines esse non desinunt, cum partes essentiales hominis omnino adsint. Ad quod de *eunuchis* etiam et *castratis* censendum. Abortus autem, hoc est foetus ante tempus suum in lucem editus, tum demum hominibus annumerari solet, si viuat, aut signa adsint, illum vixisse. Quod si autem asseramus, organorum efformationem ad essentiam hominis non requiri, quilibet *embryo* pro homine erit reputandus.

§. XVIII.

In homine in lucem edito *aetates* quoque distinctius considerari solent, nec sine ratione, cum singulae *aetates* quandam propensionum, ipsorumque adeo morum (non quoad speciem, sed quoad gradus) mutationem, secum coniunctam habeant.

§. XIX.

Prima aetas *pueritia* est, quae secundum nonnullos Iure-consultos ad annum decimum quartum in pueris, in puellis ad duodecimum excurrit. Sed certus annus definiti nequit, cum alii citius, alii tardius pro locorum, et temperamentorum, et educationis diversitate, pubescant, et rationis quoque usum consequantur. Ob copiam humoris aetati puerili temperamentum phlegmaticum fere proprium est, hinc magnorum vitiorum non sunt capaces pueri, nisi quod otiositas, et somnolentia, illis tribui solet.

§. XX.

Alterâ aetas *iuuentus* est, quo nomine et *adolescens* designo. Sunt tamen, qui hanc ab illa discernunt, et per adolescentiam illud spatium designant, quod a decimo octavo ad vigesimum quintum annum extenditur; per iuventutem autem, quod a vigesimo quinto ad trigessimum quintum, protenditur. Sed moribus non videntur adeo ab adolescentibus differre iuvenes. Hinc utramque aetatem coniungimus.

§. XXI.

§. XXI.

Nimirum *iuuentus* fere temperamento sanguineo respondet. Hinc ad voluptates sunt proclives, eosque affectus, qui hinc oriuntur. Ratione ingenii, imaginandi facultas in illis dominatur, iudicii autem defectus vbique se exerit. Hinc imprudentia, et praecipitantia, vitia sunt huic aetati propria.

§. XXII.

Inuentutem excipit *aetas virilis*, quae, ut nonnulli putant, ab anno trigesimo quinto, vsque ad quinquagesimum se extendit. Sed mea opinione, certis annis, vti nec ceterae aetates, definitur nequit. Accedit autem virilis aetas proxime ad temperamentum cholericum, hinc ambitioni obnoxii sunt, qui ad hanc aetatem peruenerunt, iraque non minus ac ceteris affectibus ambitionem comitantibus, sunt dediti. Ratione ingenii iudicium apud eos eminet, et imaginandi facultatem superat.

§. XXIII.

Superuenit tandem *senectus*, aetas arida et frigida. Diversi tamen senectutis gradus solent constitui, hinc alia *viridis*, alia *media*, alia *decrepita*. Quoad mores multa senectus communia habet cum temperamento melancholico, hinc auaritia, et qui hinc fluunt affectus, senibus exprobrari solent.

§. XXIV.

Quae autem haecenus de aetatum differentia

tia dicta sunt, ita omnino sunt intelligenda, ut pro ipsorum temperamentorum diuersitate, diuersimode quoque se habeant. *Aeras* enim temperamentum mutat quoad *gradum*, non quoad *speciem*. Sic nequiquam omnes iuvenes aequè voluptatum appetentes esse videmus, in quibusdam etiam vix voluptatum cupiditatem deprehendere licet. Id quod evenire necesse est, si v. g. temperamento aut in summo, aut medio, aut infimo gradu, cholericò, vel melancholico gaudeant. Quod si quem in summo gradu sanguineum esse contingat, hunc in iuventute voluptatum adeo cupidum esse necesse est, ut iis modum ponere nesciat.

§. XXV.

Et haec quidem omnia ad vitam corporis vegetatiuam spectant. Vita sensualis consistit in facultate locomotiva spirituum animalium, quatenus per eosdem, etiam partes corporis, tum fluidae, tum solidae, mouentur.

§. XXVI.

Huc itaque pertinent sensus, tum *interni*, tum *externi*. Et de internis quidem ex hactenus dictis constat. Qui non aliud operationum naturalium principium, quam corpus et mentem admittunt, internos sensus saltem continuationes sensuum externorum in cerebro esse contendunt: ad quos si actio quaedam peculiaris mentis accedat, oriuntur inde facultates mentis mixtae, supra prolixius enumeratae.

§. XXVII.

§. XXVII.

Sensus autem externi sunt motus spirituum animalium, in aliqua parte corporis solida, per aliud corpus tacta, excitati, et ope spirituum animalium per nervos, ad cerebri partem intimam, delati. Tales sunt quinque: *visus, auditus, olfactus, gustus, tactus.*

§. XXVIII.

Tribui et corpori appetitus quidem naturales solent, qui in motus ad vitam vegetatiuam conservandam pertinentes, desinunt. Eiusmodi appetitus quatuor sunt, duo scilicet ingerendi alimenta, ut *fames et sitis*, et duo egerendi, ut *libido et excernendi appetitus*. Mentem autem hi appetitus ita afficiunt, ut *dolorem et voluptatem* corporis, itidem percipiat. Vnde denuo patet, inter affectus sensuales eos locum non promereri.

§. XXIX.

Praeterea ad vitam corporis *sensitiuam* pertinet *facultas locomotiva externa*, qua aut pars corporis, aut totum corpus mouetur, cuius species nobilissima est *loquela*, quae in motu linguae partiumque oris et vicinarum, ope aeris repercussis sonos articulatos producente, consistit.

§. XXX.

Sed ut sermo inde formetur, et eiusmodi profertur voca, quae vim significandi ha-

E §

bent,

bent, caeque apte inter se jungantur, necesse est, ut mens concurrat. Firmissimo itaque argumentandi genere hinc concluditur, bruta ratione destitui, cum, quoad organa, nihil obstat, quo minus loqui possint. Quod ergo non loquantur, non aliunde, quam a rationis provenit defectu.

§. XXXI.

Cum autem sensus non semper operentur, sed aliquando quiescant, hinc duplex eorum status oritur, *somnus et vigilia*. In somno hominibus obtingunt *somnia*, quae sunt imagines ab agitatione spirituum animalium aut *naturali*, aut *non naturali*, ceteris sensibus quiescentibus, excitatae.

§. XXXII.

Solent quippe imagines rerum aut *praeteritarum*, aut *faturarum* nobis dormientibus exhiberi. Illas repraesentari mirum non est. Cum enim vigilantibus iam saepius hae imagines sint oblatae, spiritus animales in eadem cerebri loca incidentes, eandem imaginem facile nobis etiam inuitis et nescientibus, iterum prodire iubent.

§. XXXIII.

Ast ad res futuras quod attinet, nos earum imaginibus, dum similia aliquando cogitando nobis repraesentauimus, occasionem suppeditamus, aut non suppeditamus. Prius si fiat, causa horum somniorum manifesta est. Sin autem

autem posterius contingat, causa non naturalis, hoc est, vel *diuina*, vel *angelica*, vel naturalis quidem, aut *occulta et abscondita* erit.

§. XXXIV.

Ad somnia autem omnino mores suos rite formaturo attendendum est, partim vt inde temperamenti sui indolem rationemque condiscat, partim ne prauis somniis occasionem suppeditando, somniando etiam crimine se obstringat.

§. XXXV.

Denique et totius corporis, cum omnibus potentiis et facultatibus considerati duplex status est, *sanitas* et *morbis*. Sanitas est status corporis, in quo omnes eius potentiae munus suum, vt par est, obire possunt: siue, est certa quaedam corporis dispositio, et partium eius harmonia, qua aptum redditur ad functiones suas persoluendas. Morbus contra est certus partium corporis nostri status, quo impediuntur, ne rite functiones suas obire possint.

§. XXXVI.

Atque hinc etiam certa mentis nostrae dispositio pendet, cum qui sanitate integra et intemperata vtuntur, mente ipsa quoque valere, affectu-umque, quos morbi quandoque secum trahunt, immunes haud immerito esse censeantur.

§. XXXVII.

Ratione formae externae autem, qua corpus gaudet,

gaudet, *formositas* et *deformitas* illi tribui solet. Illa quidem iusta proportione membrorum, eorundemque figura, et situ, et quorundam colore absoluitur: ex his autem ubi vnum aut quaedam desunt, *deformitas* dicitur. Formositatis proprium est, affectum amoris, deformitatis autem, odium, siue auersionem excitare.

§. XXXVIII.

Quando itaque ratione formositatis, aut deformitatis, certi hominum mores constituuntur, ita hoc capiendum arbitror, quod occasio certos affectus exerendi, et propensionem quandam animo inducendi, illis hinc enascatur. Namque quod siuvenes formosi voluptates sectari creduntur, inde est, quod passim homines voluptatibus dediti eorum amicitiam ambient. Accedit tamen quandoque temperamentum sanguineum, quod non raro in hominibus formosis praeualet.

§ XXXIX.

Deformes contra et corporis quodam defectu insignes, audaces, inuidi, et irrisores esse creduntur: non alia quidem de causa, quam quod, cum ut plurimum se contemni videant, hinc illis enascatur occasio, nihil non tentandi, ut omnem contemptum a se amoliantur. Hinc et illos in id strenue anniti videas, ut praeclaris actionibus exultationem sibi comparent.

§. XL.

§. XL.

Considerauimus hactenus hominem, tum quoad mentem, tum quoad corpus. Nunc etiam de iis, quae illum in hocce mundi theatro circumstant, et ad affectus moresque multum conferunt, nobis est exponendum.

§. XLI.

Haec autem non sunt vnius generis. Nos tamen ad duo summa capita cuncta reuocabimus, *naturalia* scilicet & *ciuilia*, hoc est, ab hominibus ipsis introducta et constituta.

§. XLII.

Ad priorem classem licet et Deus, et genii, et alii homines, et cunctae res creatae referri possint, duo tamen praecipue considerabimus, *tempus* et *locum*. Et temporum quidem quendam velut genium peculiarem esse, qui et mores et ingenia hominum utcunq; inflectat, et ad certa studia trahat, ipsa experientia adeo edocti sumus, vt quanto minus huius rei nobis patent causae, tanto illud certius sit et exploratius. Aegyptiorum, Graecorum, quin totius Asiae, et Europae, fata haec loquuntur.

§. XLIII.

Nec magis de locis dubitandum. Singulis nationibus suos esse mores, suumque ingenium, neminem fugit. Et huius quidem diuersitatis, vt aliae quoque causae esse possunt, ita praeter educationem, et viuendi rationem, a-

limen-

limentorumque indolem, haud postrema est *aëris circumfusi*, et ex soli conditione varie temperati, *qualitas*. Ipsae enim aëris particulae cum oribusque attrahantur, et sanguini adeo immisceantur, non possunt non temperamenti rationem utcumque mutare, et hinc ad mores multum conferre. Unde et experientia docet, in eadem gente alios esse mores, alia ingenia montes incolentium, alios contra loca plana inhabitantium.

§. XLIV.

De illis autem, quae ab hominibus introducta et constituta sunt, ita censeo: cum genus humanum sine societatibus conseruari non possit, et vero societatum haec sit conditio, ut subsistere nequeant, nisi communi consensu modi quidam, tum ipsis hominibus, tum etiam eorum actionibus, quin rebus ipsis, ad dirigendam potissimum et temperandam actuum hominis voluntariorum libertatem, imponantur, certa inde oriuntur *leges*; quae *moralia* vocari solent, quorum cum ceteroquin magnus in vita civili usus, totum maxime in mores, et affectus hominum, magna vis est. Non quidem quod pro causa morum, aut propensionum, reputari debeant: sed quod hominibus occasionem affectus saepius exercendi, et propensionem quandam contrahendi, praesentent.

§. XLV.

Qui hominibus ergo imponuntur modi, vocantur

cantur *status*. Secundum statum itaque in genere spectatum, homines in *nobiles* et *plebeios* diuidi solent.

§. XLVI.

Et *nobiles* quidem, hoc est, qui descendunt a maioribus virtute factisque notis, adeoque honore gentilitio praeeminent, aut etiam ab imperante summo ad huncce dignitatis gradum sunt euecti, ad *ambitionem* proclives esse solent. Honores enim aut maiorum, aut proprii, semper illis obuersantur, adeoque *ambitionem* magis magisque excitant.

§. XLVII.

Plebei contra partim ad voluptatem, partim ad avaritiam proni sunt, ita tamen ut voluptatis cupiditas primas fere teneat partes. Cum enim mentem parum colant, non possunt non corpori se totos dedere, eiusque cupiditatibus obsequi. Hinc et *inconstantia* fluit, quae passim ab historiarum conditoribus in plebe notatur. Ludis scenicis, et id genus rebus ad voluptatem pertinentibus, maxime demulceri plebem, itidem videas. Sed cum acquirendis insuper rebus vniuersim intenti, *avaritia* quoque illorum animos occupat. Hanc comitatur *invidia*, quae itidem plebi, ut vitium illi proprium, exprobrari solet. Haec vero ita capienda sunt, ut aliis causis, ad alias propensiones vehementiori instinctu homines impellentibus, locus concedatur.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Praeterea ratione status alii sunt *imperantes*, alii *subditi*: ex imperantibus alii *monarchae*, alii *proceres* in statu aristocratico. *Monarchae* vel *tyranni* sunt, vel *legitimi principes*: et hi rursus vel per *electionem*, vel per *successionem*, ad summam rerum peruenerunt. *Ambitio*, et affectus propensionesque hanc comitantes, omnibus videntur esse communes, saltem ad illam maxime sollicitantur: pro ipsorum imperantium tamen diuersitate, haec aut diuersos habet gradus, aut cum aliis propensionibus miscetur, et hinc diuersimode sese exerit. Et hinc omnino fit, ut alii tyrannorum, alii legitimorum principum, alii eorum, qui eliguntur, et rursus alii eorum, qui succedunt &c. mores esse dicantur.

§. XLIX.

Subditorum non alii videntur esse mores ac hominum plebeiorum, quippe qui maximam subditorum partem constituunt. Cum tamen ipsa imperium administrandi ratio laxior, aut adstrictior, aliquando occasionem ambitionem magis magisque exerendi illis suppeditet, et consuetudo propensiones hominum aut mutet, aut valde confirmet, hinc alii mores in statu *monarchico*, alii in statu *aristocratico*, alii denique in statu *democratico*, &c. illis tribuuntur.

§. L.

Dispersuntur etiam homines ratione status
in

in potentes et minus potentes. Potentes vocantur, qui imperium administrant, aut multos ex sua voluntate pendent, habent, (quorum tamen et saepius diuitiae conducunt). Qui contra in imperii administratione nullas partes habent, et quae aut neminem, aut paucos, a sua voluntate pendent habent, illi *minus potentes* sunt. Ut ergo potentium moribus, pleraque cum imperantium propensionibus, communia sunt: ita minus potentium, nisi fortunam plane aduersam haberint, a plebeiorem moribus haud adeo differre merito dixeris.

§. LI.

Si nunc ad singula descendere liberet, nullum fere vitae genus deprehenderemus, quod non affectibus moribusque certis occasionem subministraret. Huc pertinet, quod vulgo dici solet, alios esse mores theologorum, iureconsultorum, philosophorum: itidem alios esse militum, alios mercatorum, et rursus alios opificum. De quibus haud difficile iudicium ferri potest, si obseruetur, alias artes ad voluptatem, ad diuitias alias, alias ad honores, (non quidem per se, sed ex ingenio hominum illis abutentium) ducere.

§. LII.

Actionibus hominum certi superadduntur modi, dum illis *quantitates* et *qualitates* morales imponuntur. Praecipui horum effectus sunt *laus* et *vituperium*, *praemium* et *poena*. Atque hisce

F

varie

varie hominum animos affici, est extra dubitationem positum. Quin si saepius hi effectus iterentur, noua propensio induci, aut naturalis valde vel augeri vel imminui potest. Laude et vituperio homines ceteroquin ad voluptates propensos, ad ambitionem vehementer inflammari, ipsa quemlibet docet experientia.

§. LIII.

Rebus denique dum imponuntur modi, certae inde oriuntur rerum *quantitates et qualitates*. Sed illae, siue pretia rerum, praecipue homines afficiunt, et moribus, propensionibusque occasionem praebent. *Diuitias* huc referre licet, quippe quo nomine indigitatur copia rerum, pretio aliquo gaudentium.

§. LIV.

Sed non vna eademque ratione diuitiae mortalium voluntatem mouent. Nonnulli enim eas ideo cupiunt, vt diuites sint, hoc est, quoniam per se copia rerum pretio gaudentium, delectantur. Alii autem diuitiis vt instrumentis gloriam consequendi, vel voluptatibus litandi, vtuntur.

§. LV.

Et sane de honore, gloria, potentia, idem dicendum, nonnullos illis per se delectari, alios autem hisce velut instrumentis ad opes congerendas, et cupiditates suas explendas vti. Sed vt istud quidem per accidens fit, ita prae-

praecipua, quae hisce fortunae bonis insidet, vis, non statim expirat, sed usque pro hominum indole sese exercit.

§. LVI.

Atque ita etiam in diuitiis se res habet. Possunt ut gloriae et honoris, itemque ut voluptatum instrumenta usurpari. Atque hinc factum arbitror, ut passim homines opibus florentes, ut superbi, audaces, contumeliosi, aut delicias ac voluptates sectantes exhibeantur. Sed per se tamen habendi, et plura acquirendi sitim, valde excitare videntur: unde non adeo forte aberrauerit, qui, diuitiis ad avaritiam homines propensiores reddi, autumauerit.

§. LVII.

Pauperum mores hinc facile aestimare licet. Sane per se paupertas non videtur certam propensionem aut fouere, aut excitare. Naturales tamen inclinationes varie temperat. Sic in hominibus ad avaritiam pronis, penuria rerum eo magis sitim diuitiarum accendet. Ambitiosi vero et voluptatibus dediti, cum ubique rem angustam domi sibi obstare vident, semper cum metu colluctabuntur, eruntque animo tristi, abiecto, desperabundo.

§. LVIII.

Ceterum dum honores et opes *fortunae* muneris vocantur, non ita hoc capiendum est, ut gentilium idolo, quod fortunae nomine de-

signarunt, locus concedatur: sed potius ad diuinam prouidentiam est recurrendum, quae ut neutiquam ineuitabili necessitati homines obnoxios reddit, ita hic cum primis mirifice se prodit.

§. LIX.

Nimirum *fortunae* ut et *fati* nomine nihil aliud intelligo, quam ipsam diuinam prouidentiam, arcana quadam ratione actiones mortalium dispensantem. Et huius quidem praecipuum munus est, quod homines certis locis, tempore certo, ab his aut aliis parentibus, in hoc aut illo rerum statu, nascantur, adeoque varias occasiones ingenii et voluntatis vires exerendi, nanciscantur: vnde sane maximae rerum conuersiones, commutationesque, pendent.

§. LX.

Sed ut homini in externis actionibus libertatem supra vindicauimus: ita et dubium non est, quin ipse media conuenientia adhibendo, multum ut haec, quae fortunae vocantur, munera consequatur, conferre possit. Vnde et quo pacto quod vulgo dicitur: *quemlibet fortunae suae esse fabrum*, capiendum sit, intelligitur.

§. LXI.

Simul et illud patet, quinam *fortunati* aut *infortunati* dicantur. Nimirum qui aut omnibus, aut saltem iis fortunae muneribus, quibus

bus praecipue capiuntur, abundant, illi aut suo aut aliorum iudicio, sunt *fortunati*: qui illis destituuntur, *infortunati* vocantur. Mores ergo fortunatorum, a moribus illorum, qui aut honoribus fulgent, vel potentia, aut opibus florent, non different: infortunatorum autem mores, cum moribus pauperum in vnam redigere classem licebit. Etenim defectus bonorum fortunae, ad certam propensionem homines per se non concitat: sed metum, tristitiam, desperationem, diuersimode tamen, pro naturalium inclinationum diuersitate, affert.

§. LXII.

Superest, vt vnico adhuc verbo addamus, quod demum pacto homo in hocce mundi theatrum prodeat. Hic vero siue mentem, siue corpus, siue vtriusque operationes quis secum expendat, prouidam Numinis vbique agnoscet curam, intelligetque a Deo se in hac vitae statione collocatum, eidemque adeo et ius esse exinde serouocandi.

§. LXIII.

Simul tamen et istud manifestum est, vt in lucem homo ederetur, parentum concurrisse operam: idque ita, vt tum pater, tum mater ad generationem aliquid contulerint, licet, vt medicorum filii tradunt, haec plus, quam ille. Quare illud iure-consultorum effatum, *partum sequi conditionem ventris*, non adeo absurdum esse puto.

CAP. III.
de
MORBIS MENTIS HVMANAE
CVM PRIMIS VOLVNTATIS.

Σύνοψις.

- Miseriae humanae causa in ipso homine est quaerenda, §. I.*
- Quid morbus mentis, §. II.*
- Imbecillitates intellectus, §. III.*
- Quoad primam operationem, §. IV.*
- Et secundam, §. V.*
- Inter has et dubitatio referenda, §. VI. VII.*
- Ad quam proxime accedit admiratio, §. VIII.*
- An admiratio in brutis cadat? §. IX.*
- In quo consistat admiratio hominis, §. X.*
- Obiectum eius est res insolita, §. XI.*
- Est admiratio morbus intellectus, §. XII.*
- Certo modo tamen utilis est et salutaris, §. XIII.*
- Cur nil admirari, pars felicitatis censetur, §. XIV.*
- Itaque finis philosophiae, §. XV.*
- Imbecillitates intellectus quo ad tertiam eius operationem, §. XVI.*
- Suspicio, credulitas, incredulitas, §. XVII.*
- Colliditas, imprudentia, §. XVIII.*
- Vitia conscientiae, §. XIX.*
- Quod imbecillitates vnius operationis in alteram propagentur, §. XX.*
- Causae imbecillitatum intellectus, communi omnibus labes, §. XXI.*
- Educatio, conuersatio, &c. §. XXII.*
- Praeuidicta, quae tamen ex ipso voluntate oriuntur, §. XXIII. XXIV.*
- Quod ex corpore etiam quaedam mentis imbecillitates oriuntur; quid fatuitas? §. XXV.*
- Stultitia, §. XXVI.*
- Insania, furor, §. XXVII.*
- Morbi voluntatis, §. XXVIII.*
- Fons illorum, philantia praua, §. XXIX.*
- Quae ad amorem, ut recte se habeat, requiruntur, §. XXX.*
- Amor sui in se et abstrus effectus, nullum inuoluit periculum*

- vitium, §. XXXI. seq.
 Licet etiam ad corpus se extendat, §. XXXIII.
 Vnde amor sui prauus fiat, §. XXXIV. seq.
 Amorem sui concrete spectatum, semper prauum esse, §. XXXVI.
 Eundem et recte pro morbo voluntatis haberi quia eius operationes turbat, §. XXXVII. seq.
 Et reliqua vitia progignit, §. XXXIX.
 Nec animum tranquillum esse finit. §. XL.
 Causa pravae philantiae: habitus originalis, §. XLII.
 Constitutio corporis, §. XLII.
 Educatio et consuetudo, §. XLIII.
 Aliorum hominum: imitatio, §. XLIV.
 Praeudicium et erroneus intellectus, §. XLV.
 Quod illi, qui hoc morbo laborant, nihil quod rectum sit, cupiunt, §. XLVI.
 Quod propensiones pravae, quas hinc oriuntur, ad certa reuocari capita queant, §. XLVII.
 Scilicet ad voluptatis cupiditatem, ambitionem, et auaritiam, §. XLVIII. XLIX.
 Cum propensionibus istis non sunt confundendi affectus, §. L.
- Quod tria sint vitia cardinalia, probatur ex triplici nostrarum propensionum obiecto, §. LI.
 Ex temperamenti hominum §. LII.
 Ex eo quod omnia vitia ad ista reuocari queant, §. LIII.
 Quod tria ista vitia cardinalia oriuntur ex philantia prava, §. LIV. LV.
 An haec propensiones menti soli quoque insint? §. LVI.
 Vnde magna ista propensionum in haec tribus oriuntur? §. LVII.
 Quis ordo in speciali illarum consideratione obseruandus? §. LVIII.
 Voluptas, cupiditas, in quo consistat, §. LIX.
 Qui hoc morbo laborant, quo pacto se gerant, erga Deum, §. LX. LXI.
 Erga se ipsos, §. LXII.
 Erga alios, LXIII.
 Quo sensu hominibus hisce vitiis laborantibus, virtutes tribuantur, §. LXIV.
 Qualis eorum sit amicitia, §. LXV.
 Quo pacto, qui voluptatibus dediti sunt, in statu conjugali, paterno, etc. se gerunt, §. LXVI.
 Item ratione decori, qui illorum

- rum mores sint, §. LXVII.*
Ambitionis indoles, §. LXVIII.
Ambitioni deditus, quo pacto se gerat erga Deum, §. LXIX, §. LXX.
Erga se ipsum, §. LXXI.
Erga alios, §. LXXII.
In statu coniugali, paterno, &c. §. LXXIII.
Ratione decori, §. LXXIV.
Avaritiæ indoles, §. LXXV.
Avarus quo pacto se gerat erga Deum, §. LXXVI.
LXXVII.
Erga seipsum, §. LXXVIII.
Erga alios, §. LXXIX.
In statu coniugali, paterno, &c. §. LXXX.
Ratione decori, §. LXXXI.
Cur non in omnibus eodem modo hæc propensiones se habeant? §. LXXXII.
Cur in quibusdam magis se prodant, in aliis magis latent? §. LXXXIII.
Quo pacto intellectus per hæc propensiones corrumpitur? §. LXXXIV.
Speiatiæ quæ in intellectu redundans incommoda ex ambitione, §. LXXXV.
Ex voluptatis cupiditate, §. LXXXVI.
Ex avaritia, §. LXXXVII.
Quæ ex iisdem vitiis redun-
- ant incommoda in piasitiam, §. LXXXVIII. seq.*
Item. in iudicium, ingeniumque, §. XC.
Affectuum quæ hic sit ratio, §. XCI.
Quo modo ex propensionibus oriatur affectus? §. XCII.
An affectus pro morbis voluntatis habendi? §. XCIII.
Stoicorum et peripateticorum hæc in re controversia, componitur, §. XCIV.
Affectus duplici ratione considerari posse, §. XCV.
Ratione essentialis quosdam esse indifferentes, §. XCVI.
Quosdam per se præiudicatos, §. XCVII.
Ratione existentis, in homine nondum emendato omnes esse præiudicatos, §. XCVIII.
Quid de affectibus hominum virtuti operantium, censendum, §. XCIX.
Ex diæta miseria voluntatis exhibetur, §. C.
Quæ augetur per conscientiaæ terrores, §. CI.
Calamitates externas aut a prius propensionibus ori, aut ab iisdem augeti, §. CII.

§. I.

Hominem multis miseriis obnoxium esse, eiusque rei causam in ipso homine esse quaerendam, apud omnes in confesso est. Ipsi quippe, quibus mens nostra infecta est, morbi, hominem miserum reddunt. Hosce ergo paulo accuratius contemplari iuuabit.

§. II.

Per *morbos mentis* autem intelligo certam eius dispositionem, qua impeditur eas operationes edere, quas ceteroquin edere poterat et debebat.

§. III.

Primo itaque intellectus vitia siue morbi sese nobis offerunt, alibi quidem ex instituto considerandi, hic tamen vel ideo non praetermittendi, quod ad morbos voluntatis multum conferant, et vice versa ab illis oriantur aut augeantur.

§. IV.

Et *percipiendi* quidem facultatem accuratius considerantes, eandem adeo angustis limitibus circumscriptam esse deprehendimus, ut multa omnino sint, quae homo plane cognitione sua assequi nequit. Praeterea nonnulla quidem assequi potest, at admodum imperfecte, ita ut caligine velut obiecta, et per nubem saltem, ea intueri videatur. Nec multa simul percipere potest, vno eodemque tempore: sed si multa intellectui nostro offerantur, temporis quodam intervallo eidem opus est. Saepissime autem rem secus, ac se habet, percipimus. Primam perceptionis imbecillitatem, *ignorantiam*, ultimam errorem vocare solent.

§. V.

*Iudicii defectus sunt, quando intellectus noster ea iungit, quae separanda erant, adt. separat, quae erant iungenda, et quando haecita fluctuat, que, an res, circa quas versatur, iungi an separati debeant. Aliquando recte quidem iungenda iungit, separanda separat, sed causas rationesque cur hoc fieri debeat, non habet exploratas. Id quod ratione *bonesti* saepissime fit, ratione *decori*, cum ibi defectus facilius in oculos incurrat, frequentius obseruatur.*

§. VI.

Inter hosce iudicii defectus eminet *fluctuatio* siue *dubitatio*, quae nihil aliud est, quam iudicii suspensio, dum intellectus incertus haeret, debeatne ideas iungere, an separare.

§. VII.

Per se itaque dubitatio est morbus, et imperfectio intellectus: sed cum aliquando minus malum censeatur iudicium suspendere, quam temere iudicando errores grauissimos admittere, hinc dubitatio tite et tempestiue adhibita, laudari solet.

§. VIII.

Ad dubitationem quodammodo accedit *admiratio*. Haec enim primo aequae ex ignorantia procedit, ac illa. Res enim, quarum causae nobis patent, non admiramur. Praeterea et iudicii suspensionem denotat. Quamdit enim

enim aliquid admiramur, nec affirmare aliquid de re ista, nec negare nobis licet. Sed accedit in admiratione obiectum *insolitum* et *extraordinarium*, quod intellectum speciali ratione mouet.

§. IX.

Sed obseruandum, cum ipsis brutis etiam obiecta insolita aliquando offerantur, quae motum extraordinarium spirituum animalium in illorum cerebro efficere possint, in illis quoque imaginem quandam admirationis reperiri. Quin et cum in homine quoque obiecti insoliti impressio extraordinarium spirituum animalium motum efficiat, non incommode quaedam admirationis species constituitur, quae ad solum corpus pertineat, uti vice versa alia est, quae soli menti est propria.

§. X.

Ast in homine, qui mente simul et corpore absoluitur, admirationem ita se habere puto: primo obiectum aliquid per sensus menti offertur. Deinde mens insolitum et extraordinarium illud esse deprehendit, et acriori quodam impetu ad illud considerandum se mouet, indeque motus quidam corporis, qui obiecta insolita consequi solent, sequuntur.

§. XI.

Nihil itaque admirationem excitare aptum est, nisi *insolitum* sit. Quicquid aut raritate, aut magnitudine, aut eminentia quadam, et per-

perfectione se commendat, hoc ipso admirationem excitat, quod sit insolitum.

§. XII.

Dum vero simul omnis admiratio ignorantiam quandam secum coniunctam habet, nemo mirabitur, quod inter intellectus morbos eam referamus. Sed quemadmodum non omnis ignorantia in vicio ponitur, ita nec omnis admiratio. Si enim ea ignoremus, quae ob suam sublimitatem a nulla re creata capi possunt, non est, quod intellectus nostri accusemus imbecillitatem: quemadmodum hanc iure arguimus, si ea nesciamus, quae per obiecti conditionem poteramus cognoscere. Ita vero et admiratio est comparata. Morbus utique et imbecillitas intellectus est, ea admirari, quarum causa intellectum, si rite se haberet, fugere non poterat.

§. XIII.

Interim quod de dubitatione dictum, eam quandoque laudandam, illud etiam de admiratione repetendum. Haec ipsa enim cum mentem saepius excitet, ad rem accuratius cognoscendam, indeque nouam scientiam nobis pariat, non potest non utilis et valde salutaris esse. Ita ergo capiendum, quod dici solet, admirationem philosophiae matrem esse. Id quod tamen de omnibus philosophiae partibus, non admitterim.

§. XIV.

§. XIV.

Præterea cum admiratio affectibus haud raro admixta sit, aut illi occasionem præbeat, et vero affectibus, ut deinceps dicetur, modum ponere difficile sit, quo minus mentis inde conturbetur tranquillitas, non male a Venusino vaticinium, nihil admirari, præcipuam esse beatitudinis partem.

§. XV.

Qui autem finem philosophiæ esse dixerunt *nihil admirari*, sine dubio probe habuerunt perspectum, admirationis comitem esse ignorantiam. Hanc autem cum philosophia pellat, admirationem quoque definire, necesse est. Quæquam philosophorum autem hunc finem in omnibus partibus obtinuisse, aut quæ est intellectus nostri imbecillitas, obtinere posse, dubito, quin plane abnuo.

§. XVI.

In ratiocinatione intellectus imbecillitatem suam prodit, cum in demonstratione ex principiis falsis, sed quæ pro veris et necessariis reputat, colligit conclusionem apparenter necessariam, ut in *pseudo-graphemate* siue syllogismo *aporetico* contingit. Deinde itidem intellectus imperfectio est, cum per varia fallaciarum genera, pro vera, falsa, in nobis excitatur opinio: et in specie, cum diuinæ auctoritati nimis tarde et lente, humanæ nimis facile fidem adhibemus.

§. XVII.

§. XVII.

Hinc etiam quid *suspicio*, *credulitas*, et *incredulitas* sit, intelligitur, quae intellectus vitia in morum doctrina subinde commemorari videas. Suspicio enim vocatur, cum ad argumentationem incertam, et ex signis procedentem, accedit determinatio in sequiorem partem: incredulitas, cum fidem ei denegamus, cui maxime nos credere oportebat: credulitas, cum illi etiam adhibemus fidem, cui eam denegare prudentia iubet.

§. XVIII.

Præterea in argumentationibus practicis, ut vitia intellectus sese nobis offerunt, *calliditas*, et *imprudencia*, quae prudentiae opponuntur. Illa finem malum sibi constituit, et media huc pertinentia solerter excogitat: haec ad finem bonum quidem tendit, at ea, quae ad eum consequendum faciunt, minime attendit, nec media aut observat, aut recte adhibet.

§. XIX.

Quoad conscientiam, vitia ratiocinationis in conscientia *dubia*, *scrupulosa*, *erronea*, satis conspicua sunt. Conscientia *superficta* et *carcerata*, ut videntur, profundam principiorum practicum ignorantiam, aut proteruam negationem, ex malitia summa voluntatis ortam, subin-

§. XX.

De omnibus hisce intellectus morbis illud adhuc

adhuc obseruandum, morbos et imperfectiones primae operationis, in secundam, secundae in tertiam quoque redundare, et velut propagari.

§. XXI.

Causa communis et vniuersalis harum imbecillitatum est connata mortalibus omnibus laebes, quae naturam humanam ita permeat, vt in ea nihil sanum sit. Sed causam huius mali, vt deinceps dicetur, aequae ac profunditatem, philosophia ignorat.

§. XXII.

Accedit educatio, conuersatio, consuetudo, et cum primis hominum ignauia. Fieri enim aliter non potest, quam vt multa ignorent, multa etiam secus, ac decebat, percipiant, si non eam, quam debebant, ad res cognoscendas adhibeant industriam. Ex quo etiam patet, quod ignorantia pariter ac error, *invincibilis* alius sit, alius vero *vincibilis*, vt loqui solent.

§. XXIII.

Nec praetermittenda sunt *praesudicia*, ex quibus quippe foecunda errorum, prauorumque iudiciorum, vt et falsarum ratiocinationum seges efflorescit. Praesudiciorum autem licet iterum variae sint occasiones et causae, praecipua tamen eorum scaturigo in ipsa voluntate est quaerenda, vt a seibi ex instituto demonstrat.

§. XXIV.

§. XXIV.

Sic praeiudicia, et *auctoritatis* et *praecipitantiae*, quae infinitos fere in morali doctrina, totaque hominum vita, errores progignunt, non aliunde, quam ex voluptatis cupiditate originem ducunt: sicut nec alia desunt, quae aut ex auaritia, aut ex ambitione mortalium fluunt.

§. XXV.

Est vero et hoc obseruandum, haec vitia aut coniunctim, aut sigillatim, in maiori aut minori gradu mortalibus inhaerere. Et licet per se intellectus etiam hisce morbis laboret, ex corporis tamen et organorum dispositione, interdum mirum in modum augentur. Non enim aliunde arcessendum, quod nonnulli homines adeo obtusi atque hebetis ingenii sint, ut nec facile aliquid percipere, nec iudicare prompte, aut ratiocinari possint. Si quis ergo ita comparatus sit, et crebro eiusmodi actiones edat, in quibus hi, mentis defectus conspicui sint, is *fatuus* appellatur.

§. XXVI.

Fatuus enim a stulto omnino differre arbitror. Qui enim intellectu eiusque facultatibus non rite utitur, et hinc, accedente malitia voluntatis, actiones contra rationis et sensus dictatae crebro perpetrat, is *stultitia* laborare merito censetur.

§. XXVII.

Fatuitas itaque facile in *insaniam* degenerat, ad

ad quam si vehemens motus et agitatio spirituum animalium accedat, fit *furor*. Hosce enim mentis morbos, non nisi gradu a se inuicem differre, arbitror.

§. XXVIII.

Iam ad morbos voluntatis, in quibus curandis et corrigendis moralis doctrina praecipue laborat, pedem promouemus. De quibus tamen, si a recentioribus quibusdam discesseris, aut pauca, aut plane nihil, philosophi tradiderunt. Nos ergo illorum, qui haud male de hac philosophiae parte meriti sunt, vestigiis insistentes, per summa rerum ibimus capita.

§. XXIX.

Vnicus autem, et fere immedicabilis est voluntatis morbus, ex quo ceu ex fonte ceteri omnes proueniunt, isque simul imperscrutabilis est, nimirum *amor* ille prauus, quo homo in se ipsum fertur, quem Graeci, sumpta hac voce in malam partem, *Φιλανθρωπία* vocant.

§. XXX.

Enimuero voluntas hominis, vt supra demonstratum, est *facultas boniformis*, adeoque cum plura omnino bona sese hominis voluntati offerant, necesse est vt, primo, in hisce appetendis certum seruet ordinem, ne bona minus praestantia praestantioribus praeferat; deinde, vt diligenter prius exploret, num istud

G

quod

quod appetit. reuera sibi bonum sit, an vero speciem saltem boni prae se ferat, et re ipsa plus noceat, quam proficit.

§. XXXI.

Praeterea sedulo obseruandum, *amorem sui* in se et abstracte spectatum, praesertim in mentibus, nihil aliud esse quam appetitum se conseruandi et perficiendi: et hunc appetitum non tantum a sapientissimo Numine rebus creatis, praesertim hominibus, esse inditum, sed illum etiam omnium propensionum, affectuum, quin omnium actionum humanarum fontem et scaturiginem esse. Id quod si opus esset, inductione facta, facile comprobari posset.

§. XXXII.

Hinc porro infero, *amorem sui* in se et abstracte spectatum, nullum inuoluere vitium. Primo quidem, quia studium et appetitus se conseruandi, per se nequitiam malus est. Deinde, si malus esset, Deus nequitiam istum aut homini, aut ulli rei creatae indidisset.

§. XXXIII.

In homine autem iste appetitus se conseruandi, non tantum ad mentem, sed etiam ad corpus se extendit. Non enim mente solum, sed etiam corpore, vt supra demonstratum, homo absoluitur.

§. XXXIV.

Quod autem *amor iste sui* in vitio ponitur, primo

primo inde fit, quod homo amoris circulos a Deo praescriptos turbet. Etenim cum, ut antea dictum, certus in amando ordo seruari debeat, ob multitudinem obiectorum, quae hominem in sui amorem impellunt, et vero hic ordo alius esse non possit, quam ut inter haec obiecta primus locus ipsi Numini, bonitatis omnis fonti et scaturigini, tribuatur, sane palam est, hominem iustum et rectum amoris ordinem invertere, quotiescunque in amore vllum aliud obiectum Deo praefert. In ceteris autem obiectis cum itidem ad amorem Dei, velut ad centrum respiciendum sit, omnis in amando ordo ex voluntate Dei metiendus est. Quod si non fiat, amor inordinatus fit et vitiosus.

§. XXXV.

Deinde accedit, quod homines non semper explorent, num istud bonum, ad quod appetitu feruntur, reuera bonum sit. Atque hinc altera causa patet, quare amor sui vitiosus euadat: si scilicet homines appetitu insano et intempestiuo in illa bona ferantur, quae non bona sunt, sed illos potius destruunt, tantum abest, ut conseruent, aut perficiant. Vnde patet, amorem sui vitiosum reuera esse *odium sui*.

§. XXXVI.

Et vero est ea hominum conditio, ut nemo hodie reperiat, qui non per naturae suae, sed corruptae, rationem, ordinem amoris in-

teruertat, et in ea etiam feratur, quae mala potius quam bona sunt, cuius rei rationem deinceps videbimus. Quare et omnem amorem sui, prout in hominibus, qui vitam moresque suos nondum emendarunt, reperitur, *vitiosum* esse concludo. Atque haec cum ita se habeant, nemo etiam mirabitur, philautiam communi fere consensu inter vitia referri.

§. XXXVII.

Haec si quis secum rite expendit, de praecipuo voluntatis morbo recte nos pronuntiasse, animaduertet. Operae tamen pretium erit, pluribus haec demonstrare.

§. XXXVIII.

Nimirum amor in se spectatus ad essentiam voluntatis pertinet: et aequae ac intellectui proprium est percipere, iudicare, ratiocinari, voluntati quoque proprium est, *amare*. Quemadmodum autem intellectus morbo quodam laborat, si non recte percipit, iudicat, ratiocinatur, ita et voluntas vitium suum prodit, si non recte amat. Per morbum corporis constitutio turbatur, ut suas non rite edere possit operationes: sic et prauo isto sui amore voluntas hominis turbatur, quo minus operationes suas rite edat.

§. XXXIX.

Philautiam autem, quam vitiosam diximus, esse morbum voluntatis, siue constitutionem naturalem voluntatis euertere, licet ipsa quemlibet

libet doceat experientia, luculenter tamen probari potest. Et primo quidem inde illud evinco, quod omnia vitia moralia et peccata, ea etiam, quae hominum maxime improborum confessione talia sunt, ut impietas, superbia, iniustitia &c. hinc fluant. Effectus ergo vitiosus talem omnino ponit causam. Philautia autem, ex qua haec omnia fluunt, voluntati non potest esse naturalis, ceteroquin enim Deus, dum ita eam condidisset, omnium vitiorum esset causa. Ergo statum praeternaturalem, siue morbum voluntatis, clarissime arguit.

§. XL.

Deinde, idem ex eo probari potest, quod motus ex philautia vitiosa procedentes animum nunquam tranquillum reddant. Si enim voluntas boni istius, ad quod appetendum per philautiam vitiosam incitatur, composit reddatur, non tantum metu illud amittendi, qui istiusmodi bona semper comitatur, angitur, sed cum horum bonorum perpetua possessio esse nequeat, nova cupiditate aliud consequendi accenditur, aut etiam taedio et fastidio istius boni, quod possidet; repletur. Sin bonum, quod cupit, obtinere nequeat, quod itidem saepius contingit, rursus nouo et irrito appetitu misere excruciat. Quicquid autem animum angit et excruciat, illud neutiquam illi bonum esse potest. Voluntas autem nostra

Italia per vitiosam philautiam appetens, morbum suum palam prodit.

§. XLI.

Atque hoc morbo voluntatem nostram laborare, quilibet rationis rectae ductum sequens, facile intelligit. Causam tamen primam, et ipsum huius mali fontem, philosophia ignorat: divinae tamen literae nos docent, eum non alium esse, quam connatam nobis omnibus, et omnium hominum pectoribus insidentem *labem*.

§. XLII.

Nec tamen diffitendum, per *corporis* constitutionem et temperamentum, partim ad certam boni apparentis speciem hanc ad mala propensionem determinari, partim etiam augeri, et magis in expugnabilem reddi.

§. XLIII.

Accedit *educatio*, et *consuetudo*, per quam haec voluntatis nostrae propensio mirifice roboratur, adeo ut vel per hanc solam, in alteram degenerare naturam possit.

§. XLIV.

Huic consuetudini tum alia, tum maxime *aliorum* hominum *mores*, et occasionem, et alimentum, subministrant. Quamprimum enim in amplissimum hocce mundi theatrum prodimus, statim quod alios agere videmus, id nobis quoque imitandum esse, arbitramur.

§. XLV.

§. XLV.

Intellectus quoque *praeiudicia*, et errores practici, inter philautiae, et vitiorum hinc propullantium causas, suum sibi vindicant locum. Cum primis praeiudicium, quod *auctoritatis* vocant, longe perniciosissimum est, et plerosque mortalium dat praecipites. Cum enim, quod viros fama, eruditione, auctoritate florentes facere videmus, statim bonum esse, iudicemus, coeco in ea ferimur impetu, et philautiae nostrae pravae vires et robur addimus.

§. XLVI.

Et hoc quidem voluntatis morbo, omnes homines ita infecti sunt, ut nihil nisi quod pravo huic amori conveniens sit, quamdiu divina gratia non sunt collustrati, velint, cogitent, agant, loquantur. Fallunturque, qui ab eiusmodi suscipi quidquam quod rectum sit, Deoque placeat, posse, sibi persuadent.

§. XLVII.

Ceterum licet hic amor sui praeus in vitia infinita fere abeat, possunt tamen malae istae; quae hinc oriuntur propensiones, ad certa quaedam reuocari capita, ut adeo reliqui voluntatis morbi ordine hinc deriuntur.

§. XLVIII.

Et nonnulli quidem tres praecipuas ad mala propensiones, hostesque virtutum capitales constituunt, *carnem* siue *voluptatis desiderium*,

mundum, hoc est, *gloriae et honoris cupiditatem*,
 et *diabolum*, hoc est, *pertinaciam*.

§. XLIX.

Sed cum pertinacia in omnibus propensionibus malis esse possit, et vltimum supremumque gradum constituat, contra vero peculiari quadam propensione homines nonnulli ad opes ferantur, rectius in eius locum *auaritia* substituitur.

§. L.

Hic vero cum primis sedulo obseruandum est cum hisce propensionibus et inclinationibus voluntatis non esse confundendos ipsos affectus, quos in capite praecedenti iisdem nominibus designauimus. Affectus enim isti commotiones transeuntes sunt: at haec inclinationes perpetuo nobis insunt, et difficulter imminui possunt, tantum abest, vt penitus erui et extirpari queant.

§. LI.

Recte autem tres has animi praecipuas ad mala inclinationes statui, inde probo: primo quia omnia bona apparentia, quae hominem ad philautiae abusum commouent, ad tres classes, diuitias, honores, et ea bona, quae iucunda sunt et voluptatem excitant, reuocari possunt, quibus adeo voluntatis nostrae propensiones, peculiari quadam ratione, respondent.

§. LII.

Deinde, quia in homine tria praecipue sunt
 tem-

temperamenta, quae et ad affectus, et propensiones certas eundem impellunt et concitant, sanguineum, cholericum, melancholicum. Phlegmaticum enim peculiarem propensionem per se non producere, supra obseruatum est.

§. LIII.

Accedit, quod omnia vitia et morbi voluntatis ad vnam ex hisce propensionibus, et per eas, ad ipsam philautiam vitiosam reuocari possint. Id quod deinceps luculentius patebit.

§. LIV.

Ex philautia autem praua hasce ad mala propensiones oriri, vel potius nihil aliud esse, quam diuersos philautiae pravae modos, haud difficulter comprobari potest. Omnis amor tendit in obiectum, quatenus ad hominem refertur. Id experientia constat. Hinc et res externae a nemine per se amantur, nisi quatenus ἀχέσιν habent ad ipsum hominem, Ergo et opes, honores, res iucundae, non per se amantur, sed quatenus hominem afficiunt, et ad eius esse aut bene esse, aliquid conferre censentur.

§. LV.

Nimirum qui opes amat, ideo eas amat, quod eas ad sui conseruationem maxime pertinere putat. Voluptati deditus, res iucundae sensibus suis, adeoque sibi delectationem af-

ferentes, appetit. Honoribus nemo afficitur, nisi in quantum se ipsum aliis praestare, seque iis digniorem esse putat. In philautiae itaque centro cuncta concurrunt.

§. LVI.

Hi autem morbi et propensiones voluntati insunt, quatenus mens cum corpore est vnita, et id, quod ad corpus pertinet, ad se quoque pertinere credit. Nimirum non tantum ex lege vnionis, commotiones mentis et corporis se mutuo impellunt, sed mens etiam singulari voluptate perfunditur ex commotionibus quae corpori gratae sunt, sicut vice versa commotiones menti gratae, suauitatem quandam in corpus transfundunt. Interim et mentem pure et sine corpore spectatam, propensionis ad mala in genere consideratae, minime expertem esse, pro explorato habeo.

§. LVII.

Praeterea licet tres istae praecipuae ad mala propensiones, cum *ἀραξία* phlegmatica in omnibus hominibus reperiantur, non eundem tamen singulae in omnibus obtinent gradum, sed in aliis voluptatis, in aliis diuitiarum, in aliis honorum cupiditas eminent, et primas tenet partes. Diuersimode etiam hae propensiones inter se sunt commixtae, prout quaelibet ad alteram relata, diuersum obtinet gradum. Vnde magnam propensionum et inclinationum varietatem prouenire, necesse est.

§. LVIII.

§. LVIII.

Vt autem eo rectius, quae singularum propensionum sit indoles, cognoscatur, sigillatim eas perlustrare, et quae ex iis profluant vitia, tum ratione *honesti*, in officiis hominis erga Deum, erga seipsum, erga alios, tum ratione *decori*, quod in conformatione actionum externarum ad sensus aliorum consistit, praeterea quae earum ratione *iudicii, ingenii, et affectuum* vis sit, vberius exponere iuuabit.

§. LIX.

Qui ergo *voluptatum* cupiditate laborant, magna propensione in ea omnia feruntur, quae sensus externos delectant. Praecipue tamen ea, quae *gustum* et *tactum* afficiunt, vt maxime bona sectantur, et *otio* dediti sunt. Et licet nonnulli magis vneri, alii gulae, litare videantur, si tamen accuratius rem aestimes, illi nemo operatur, qui huic quoque deditus non sit; licet ob causas externas, aut alterius propensionis admixtionem, saepius contingat, vt voluptatis cupiditas interdum hoc, quandoque alio modo sese exerat.

§. LX.

Hinc si officia horum hominum, et primo quidem erga Deum spectes, pietatem fictam et ad externam speciem compositam, in illis deprehendes. Magna in rebus ad religionem pertinentibus sunt incuria, hinc nunquam aut saltem non serio religionis, quam profitentur,

veri-

veritatem sub examen reuocant. Si noua circa doctrinam de Deo oriatur sententia vel disceptatio, eandem nouitatis odioso titulo onerata, repudiant, aut nunquam, penes quam partem sit veritas, serio inquirunt. Ita ergo maiorum placitis adhaerentes, quod desidia nunquam expiandae, et ex voluptate ortae erat imputandum, specioso constantiae nomine honestant, aut pacis et tranquillitatis amorem praeseferunt. Eadem desidia et ignauia eos pronos reddit ad aliorum diuersas opiniones, siquidem voluptati non adeo aduersentur, facile tolerandas, aut conciliandas, vnde et a *syncretismo*, vt vocant, eos non adeo abhorrere videas.

§. LXI.

In cultu autem Numinis languidi sunt, et remissi, et inconstantes. Saepius impetu quodam ad vitam emendandam rapiuntur, qui mox deseruescit, praesertim si occasio voluptatum cupiditatibus sese polluendi, illis se offerat. Cultus externi tamen obseruantiores sunt, quam interni, eo quod ad aliorum mores et consuetudinem vitam facile componant, nec pro impiis haberi cupiant.

§. LXII.

In officiis, quae homines erga se ipsos praestare tenentur, haec ad voluptates propensio maxime se exerit. Qui enim ista laborant, libidinosi sunt, gulosi, vigilantiae ac laborum impa-

impatientes, incurii externorum, inconstantes, emaces, et bona sua facile dilapidant. Animae nullam, corporis nimiam curam gerunt, si modo istud curare censendi sunt, dum morbos, paupertatem, et infinita saepius sibi attrahunt mala, et mortem, quam tantopere exhorrescunt, sibi accelerant.

§. LXIII.

Erga alios equidem beneuoli, et ad misericordiam, ceteraque humanitatis officia exercenda, prouidi videntur, nec temere quenquam palam laedunt, ab iniuriis quoque, siue verbis siue factis inferendae sint, abhorrent: nihilosecius, clandestinis artibus in aliorum grassari perniciem, quandoque non detrectabunt, fidem etiam fallere, pacta violare, mentiri, non sibi ducent religioni. A manifestis iniuriis metus et ignauia illos abstinere: a clandestinis, cum neminem sincere ament, sed ad voluptatem suam cuncta referant, nihil est, quod eos arcere possit. Amicitiam, praesertim cum hominibus sibi similibus, facile et cum impetu ineunt, sed eadem facilitate etiam abrumpunt.

§. LXIV.

Hic semel monuisse sufficiat, cum virtutum nomina id genus hominibus tribuuntur, more hactenus recepto nos loqui, et non ipsas virtutes, sed virtutum species, quae reipsa vitia sunt, ut suo loco docebimus, indicare. Sic quae homini voluptatibus dedito tribuitur liberalli-

beralitas, profusio, et quiduis potius quam liberalitas est, cum eam non rationis praescripto, sed prava inclinatione et summa rerum suarum incuria, exerceat. In ceteris officiis eadem ratione sese res habet.

§. LXV.

De amicitia etiam obseruandum, licet non sit inter officia, et non nisi inter homines, qui iam vitam moresque emendarunt, reperitur: nihilocius cum inter prauos etiam, species et imago quaedam amicitiae deprehendatur, quo pacto in ea colenda se gerant, haud immerito a nobis indicatur.

§. LXVI.

Porro si in statu tum coniugali, tum paterno, tum herili, ut et ciuili eos spectes, si sint inferiores, iugi quidem erunt patientes, sed qui ob ignauiam superiorum iussa, raro exacte exequantur: sin vero sint superiores, ad delicta inferiorum facile connuebunt, et hinc ad liberos, seruos, ciues regendos inepti erunt.

§. LXVII.

Tandem ad decorum quod attinet, homines ad voluptatem propensi, humanitatis laudem facile sibi conciliant: amant munditiam ad excessum vsque: vestibis mollibus, et nitidis, delectantur: in iocos facile soluuntur, eosque non adeo ineptos, sed quo minus, quae obscoena sunt, illis admisceant, vix sibi temperare possunt: praeterea loquaces sunt, et ar-

et arcanorum proditores: tandem in gestibus
 ut et ipso incessu, mollitiem quandam prae se
 ferunt.

§. LXVIII.

Quos vana vexat *ambitio*, hoc vñice in votis
 habent, ut aliis imperent, vel saltem ut ceteris
 digniores praestantioresque videantur. Ob-
 sequium, reuerentiam, laudes, ab omnibus exi-
 gunt, quibus ipsi blandiri non necesse habent.
 Metui insuper malunt quam amari, quod me-
 tus sit potentiae et imperii quaedam confessio, id
 quod in amore secus se habet. Famam, glori-
 amque, vbique sectantur, et ab omnibus digito
 monstrari cupiunt.

§. LXIX.

Quoad officia erga Deum, pertinax illis in-
 fidet impietas. Singulares in doctrina de Nu-
 mine sententias aut ipsi inueniunt, aut ab a-
 liis inuentas facile amplectuntur, et sectan-
 tur, ut supra vulgus sapere videantur. Quin
 si ambitioni suae nullum inde positum iri ob-
 staculum vident, suam palam profiteri, aut
 scriptis etiam tueri impietatem, non dubitant.
 Ex hac ambitiosorum hominum cohorte a-
 thei, et id genus profani homines prodeunt,
 qui ad res manifestas impugnandas non alia
 ratione adducuntur, quam ut ingenii et eru-
 ditionis gloriam ab imperitioribus referant.
 Sectarum quoque, et haeresium conditores, eo-
 dem morbo laborant. Hinc ambitionem prae-
 cipuam

cipuam haeresium esse causam, prudentissimis viris est obseruatum. Pruritus alios vellicandi, contradicendi studium, pertinacia in sententia semel arrepta defendenda, pugnacitas, et id genus alia vitia, quae in eiusmodi hominibus conspiciuntur, ex eodem oriuntur fonte.

§. LXX.

Cum ergo ita de Numine sentiant, quo pacto illud colant, facile diiudicari poterit. Internum cultum plane negligunt: externum, si rebus suis id expedire intelligant, summo studio ostentant, sin sua parum interesse censeant, quid alii de pietate sua sentiant, palam contemnunt. Hinc homines ambitiosissimos, saepius pro religiosissimis mortalium habitos fuisse, mirum non est.

§. LXXI.

Erga seipfos ita se gerunt: sunt laboriosi, vigilantes, parci victus et veneris, constantes, quasvis molestias, vt ambitioni suae litent, subire parati: animum magis quam corpus colunt, sed ea ratione, vt artibus scientisque, quas ad gloriam, honorem, potentiam comparandam aptas esse censent, cum primis illum instruunt.

§. LXXII.

Aliis plane sunt intolerabiles. Atrocissimis iniuriis eos afficere, quos suis cupiditatibus obflare putant, nulli dubitant: sunt crudeles,
con-

contumeliosi, contemptores, imperium, et dignitatem, ac eminentiam prae aliis, ubique affectantes, dissimulatores, ingrati, et, ut paucis omnia dicam, per cuncta quamuis nefanda scelera ad imperium, aut gloriam et honorem grassari, pulchrum ducunt. Amicitiam ex status sui ratione colunt, hinc non temere eam ineunt, initam tamen, si expediat, constanter seruant.

§. LXXIII.

In statu coniugali, paterno, herili, et ciuili, si inferiores sint, immorigeri sunt, et iugi impatientes, et saepius frena mordent. Videas hic, praesertim in statu ciuili, haud raro praeclaro libertatis nomine turpissimam, et male sanam, ambitionem tegi. Sin superiores sint, tyrannorum vsurpant mores, suntque asperi, inclementes, rigidi iussorum suorum exactores, veniam raro impertiunt, quaeuis delicta grauisime puniunt, et semper metui volunt.

§. LXXIV.

Decori sunt obseruantissimi, quoniam ad estimationem apud alios conciliandam hoc apprime facit, ast citra mollitiem et ostentationem. Munditiem ubique amant: corpus ornant, sed masculine, nec effeminati quid in illorum vestitu temere conspicitur: in incessu obseruant grauitatem: sunt praeterea taciturni, sed tamen, si res seria agatur, verba apte faciunt: arcana non temere produnt: simulandi,

di, et dissimulandi artem exacte callent: quin decori leges, si a paucis discesseris, accurate fere observant, saltem illos, qui aut ad voluptatem, aut avaritiam, propensi sunt, multis modis superant.

§. LXXV.

Avaritia denique, quae itidem multorum animis insidet, non tantum pecuniae, sed aliarum quoque rerum, quae pretio comparari possunt, cupiditatem mihi denotat. Hisce enim vnice delectatur avarus, harum possessione recreatur, hisce vnice adhaeret.

§. LXXVI.

In officiis erga Deum ad idololatriam, et superstitionem, maxime proclivis est homo avarus. Cum enim rebus a Numine creatis vnice delectatur, facile inducitur, vt credat, hisce aliquid diuini inesse. Iudicii praeterea defectus multum confert, vt eiusmodi errores facile admittat. Nec enim curae rerum domesticarum permittunt, vt quid Deus sit, aut quo pacto coli debeat, serio inquirere possit.

§. LXXVII.

Colit quidem Deum, etiam cultu interno, sed peruerse. Ideo enim eum colit, vt fortunarum suarum ab eo impetret incrementa. Hinc et cultus externi pertinax est defensor, et quam semel de Numine imbibit sententiam, aegre dimittit. Sed ad magiam tamen simul proclivis est; eo quod haec modum subito dis-

ditescendi, plerisque promittere videatur.

§. LXXVIII.

Sibi ipsi homo avarus parum aut nihil indulget. Laborum ac vigiliarum est patiens, voluptatum contemptor, nec animae nec corporis magnam curam gerit, cum opes utriusque praeferat: hinc et si magnam fortunarum iacturam facias, facile, ut violentas sibi inferat manus, adducitur.

§. LXXIX.

Erga alios inhumanus est, et immisericors, idemque calumniator et invidus, fraudulentus etiam, et perfidus: praeterea litigiosus, et vel leuissima de causa iudicem fatigat: beneficia ut nemini confert, ita in se collata grato agnoscere animo nescit: ad amicitiam, etiam talem quas inter homines qui vitam nondum emendarunt inicitur, plane ineptus est.

§. LXXX.

In statu coniugali, paterno, herili, et civili inferioris personam, si externas actiones spectes, non male sustinere videtur. Est enim iugi patiens, laborum insuper tolerans, ad rem familiarem, quod seruorum et vxorum est, augendam non ineptus, sed idem tamen fraudulentus, et commodi sui cum detrimento superioris promouendi, non temere vllam negliget occasionem. Sed ad alios regendos nemo est ineptior. Vxoribus, liberis, et seruis etiam ea derogabit, quae ad vitam honeste tran-

figendam sunt necessaria, aut ad liberos liberaliter educandos et instituendos requiruntur. Si princeps hoc vitio laboret, grauissimis et non tolerandis exactiōibus vexabit subditos, ministris seruisque fidelibus raro utetur, cum lautis stipendiis praestantes et claros viros allicere, aut eos sibi obstringere negligat, hinc et bella infelicitate geret, nec pacis consilia saepius prosperum sortientur euentum.

§. LXXXI.

Decori plane est negligens. Namque morosus est, et inepte taciturnus, praeterea inhumanus, et inurbanus: vellibus sordidis, vilissimisque corpus tegit: querulus insuper est, et temporis praesentis calamitatem ubique loquitur, aut parsimoniae inculcat praeccepta: citatis semper incedit passibus, et ore ac quibus corporis gestibus sollicitudinem quandam, et nescio, quam curarum, quae pectus obsideant, praefert molem.

§. LXXXII.

Ceterum cum vitae genus, et aliae res extra hominem positae, moribus occasionem praebent, ut in capite praecedenti est demonstratum, quiuis facile intelligit, hasce animi propensiones exinde utcumque aut iugminui, aut augeri, aut etiam effici ut aliter in hoc, aliter in alio homine, ista propensio se exerat. Sic alia ratione miles, alia aulicus, alia eruditus,

ditus, alia denique mercator, suam ambitionem prodit.

§. LXXXIII.

Cum etiam supra dictum sit, hasce propensiones diuersimode inter se commisceri, hic saltem obseruandum, huius commixtionis duplicem cum primis esse effectum. Interdum enim propensio praecipua per alteram ita temperatur, vt vitia, quae hinc oriuntur, minus conspicua fiant, et speciem virtutum induant, e. g. cum ambitio temperatur per voluptatum cupiditatem, aut per avaritiam. Quandoque autem vitia magis se produnt, omniumque oculis offeruntur, vt si supremum gradum avaritia teneat, ad eam autem proxime accedat voluptatis cupiditas. Sed haec vt rite obseruentur, ipsi harum propensionum gradus, sedulo diiudicandi, et inter se conferendi sunt.

§. LXXXIV.

Superest, vt ex promissi lege, morbos ex hisce voluntatis propensionibus in ceteras mentis facultates redundantes enumeremus. Et ad *intellectum* quidem quod attinet, quibus per se obnoxius sit morbis, iam indicauimus. Ex voluntatis autem propensionibus omnino pendet, vt isti morbi augeantur, aut in hoc vel illo homine aliter aliterque se habeant.

§. LXXXV.

Nimirum qui ad ambitionem proclines sunt, vt attentius accuratiusue res quasuis considerant,

derant, et ad eas cognoscendas maiorem adferunt industriam, ita et errores in percipiendo, iudicando, et ratiocinando facilius euitant, non temere dubitant, aut haesitant, nec quod admiratione dignum non sit, admirantur: increduli tamen sunt, et vix quicquam sibi persuadent, nisi causas eius rei habeant perspectas, et suspicione laborant: ratione ratiocinationis practicae, ut fere iudicio practico pollent, ita calliditas potius quam imprudentia, in illis merito reprehenditur: quoad conscientiam autem, cum legum principiorumque notitiam per summam malitiam velut suffocent, haud immerito conscientia laxa, securata, callosa, et cauterisata illis tribuitur.

§. LXXXVI.

Contra qui voluptatibus indulgent, ut per ignauiam et incuriam rebus considerandis raro diu incumbunt, minus accurate earum notiones sibi formant, adeoque in omnibus mentis operationibus facile labuntur, haesitant, dubitant, admirantur: creduli quidem sunt, sed quam admiserunt opinionem, aequae facile dimittunt: iudicio practico valde mediocri sunt, cum praecipitantia et inaduertentia, qua maxime laborant, rerum actionumque *περιστασις* accurate cognoscere non permittat. Ex ratiocinatione practica si eos aestimes, imprudentes potius erunt quam callidi, conscientiam habebunt dubiam et haesitantem, sed qua minime obstantem, si occasio
illis

illis se obtulerit, criminibus ex voluptatis propensione fluentibus, facile se obstringent.

§. LXXXVII.

De illis autem, quorum animis avaritia sedet, ita habendum: maiori quidem in rebus cognoscendis utuntur industria, quam voluptatibus dediti, non tamen ob ingenti defectum, feliciori successu. Hinc aequae facile in omnibus intellectus operationibus errores admittunt, sed longe pertinacius eos defendunt, atque hinc etiam minus dubitant. Cum etiam omnia ad utilitatem referant, pauca admirantur. Sunt etiam creduli, sed errorem, quem ex credulitate hausserunt, pertinacius defendunt: sollicitudo quoque, quae illos occupat, ne ullam rerum suarum iacturam faciant, eos valde suspicaces reddit: in rebus ad congerendas opes pertinentibus, callidi sunt, in ceteris, ob iudicii practici defectum, imprudentes: superstitio denique, quam supra illis vindicauimus, conscientiam illorum *angustam ac timidam* reddit.

§. LXXXVIII.

Phantasia hominis per se quidem satis corrupta est, non tantum quod intellectus legibus non semper obtemperet, sed quod etiam quaedam in ea sit procliuuitas, ad res malas, nobis ut bonas, repraesentandas. Maxima etiam eius imbecillitas in eo conspicitur, quod in

Suis operationibus non iustum teneat ordinem, sed mox in illud, mox in aliud obiectum feratur. Hinc tanta cogitationum humanarum vanitas, prauitas, absurditas, ut nemo facile omnes suas cogitationes publicae luci exponi velit.

§. LXXXIX.

Nihilofecius a voluntatis morbis hanc phantasiae imbecillitatem insigniter augeri, extra omnem dubitationem positum esse arbitror. Quin procliuuitatem ad certa obiecta repraesentanda, et simul inconstantiam, quae in eius operationibusprehenditur, si non vnice, certe maximam partem hinc dependere arbitror. Quae enim saepius cerebro imprimuntur imagines, facilius recurrunt. Ergo et hominis voluptatibus dediti imaginationem valde pronam et facilem reddi, ad res voluptatem corpori afferre solitas, repraesentandas, mirum non est. Eadem ratione in ceteris sese res habet.

§. XC.

Praeterea ut facultatum, quae *ingenium* constituunt, ut iudicii, ingenii specialiter sic dicti, et memoriae, non sint inter se aequatae vires, licet ex corporis constitutione praecipue proueniat, voluntatis propensione respondente: nihilofecius tamen ipsae illae voluntatis inclinationes multum eo conferunt. Namque avarus memoriam, iudicium ambitiosus, voluptati dedi-

deditus ingenium, praecipua quadam ratione exercet. Fieri ergo aliter nequit, quam ut emittente ultra modum vna facultate, ceterae negligantur et deprimantur.

§. XCI.

Tandem ut intelligatur etiam, quo pacto istae propensiones ratione *affectuum* comparatae sint, primo illud denuo inculcandum, affectus ab istis propensionibus non aliter ac actum ab habitu differre.

§. XCII.

Deinde, nec illud praetermittendum, propensiones voluntatis non tantum in affectus directe illis respondentes, sed etiam in affectus cognatos atque connexos facile erumpere. Qui ambitione vexatur, non tantum, si obiectum conueniens adsit, ad affectum ambitionis excitatur facile, sed ad iram etiam, audaciam, similesque affectus est procliuus. Voluptati deditus meticulosus est, sperat et metuit, affectibusque huc proxime accedentibus expositus est. Auarum contra inuidia vrit, tristis idem est, ac desperandus.

§. XCIII.

Sed video hic dubitari posse, annon affectus per se pro mentis morbis sint habendi? Constat enim, non aliam magis quaestionem, inter Stoicos et Peripateticos, olim fuisse agitatam.

§. XCIV.

Equidem Stoicos cum Peripateticis reuera
H 5 pugna-

pugnatic, abnuo, cum illi secundum et tertium in commotione voluntatis gradum, hi vero primum, affectus nomine designauerint. Diuerso itaque sensu poterat asseri, affectus esse motus naturales et voluntarios, bonos et malos, extirpandos et non extirpandos. Sed ulteriori explanatione rem istam dignam arbitror.

§. XCV.

Ego, missis ambagibus, assero, affectus dupliciter posse considerari, vel ratione *essentiae* siue *abstracte*, vel ratione *existentiae* siue *concrete*.

§. XCVI.

Ratione *essentiae* affectus in se indifferentes esse arbitror, nisi ipsum nomen aliquid, quod moraliter bonum aut malum sit, connotet. Prius inde patet, quod affectus nihil aliud sint, quam mentis commotiones. Motus autem mentis et voluntatis in se spectatus, non magis malus et bonus est, quam motus manus aut pedis.

§. XCVII.

Posterius autem sic intelligo: nonnulli affectus iam denominationem sortiti sunt a certo obiecto, circa quod si eo modo versentur, non potest non illis adhaerere quaedam *ατραξία*, adeoque neutiquam sunt indifferentes. Huc refero *inuidiam*, quae odium hominis, cui bonum aliquod obtingit, semper secum coniunctum habet. Tale odium cum citra controuersiam illicitum sit, sequitur, ipsum inuidiae
affe-

affectum omnino malum esse. Et ita in aliis quoque seres habet.

§. XCVIII.

Si autem affectus considerentur ratione *existentiae*, subiecta et gradus sunt discernendi. In homine enim nondum emendato, sed suae vnice libidini, voluptati, ambitioni litanti, quales omnes homines per naturam sunt, omnes quoque affectus malos esse necesse est, cum nec in obiectum legitimum ferantur, nec modus obseruetur.

§. XCIX.

In homine autem iam emendato, et rectae rationis praescriptum sequente, prima quidem voluntatis propensio, siue primus gradus, vitio quidem non caret; interim quoad eam imputandi rationem, quae in foro humano obtinet, cum motus ille naturalis sit, homini non potest imputari. Idem tamen suis affectibus certos limites ponit, ne vnquam ultra secundum gradum excedant, et praeterea in obiectum legitimum, iusto ordine et proportione obseruata eos dirigit, et ita quidem affectus hisce limitibus circumscriptos, neutiquam moraliter malos esse arbitror.

§. C.

Ex haecenus autem dictis, quanta sit voluntatis, et mentis nondum emendatae miseria, abunde intelligitur. Namque primo ex hisce propensionibus prauis *quietis et tranquillitatis defectum,*

fectum, in voluntate oriri necesse est. Id quod iam supra demonstratum est.

§. CI.

Deinde augetur hæc miseria per *conscientiæ terrorem*. Cum enim unicuique etiam rationis ductum sequenti, constet, mentem nostram esse immortalem, Deumque ut iustum iudicem, vitæ bene aut male actæ rationem esse exacturum, sane homo infinitis vitiis ex prauo sui amore profluentibus, obrutus, non potest non æternos exquisitissimosque cruciatus, sibi polliceri.

§. CII.

Quæ autem ceteroquin hominem circumstant *miseriæ*, aut maximam partem hinc oriuntur, aut saltem augetur. Paupertas multis non futura esset molesta, nisi diuitiarum, aut voluptatis, aut honorum cupiditate flagrarent. Sed nonne plerique paupertatem, morbos, et id genus alia mala suismet sibi attrahunt vitiis? Sed et quæ ab aliis hominibus nobis inferuntur mala, ita vt plurimum comparata sunt, vt aut nostra saltem opinione mala sint, aut nostris vitiis, vt hoc faciant, eos adducamus. Detecto igitur omnis miseriæ fonte, ad felicitatem veram, mentisque sanitatem, properemus.

CAP.

CAP. IV.

de

SANITATE MENTIS HVMANAE,
CVM PRIMIS VOLVNTATIS, SIVE DE
SVMMA HOMINIS FELICITATE.

Σύνοψις.

- Fons summæ felicitatis in hominis voluntate quærens, §. I. II.*
- Summa felicitas differt a summo bono, §. III.*
- Summum bonum est ultimus finis, non autem summa felicitas, §. IV.*
- Bonum est vel absolutum, vel relativum, §. V.*
- Hoc est vel individuale, vel compositionis, §. VI.*
- Bonum est vel ætuum, vel passuum, §. VII.*
- Aliæ boni divisiones, §. VIII.*
- Porro bonum est vel verum, vel apprens, §. IX.*
- Illud unum, hoc multiplex est, §. X.*
- Dantur quoque certi bonorum gradus, §. XI.*
- Axiomata generalia de bono, §. XII.*
- An vita et mors inter bona, an mala referenda? §. XIII.*
- Quo censu sanitas, pulchritudo, &c. veniant? §. XIV.*
- Quod res extra hominẽ po-*
- sitæ, exceptis malis geniis, non nisi per accidens malæ sint, §. XV.*
- De cibo et potu, honore, divitiis, etc. §. XVI.*
- Hominem homini bonum potius quam malum esse, §. XVII.*
- Solus Deus summum bonum est, §. XVIII.*
- Characteres summi boni, §. XIX.*
- demonstrantur, §. XX. XXI.*
- Ex his colligitur, summum bonum non consistere in divitiis, honoribus, voluptatibus, §. XXII.*
- nec in animi tranquillitate, iuxta Epicurum, §. XXIII.*
- nec in habitu virtutis, aut operatione secundum eam rationem, §. XXIV.*
- nec in eruditione, §. XXV.*
- aut sanitate corporis, §. XXVI.*
- aut aliis rebus quibusvis præter Deum, §. XXVII.*
- Esse Deum, supponitur, §. XXVIII.*
- Eum esse summum bonum, probatur, quia vitam ho-*

minis præstantissimam
perficit, §. XXIX.

quia voluntatem sanitati re-
stituit, §. XXX.

quia animum hominis tran-
quillum reddit, §. XXXI.

quia perenne et æternum
bonum est, §. XXXII.

quia eius possessio ab omnibus
obtinere potest, §. XXXIII.

es per se etiam expetenda est,
§. XXXIV.

Quo pacto hoc summum bo-
num possideatur, §. XXXV.

Ex parte hominis ad hoc non
sufficere operationes intel-
lectus, §. XXXVI.

Sed requiri operationem vo-
luntatis seu amorem, §.
XXXVII.

qui est vel concupiscentiae, §.
XXXVIII.

vel complacentiae, §. XXXIX.
et hic vel amicitiae vel obedi-
entiae, §. XL.

Deus pro perfectionum qui-
bus gaudet, diuersitate, di-
uersimode, nobis exhibe-
tur, §. XLI.

Cur amandus sit amore con-
cupiscentiae? §. XLII.

cur amore amicitiae? §. XLIII

cur amore obedientiae? §.
XLIV.

An omnino amore concupi-
scentiae Deus amandus
sit? §. XLV.

Quod tres istae amoris po-

ties, certo ordine inter se
coniunctae esse debeant,
§. XLVI.

Quae Dei erga hominem sit
operatio, §. XLVII.

Quid amor Dei? §. XLVIII.

Amoris huius effectus, ut ho-
mo Deo similis euadat, §.
XLIX.

Quae hominis cum Deo con-
iunctionem consequantur,
§. L.

Inter ea primum locum obti-
net virtus, §. LI.

Virtutis veras proprietates,
§. LII.

Diligentia, §. LIII. LIV. LV.

Obedientia, §. LVI. LVII.

Iustitia correctrix, §. LIX.

Humilitas, §. LX. LXI. LXII.

Quod unica tantum sit vir-
tus, §. LXIII.

quae tamen per diuersa offi-
cia se exerit, §. LXIV.

et ab obiectis diuersas fortis-
simas denominationes: hinc

tres virtutes cardinales,
§. LXV.

De iustitia, moritum? §.
LXVI.

Decorum quo pacto ad vir-
tutem spectet, §. LXVII.

De Stoicorum effato: omnes
virtutes inter se vinculo

inseparabili connexas esse,
§. LXVIII.

Quod

Quod per virtutem, mentis
reliquae facultates emen-
dentur, §. LXIX.

Speciatim intell. eius, §. LXX
quoad singulas operationes,
§. LXXI.

Contra hominis virtuti
dedici, qualis? LXXII.

Propria quoque ei est pru-
dentia, quae quatuor ab-
soluitur partibus, §.
LXXII.

Attentione, §. LXXIV.

Circumspectione, §. LXXV.

Providentia, §. LXXVI.

Discretione, §. LXXVII.

Emendatio ingenii et iudicii.
§. LXXVIII.

Afflictuum, §. LXXIX.

Nemo nisi virtuti deditus re-

bus extra se positus recte ve-
titur, §. LXXX.

Nec per fortunam adversam
miser evadit, §. LXXXI.

Multo minus mox metu-
it, §. LXXXII.

Alter summam felicitatis effe-
ctus, est animi tranquilli-
tas, §. LXXXIII.

quam constat ineffabilis
suavitas, sive gaudium
animi, §. LXXXIV.

itemque libertas, §. LXXXV.

Tertium effectus, est amicitia
honorum cum bonis, §.
LXXXVI.

Quae hanc felicitatem miri-
fice auget, §. LXXXVII.

Conclusio huius doctrinae,
§. LXXXVIII.

V T fontem et scaturiginem omnis mali, in
voluntate hominis, et quaesivimus, et in-
venimus: ita et dubium non est, quin fons verae
et summam felicitatis, in eadem sede sit quaeren-
dus. §. II.

Est nimirum, ut iam saepius dictum, volun-
tas nostra facultas boniformis, quae infinito ap-
petitu in bonum aliquod fertur. Si ergo in
bonum eiusmodi incidat, quod dum amat, ope-
rationes suas naturales, hoc est, naturae suae per-
fectae convenientes, edit, quod etiam revera eam
exariare, mentemque tranquillam reddere potest
vera hinc oritur felicitas.

SVIII.

§. III.

Vera enim et summa felicitas, veri et summi boni possessione absoluitur. Ita enim merito *summa felicitas a summo bono* discernitur, quod haec sit illius causa, dum eius possessio nos felices reddit, licet vulgo, vtut perperam, haec confundantur.

§. IV.

Summum bonum etiam recte dicitur *ultimus finis*, cum omnes hominum actiones non possint non collimare ad illud obtinendum; quod pro summo bono reputant. At *summa felicitas*, si pro ultimo fine habeatur, homo non tam summum bonum, quam potius se ipsum amare videtur, vtut summi boni possessio sit ipsa summa felicitas.

§. V.

Quodnam ergo summum bonum sit, ordine est inquirendum. Non vna enim ratione aliquid *bonum* dicitur. Namque vt bonitatem, quae actionibus tribuitur, taceam, aliud *bonum est absolute tale*, aliud autem *relatiuum*. Illud est, quod habet essentiam sibi conuenientem. Et hoc sensu quaelibet res bona, vna tamen melior altera; ob perfectiorem essentiam, Deus autem, optimus, recte dicitur.

§. VI.

Bonum relatiuum a nonnullis iterum in bonum *indiuidualale*, et *communionis* dispescitur. Indiuidualale est, quod naturae huius vel illius homi-

hominis conseruandae, et perficiendae, aptum est. Communiois, quod naturae alicuius societatis, conseruandae, et perficiendae est conueniens.

§. VII.

Homo etiam illud quod sibi bonum est, vel nude tantum recipit, vel agendo promouet, atque sibi attrahit. Hinc aliud bonum *actiue*, aliud *passiuum* vocari solet. *Boni actiui* nomine veniunt omnes actiones nostrae, quae ad nostram conseruationem et perfectionem spectant: *passiui* autem vsus et perceptio rerum, naturae nostrae conseruandae, et perficiendae vtilium.

§. VIII.

Praeterea cum aliud bonum minus, aliud magis, ad nostri conseruationem faciat: idque vel destructionem saltem auertendo, vel re ipsa aliquid conferendo; nos etiam in statu naturae nostrae conuenienti, vel non conuenienti, viuamus, diuersimode iterum *bonum* dispesci solet.

§. IX.

Saepe etiam contingit, vt nonnulli aliquid naturae suae perficiendae et conseruandae appetunt, quod tamen eandem destruit, et deteriozem reddit. Hinc bonum in *verum*, atque *apparens*, dividitur.

§. X.

Vt autem *bonum verum* vnum est, licet ab di-

versos respectus mox *bonestum*, mox *utile*, mox *incundum*, dici possit; ita bonum apparens contra multiplex est, et prout aliam aliamque in homine partem afficit, aliud *decorum*, aliud *utile*, aliud autem *incundum* appellitari potest.

§. XI.

Observandum praeterea, cum homo ex mente et corpore constet, in corpore autem vitatum vegetativum, tum sensitivum sit, tria etiam in eodem esse quae perfici et conservari possunt, *vitam* scilicet *vegetativam*, *sensitivam* et *rationalem*, quatum vna altera est praestantior, videntur ipsorum bonorum certi gradus merito constituuntur.

§. XII.

Ex haecenus dictis de *bono individuali*, de hoc enim praecipue sermo est, eoque *passivo*, certas formare licebit conclusiones, tam manifestas, ut a nemine negari possint. Nimirum: quo magis aliquid ad nostri conservationem et perfectionem confert, eo *praestantius bonum* est: quod nostram destructionem a nobis avertit, *praestantius bonum* quidem est, quam quod nobis aliquid confert: sed quod hoc ipso dum aliquid nobis confert, simul impedit ne destruat, adhuc longe *praestantius bonum* est: bonum apparens, malum potius quam bonum est: quicquid vitam hominis aut vegetativam, aut sensitivam, aut rationalem reuera perficit, et conservat, *verum bonum* est: *praestantius bonum*

nam est, quod vitam rationalem conseruat, et perficit, quam quod vitam sensitivam perficit: si bonum aliquod minus praestans, nos vsu et fruitiore boni praestantis priuet, non amplius *bonum* est, sed pro malo reputari debet: contra si boni, minus praestantis privatio, maius bonum secum trahat, pro malo reputari non debet.

§. XIII.

Hiscē ita rite positis, quae homini aut bona aut mala sint, facile diiudicari potest. Ibimus per praecipuas rerum classes. Et primo quidem in ipso homine sese nobis offert *vita*, quam hoc ipso quod fundamentum omnis boni fit, nemo inter res malas reputauerit. *Mors* ergo in se spectata, quatenus vitae cuiusdam destructionem denotat, omnino mala est: sed cum per eam sola vita corporis destruat, et hoc ipso saepius vita animi insigniter perficiatur, pro mala profecto haberi nequit. In illis autem, quorum mens per mortem maioribus cruciatibus exponitur, secus se res habet.

§. XIV.

Sanitas, formositas, robur, scientia, et id genus alia, itidem ad ipsum hominem pertinet et partim pro corporis, partim pro mentis perfectionibus merito habentur. Hinc etiam *bonis* ea annumerare non dubito, sed ita ut etiam in mala haec degenerare posse, fatear, propter allatas rationes: Unde et quid de de-

formitate, morbis, ignorantia etc. Sentiendum sit, patet, cum contrariorum contraria sit ratio.

§. XV.

Tam si res extra hominem positas consideremus, eas ita comparatas esse censeo, ut, si a malis geniis discesseris, de quibus tamen philosophia certi quid definire nequit, nulla per se mala dici queat, nisi quod quaedam ex usu vel abusu potius malae fiant.

§. XVI.

Hoc cum primis conspicuum est in iis rebus, quibus homines ad cibum et potum utuntur. Eae, cum per se ad naturam humanam conservandam aptae sint, malae tamen fiunt, naturamque hominis destruunt, dum homines iis non rite utuntur. Idem et de honore, diuitiisque, et id genus aliis rebus, extra hominem positis, censendum est, quippe quibus homines aut ad sui conservationem, aut destructionem uti possunt.

§. XVII.

Equidem alii homines, quibuscum nobis commercium intercedit, ea videntur indole esse, ut cum non raro nobis noceant, pro malis censerī debeant. Sed re accuratius expensa,prehendes, eos a sapientissimo Numine ita conditos esse, ut ex naturae suae conditione sibi inuicem prodesse, et aliorum commoda promovere debeant. Ergo dum nobis nocent

cent, et adeo *mali* sunt; hoc ipso naturae ordo inuertitur, quin homines esse desinunt.

§. XVIII.

Superest itaque ipse *Deus*, qui ut solus nobis spiritum largitur, solus quoque vitam omnem conseruat, quin omnibus his quae bona vocamus, affatim nos cumulat, ita nemo, a deo omnis mentis expertus erit, qui eum pro malo reputare audeat.

§. XIX.

Multa itaque homini obuersantur bona: sed quodnam in hisce omnibus summum sit, ut adeo eius possessio homines vere felices reddat, id nobis nunc accuratius intelligendum et explicandum erit.

§. XX.

Nimirum si illa res *summi boni* titulo est condecoranda, eius haec sunt proprietates: necesse est: ut vitam hominis nobilissimam, rationabilem scilicet, conseruet et perficiat: ut voluntatem hominis tot morbis infectam, sanitatis suae restituat, ut adeo operationes sibi conuenientes edere possit: adeoque, quod hinc consequi necesse est, ut mentem hominis quietam atque tranquillam reddat: ut bonum istud pessenne sit, cuius amittendi non sit metus: ut ab omnibus serio illud expetentibus possit obtineri: ut denique, ut tale sit quod per se et propter se ita expetatur, ut sui perceptione fruentem perfectis beat.

§. XXI.

Atque hæc omnia iunctim ad summum bonum requiri, facile demonstratur. Quoad primam, secundam, et tertiam conditionem res vel ex definitione boni, manifesta est. Quartum autem requisitum ex tertio fuit, cum mens nostra tranquilla esse noqueat, si metus bonum quo delectatur, amittendæ, eam agitet. De quinto nemo dubitauerit, cum nubes et inanis presentent, qui tale bonum hominibus depingant, cuius nemo possit fieri tempor. Vltimum denique ex eo intelligitur, quod summum bonum etiam vltimus mortalium sitissis, id quod itidem supra demonstratum est.

§. XXII.

Quæ cum ita sint, in manifesto versantur errore, qui aut in bonis, aut diuitiis, aut corporis voluptatibus, summum bonum positum esse arbitrantur. Praeterquam enim quod hæc omnia ne semper quidem bona sint, omnibus etiam summi boni requisitis destituuntur.

§. XXIII.

Rectius quidem Epicurus animi voluptatem huc advocauit, si vera sunt, quæ eius propugnatores differunt: cum tamen ista animi voluptas saltem consequens, atque effectus summi boni sit, ex eius possessione fluens, perperam cum ipso summo bono confunditur.

§. XXIV.

Sic nec illorum probare sententiam possum, qui

qui aut in *habitu virtutis*, aut *operatione secundum rectam rationem*, summum bonum quaerunt. Namque ut virtus semper summum bonum, vel potius eius possessionem aut consequitur, aut comitatur, ita sane falluntur, qui eam pro ipso summo bono habent.

§. XXV.

Multo minus *eruditio*, aut *mularum verum scientia*, summum bonum constituunt. Namque, nec voluntatis morbis medentur, nec animum tranquillum, atque quietum reddunt. Et hinc adeo secundum, tertium, quin etiam quartum, quintum, et sextum requisitum deest.

§. XXVI.

In *sanitate corporis* itidem summum bonum frustra quaeritur. Licet enim sanitas bona sit, pro summo bono tamen haberi nequit, cum etiam qui sanus est, miser esse possit. Contra qui summi boni factus est compos, licet agrotans dolores sentiat, iis tamen non adeo turbantur, ut inde miser, vel infelix dici debeat.

§. XXVII.

Atque idem de ceteris rebus omnibus, si a Deo discesseris, est pronuntiandum. Vnde tandem concludo, *solum Deum* pro summo bono, quod mortalibus obtingere potest, esse reputandum.

§. XXVIII.

Ceterum et esse Deum, et iis cum gaudere perfectionibus, ut eius amor solus nos beatos

reddere possit, suo tempore ex instituto demonstrabitur, nunc autem tantisper hoc supponere liceat, cum nec ullus sanæ mentis homo hæc de re dubitare possit. Id ergo potius dispicendam, an omnia summi boni requisita accurate in ipsum quærent.

§. XXIX.

Vita hominum præcipua rationalis est, cuius operationes, ut supra demonstravi, sunt intelligere et velle. Cum ergo homo nec recte intelligit, nec recte vult, operationes istae corruptae, vitam ipsam corruptam, et depravatam, arguunt. Tum autem recte vult, cum amore ordinato aliquid amat. Hic autem amor ordinatus alius esse non potest, ut itidem iam evictum, quam amor Dei. Ergo solus Deus obiectum legitimum est, per quod voluntas a morbo et corruptione sua liberari, et adeo conservari, ac perfici potest. Hinc autem cum et ipso intellectus perficiatur, ut porro probabitur, soli Deo primum summi boni requisitum convenire, clarissime patet.

§. XXX.

Quemadmodum etiam, ut itidem ostensum, vitiosae voluntatis operationes, de ipso eius morbo testantur: ita contra bonae operationes, ut iustitia, temperantia, pietas, ceteraque virtutes et officia, non possunt non sanitatis documentum præbere. Iam vero hæc opera-

operationes ex solo amore Dei fluunt, id quod eundo per singulas, euincere possumus, ergo in amore Dei sanitatem voluntatis, consistere, et ipsam Deum summum esse bonum, necesse est.

§. XXXI.

Quod autem nullores, praeter salum Deum, animum hominis quietum et tranquillum reddere possit, aut boni perennis titulum promerere, apud omnes, ut puto, in confesso est. Eundo per omnes res, quas homines et bonas appetunt, classes, demonstrare possumus, nullam esse, quae non aut fastidium afferat, aut metum, vel aliud quod animum turbet, secum coniunctum habeat, praeter solum Deum. Nihil enim praeter eum perenne esse, si ignoraverit, qui quam caducae et fragiles res omnes sint, quibus homines delectantur, plano nescierit. Salkem per mortem, quae ineuitabilis est, quodcumque deum fuerit bonum, sedem tamen priuamur. At Deo tantum abest ut per mortem priuemur, ut potius cum eodem arctius uniamur.

§. XXXII.

Namque ita omnino de summo bono censet, quod aeternum esse debeat. Ergo ut eius possessio post mortem quoque continetur, necesse est. Iam vero ut de Deo nemo dubitat eum aeternum esse: ita ex parte hominum etiam requiritur, ut summo bono semper

per frui possint. Hic vero omnino suppono, quod alibi ex instituto enucleatur, mentem nostram esse immortalem. Præterea suppono, quod ab omnibus facile conceditur, Deum non velle ut homines miseri sint præter suam culpam, sed potius cum infinitæ bonitatis sit, recte et præclare facta, cum raro admodum in hac vita istud fiat, post mortem remunerari. Hinc porro concludo, Deum non posse mentem, quæ ipsum amando, statum suum naturalem iterum in hac vita acquisiuit, post mortem illo priuare, et miseram reddere. Si autem statum suum naturalem retinet animus, non potest non post mortem etiam Deum, ut summam bonitatem, amare, adeoque Deus pro bono personæ merito habetur. Hoc equidem ex ratione cognoscimus; sed cum peccata nostra et crimina hic se ingerant, mediis utriusque et sufficientiæ, aut statum istum naturalem mentis, superius post mortem continuationem, consequendi, philosophis ignorat. Quæ de re suo loco ex instituto.

§. XXXIII.

Atque hinc etiam intelligitur, quo pacto in Deum quadret, quod porro ad summum bonum requiritur, ut ab omnibus serio eius possessionem expetentibus, possit obtineri. Potest enim et Dei possessio ab omnibus obtineri, non per media quæ philosophia subministrat; sed per ea quæ reuelatio suppeditat, ad

ad quam tamen philosophis nos manuducit.

§. XXXIV.

Denique cum etiam Deus omnes perfectiores, et, ut ita dicam, bonitates, in gradu longe eminentissimis in se continet, palam etiam est, cum per se et propter se expetendum esse. Si enim propter aliud expeteretur, sequeretur hoc ipsum Deo melius esse, quod ineptum, aut saltem a nobis istud Deo praeferrere, quod philanthiae pravae argumentum esset.

§. XXXV.

Postquam itaque demonstravimus, solum Deum summum bonum esse: nunc porro quo pacto istud bonum possideatur, ut hinc felices reddamur, est declarandum. Quod ut rite fiat, primo quae hominis hic sint partes, deinde quid Deus nobis conferat, ordine est differendum.

§. XXXVI.

In homine enim praeter corpus etiam mens sit, et haec rursus variis facultatibus gaudet, sola tamen voluntas, ut facultas boniformis, ad bonum hoc recipiendum, apta est. Licet enim animi actio quaedam intellectus concurrat aut praecedat, non tamen qui Deum recte cognoscit, statim pro felice est reputandus: id quod experientia docet.

§. XXXVII.

Voluntati proprium est, amare. Ergo et operatio voluntatis, qua circa Deum versatur,

non

non alia erit, quam amor, sumta hac voce non pro affectu, sed pro propensione, saepius in aeternam, siue affectum, erumpente. Sed casus amor non sit vnus generis, quo demum amare voluntas Deum prosequi debeat, rite definiendum est.

§. XXXVIII.

Non male amor a nonnullis in amorem *concupiscentiae* et *complacentiae* dispescitur. Amor concupiscentiae est propensio voluntatis, ad obiecta eum quibus ad sui conseruationem, et perfectionem vniri cupit. Nimirum amore concupiscentiae aliquid amamus ideo, quoniam nobis prodest, siue vt praecis dicam, est ipse amor sui, in obiectum extra nos positum ideo tendens, quia homo ad sui perfectionem hoc pertinere putat.

§. XXXIX.

Ast amor complacentiae vocatur, cum aliquid ob bonum aliquid amamus, non tamen praecipue ideo, quod ad nostram perfectionem, et conseruationem, hoc pertinet. Vnde patet, amoris istam distinctionem vnice ex obiecti diuersitate prouenire. Id quod Iulianus patet, si nobiscum expendamus, bonum autem absolute tale, aliud relativum esse: et in illud quidem praecipua quaedam ratione *amorem complacentiae*, in hoc autem *amorem concupiscentiae* ferri.

§. XL.

§. XL.

Amor complacentiae iterum dividi solet in *amorem amicitiae*, et *amorem obedientiae*, quem et *amorem devotionis* dicunt. *Amor amicitiae* denotat amorem hominis erga hominem, et mentis erga mentem mutuum. Sed *amor obedientiae* denotat amorem qui tendit in obiectum, cuius tantam praestantiam et excellentiam esse agnoscimus, et a quo tot in nos profecta sunt beneficia, ut voluntatem nostram eius voluntati plane subiicere, par sit. Si tertiam amoris speciem addas, erga inferiorem, respondebit haec amoris distinctio illi, quam supra de effectu amoris proposuimus.

§. XLI.

Iam porro observandum, Deum ob multiplices et infinitas, quibus gaudet perfectiones, non una ratione nobis representari. Quandoque enim ut ipsa *bonitas* nobis exhibetur, hoc est, qui et possit et velit nobis ea omnia conferre, quae nos beatissimos felicissimosque reddant, nisi ipsi reluctemur: aliquando autem ut ipsa *perfectio*, hoc est, qui omnes quae cogitari possunt perfectiones, in summo et eminentissimo gradu possideat: interdum etiam ut *auctor conditorque* tum huius universi, tum maxime hominum, considerari potest, qui ex creationis iure, perfectam numerisque omnibus absolutam obedientiam ab omnibus exigere possit.

§. XLII.

§. XLII.

Si ergo eum vt fontem omnis bonitatis et sufficientiæ, ex quo omnis nostra felicitas et beatitudo promanet, spectemus, non potest non amari *amore concupiscentiæ*. Cumque ipsa felicitas, et beatitudo, quam nobis conferre potest et vult; summa et infinita sit, amorem etiam istum summum esse necesse est. Ex obiecti enim conditione, amor quoque aut augetur, aut imminuitur.

§. XLIII.

Quod si autem eum vt ens perfectissimum, et quicquid pulchrum ac præstans est, in se contemplanus, contemplanus, non possumus non *amore amicitiae* eum prosequi. Licet enim amor amicitiae vt plurimum ita capiatur, vt amantium æqualitatem denotet, hic tamen vocem istam ita accipimus, prout amorem eius quod in se bonum et perfectum est, et quod iterum nos amat, denotat. Hunc amorem itidem summum esse debere, nemo qui perfectiones infinitas, quibus Deus gaudet, considerauerit, dubitabit.

§. XLIV.

Tandem etiam *amore obedientiæ* Deus est complectendus. Nos enim tum quoad corpus, tum quoad mentem, plane a Deo pendere, nemini se ipsum consideranti, dubium esse potest. Ergo vt omnibus viribus in id incubamus, ne voluntati nostri conditoris, et conserua-

seruatoris, reluctemur, necesse est. Atque ex hoc amore ceu ex primo fonte, omnes obligationes, omnia officia hominis fluunt.

§. XLV.

De amore concupiscentiae, an eo amandus Deus sit, nonnullos dubitare video. Sed cum amor concupiscentiae, in se spectatus, nihil aliud quam amor sui ipsius sit, hic autem quamdiu ordinatus est, non sit illicitus, patet omnino Deum amore concupiscentiae, si ordine hoc fiat, amari posse. Quod ut recte intelligatur, obseruandum, in amore concupiscentiae duo velut obiecta concurrere, ipsum Deum, et felicitatem quam Deus confert. Equidem felicitatem quam Deus confert, amare, neutiquam illicitum est, cum hoc ex amore sui quem Deus rebus omnibus indidit, proueniat. Sed si felicitas haec et beatitudo plus quam ipse Deus, aut Deus propter hanc felicitatem ametur, iam ordo, quem in amando tenere debebamus, migratur. Ergo ne amor concupiscentiae in philautiam prauam degeneret, primario quidem Deus, quatenus nostra conseruatio et felicitas ab eo pendet, secundo autem ipsa felicitas est amanda.

§. XLVI.

Præterea tres istae amoris species, *concupiscentiae, amicitiae, et obedientiae*, ut semper inter se coniunctae sint, necesse est. Amor enim amicitiae, aut concupiscentiae, sine amore obedientiae,

bedientiae, fictus saltem et fucatus amor est. Contra amor obedientiae, sine amore amicitiae, et concupiscentiae, ad metum servilem utcumque accedere videtur. Est tamen et hic observandus ordo, ut amor amicitiae quidem primum, obedientiae secundum, concupiscentiae tertium locum occupet. Hoc ordine enim, si rem accurate aestimes, attributa Numinis, quorum consideratio diversas amoris species efficit, sese excipiunt.

§. XLVII.

Expositis ita voluntatis operationibus, quae Dei operationes erga hominem sunt, est edisserendum. Licet enim Deus bonum passivum vocari possit, dum ab hominis voluntate velut recipitur, idem tamen et activum recte dicitur, cum et ipse si ab homine amatur, eundem rursus amet. Hic vero cogitandum, quaecumque Deo tribuimus, infinitae perfectionis esse, adeoque cum homo se amantem non possit non redamare, multo minus fieri posse ut non Deus se amantes, rursus ab amore infinito, et ineffabili, iterum prosequatur.

§. XLVIII.

Equidem quid amor Dei sit, rectius effectibus intelligitur, quam descriptione exprimitur; videtur tamen in summa et immutabili voluntate, erga rem amantem propensione, consistere. Et licet amor obedientiae concupi-

cupiscentiae, et amicitiae in Deo locum non inueniant, propius tamen ad amorem amicitiae amorem Numinis accedere, recte nonnulli arbitrantur. Pro diuersa obiectorum conditione, diuersa etiam sortitur nomina, et mox amor, in genere, interdum *gracia*, quandoque *miseri-cordia*, dicitur.

§. XLIX.

Effectus autem huius amoris alius esse non potest, quam vt hominem felicem reddat. Ast non potest hominem feliciorum reddere, quam si eum sibi similem reddat. Ipse enim Deus est beatissimus, felicissimusque. Reddit autem hominem sibi similem, tum intellectum, praecipue voluntatem, ab omnibus vitiis et morbis purgat, siue intellectui diuinum lumen, amorem purissimum voluntati, aut impertit, aut si haec iam adsint, magis magisque auget. Aut in eo sanitas mentis, praecipue voluntatis, et ipsum summae felicitatis centrum consistit. Quare autem homines huius felicitatis, praeterquam in hac vita plane non reddantur, (si reuelatione fuerint destituti) aut reddi plene non possint participes, in sequentibus vberius edisseretur.

L.

Effectus qui hanc mentis per amorem cum Deo coniunctionem, summaeque felicitatem consequuntur, tres sunt: maximam et indefessum studium omnes sunt actiones, ad vo-

luntatem diuinam componendi; summa et ineffabilis animi tranquillitas; amicitia bonorum cum bonis.

§. LI.

Studium istud se, et suas actiones, ad voluntatem Numinis componendi, ceteroquin *virtus* appellitari solet. Ita enim virtutem definiunt. Et verbis saltem, non re ipsa, a nobis dissentiant, qui virtutem per amorem rationis, aut per constans animi propositum vitam ad legem componendi, aut simili ratione definiunt.

§. LII.

Ne cui autem falsa virtutis illudat imago verae virtutis proprietates, sedulo sunt observandae. Eiusmodi proprietates quatuor esse puto, *diligentiam, obedientiam, iustitiam correctricem, et humilitatem*. In quo quidem recentiorum quorundam placita, haud immerito sequor.

§. LIII.

Diligentia, est studium toto animo attendendi ad voluntatem diuinam, et in eam inquirendi. Nisi enim hanc fuerimus edocti, non etiam nostras ad eam componere possumus actiones.

§. LIV.

Hoc ut rite fiat, primo animus auertendus est ab iis rebus, quae hanc cognitionem impedire possunt, quales sunt quae sensus exter-

nos impuent, et prauas propensiones in nobis excitant. Huc praeiudicia, errores, opiniones vulgo receptae, et alia eiusmodi obstacula, fortiter remouenda, spectant.

§. LV.

Deinde vox ipsius Dei, de sua voluntate nos certiores reddentis, sedulo est auscultanda. Manifestat autem Deus suam voluntatem, primo per rectam rationem, deinde per diuinas literas, ad quas recta ratio nos ducit, vt suo tempore demonstrabitur. Ergo et ratione recte vtendum, et, quod inde consequi necesse est, quae nobis impertitur reuelatio, summo et indefesso studio est pertractanda.

§. LVI.

Altera virtutis proprietas est *obediencia*, hoc est, executio eius, quod voluntati diuinae conforme esse, siue dictamine rectae rationis, siue ex verbo reuelato, accepimus.

§. LVII.

Duae obedientiae huius partes sunt: primo, facere ea, quae Deus vult et praecipit, deinde omittere ea, quae non vult et vetat. Vnde et sequitur, nihil ex consuetudine, aut ideo quia mores recepti ita ferunt, omnia autem ideo agenda vel omittenda esse, quia diuinae voluntati sunt conformia.

§. LVIII.

Tertia virtutis proprietas est *instituta correctrix*, hoc est, studium actiones ad voluntatem diu-

nam tam accurate conformandi, vt nec in defectu, nec in excessu peccetur.

§. LIX.

Nimirum bonitas actionum moralium consistit in puncto, adeo vt si vel minimum a lege et voluntate diuina deflectas, non amplius sit bona, sed euadat mala. Et hoc sensu verum est, vnam actionem non magis bonam aut malam esse, altera. Iustitia ergo correctrice opus est, vt haec conuenientia cum voluntate diuina, accurate obseruetur.

§. LX.

Quarta virtutis proprietas est *humilitas*, hoc est, incuria et neglectus sui prae amore diuino. Ita enim nos actiones nostras ad voluntatem diuinam componere debet, vt hae omnes cogitationes, omnia consilia referamus. Qui enim sui ipsius, non Dei causa virtuti operatur, *Φλαυτος* est, et seipsum potius, quam Deum amat.

§. LXI.

Absoluitur *humilitas* in eadem duabus partibus, *in spectione sui, et despectione sui*. Illa hominem ad seipsum notitiam adducit. Deprehendit autem homo seipsum considerans, se multis et infinitis miseris circumuallatum, quicquid boni habet, id bonitati diuinae esse imperandum.

§. LXII.

Hinc sequitur *despectio sui*, quae non modo in

becil-

becillitatis et miseriae suae conuictus, nihil omnino sibi tribuit, sed ad bonitatem diuinam se vnice recipit, sequē per eam solam saluum et incolumem esse, semper grate agnoscit.

§. LXIII.

Ceterum ex haecenus dictis liquido constat, *unicam* saltem esse *virtutem*. Vnicum enim est studium, se et suas actiones, ad voluntatem diuinam componendi. Ast haec virtus tamen per actiones varias sese exercit, quae a iurisprudentia tum naturali, tum diuina diriguntur, et *officia* appellitari solent.

§. LXIV.

Patet itaque quodnam inter *virtutem*, et *officium*, intercedat discrimen. Obseruandum tamen vocabulum officii (quin ipsius virtutis, quatenus pro officio, quod multis solenne est, sumitur) iis aliquando actionibus tribui, quae tamen ex virtute, hoc est, studio suas actiones ad voluntatem diuinam componendi, non fluunt. Sic si quis voluptati deditus offensae deueniam, et vindicta absteineat, quia natura mollis, effeminatus, timidus, et famae prodigus est, actio quidem legi conformis videbitur, quia tamen non procedit ex studio se et suas actiones ad voluntatem diuinam componendi, quiduis potius quam officium erit. Eadem ratione febres habet cum temperantia, et vigilantia, hominis auari, aut superbi, similibusque officiorum imaginibus.

§. LXV.

Nihilofocius, licet virtus vnica fit, non tamen obstat, quo minus a diuersis, circa quae versatur obiectis, diuersa fortior nomina. Obiectum autem personale virtutis cum triplex sit, Deus, homo ipse qui secundum virtutem vivit, et alii homines: non improbo illorum sententiam, qui tres virtutes cardinales, pietatem, temperantiam, et iustitiam, constituunt.

§. LXVI.

Iustitiae autem vocem, in latiori hic accipio ambitu, prout tum in genere officia erga alios, siue perfecte, siue imperfecte ad ea obligentur, tum in specie officia ex certo statu relationis, denotat. Si enim rite capiatur, non adeo ineptum est Stoicorum effatum, solum sapientem, hoc est, ex studio suas actiones ad voluntatem Dei componendi, cuncta agentem, regem et principem, addo et dominum, et seruum, et subditum, et patrem, et matrem, et filium, esse.

§. LXVII.

Sed decori quoque non est negligens homo virtuti deditus, quin, quantum honestatis et diuini amoris ratio permittit, eius et obseruantissimus, circa omnem ostentationem aut affectationem. Probe enim scit, quaedam officia ita comparata esse, vt hoc vehiculo indigent. Romanus itaque est, et comis, urbanus, affabilis, in vestitu et cultu munditiem, sed non ad

ad excessum, in incessu grauitatem, sed citra superbiam, obseruat. In ceteris eodem modo se res habet.

§. LXVIII.

Ex haftenus allatis etiam patet, non male Stoicos docuisse, virtutes esse inter se inseparabili vinculo connexas. Plures enim sunt virtutes, dum vna eademque virtus plures fortitur denominationes: eae tamen sunt inter se colligatae, quia studium suas actiones ad voluntatem diuinam componendi, omnes continet. Et qui vel in vnica actione non studet, se ad voluntatem diuinam componere, is omnem virtutem amisit. Pugnans quippe haec secum, voluntati diuinae obtemperare velle, et eidem tamen repugnare. Qui autem de officiis externis, et virtute vacuis, hoc effatum capiunt, non possunt non istud pro longe ineptissimo, habere.

§. LXIX.

Quemadmodum autem praua voluntatis propensio, vt demonstrauius, ceteras mentis facultates corrumpit: ita vice versa voluntate sanitati restituta, serioq; secum decernente, voluntati diuinae in omnibus obsequi, ceterae etiam mentis facultates conualescunt.

§. LXX.

Equidem ad intellectum quod attinet, licet quandoque voluntatis operationes praecedat, et exuendo praecipuas opiniones, atque

errores, voluntatis sanitatem promoueat, hiloscitius vt multi et praecipui morbi, qui laborat, a voluntate originem trahunt, ita voluntate emendata, intellectum etiam emendat, et corrigi, necesse est.

§. LXXI.

Nimis emendatae voluntatis homo, constantiter et diligenter, et sine praecudiciis, in veritatem inquit, hinc et ignorantiam, quae illi vitio verti poterat, facile depellit, erroremque exiit. Praecipitantiam et inaduertentiam, et auctoritatis opinionem, et si quid praeter negligitiam praecae, quibus hominis voluntas laborat, propensiones, intellectui offendant, illi fugit, iudicium emendat, et nihil quidem quod non habeat exploratum, affirmat autem, nec tamen sine ratione dubitat, aut quod quid admittat. Suspicio in illum plane non cadit: hominibus tum credit, cum illi credere oportet; diuinae autem auctoritati fidem sine more adhibet.

§. LXXII.

Conscientia gaudet tenera, cum valde sollicita sit, ne quid, quod diuinae aduersetur voluntati, admittat: simul tamen laeta et tranquilla, cum certus sit, cuncta eo se egisse animi proposito, consilioque, vt diuinae voluntati seruetur satis.

§. LXXIII.

Cum primis autem in eo elascit prudentia, sum-

Sumpta hac voce non pro actu practice ratio-
nandi, aut pro habitu, sed pro virtute, quae
voluntatis correctionem sequitur, et quatuor
velut partibus, *attentione, circumspessione, pro-
videntia, et discretione* absoluitur.

§. LXXIV.

Attendit nimirum vir prudens semper ad re-
gulam vitae, voluntatem scilicet diuinam: item-
que ad facta praeterita, observando quo succes-
su hoc vel illud fuerit susceptum, et denique ad
vires suas, ne onus subeat cui serundo par non
sit.

§. LXXV.

Circumspessio negotiorum omnium habet ra-
tionum, idque in omnibus actionibus, ne ex
earum neglectu aliquid admittatur, quod diui-
nae repugnet voluntati.

§. LXXVI.

Providentia autem, actionis eventum, et quid
ex ea tum sibi, tum aliis futurum sit, prospicit.

§. LXXVII.

Discretio denique, bona a malis accurate di-
stinguit, ea etiam quae speciem saltem boni praes-
ferunt servatur, illorumque malitiam detegit.
Cuncta vero eo tendunt, ut finis bonus sit, et
media etiam fini huic consequendo convenientia,
adhibeantur.

§. LXXVIII.

Praeterea dum homo virtuti operans animi
virtutibus, secundum rectam rationem virtuti

K 5

phan-

phantasia quoque intra iustos reuocatur limites. Non enim amplius imaginibus rerum, prauis voluntatis propensionibus gratarum, cerebrum fatigatur. Hinc et iis facile ingenii et iudicii morbis, qui aut prava consuetudine, aut ipsis illis propensionibus voluntatis, quibus homo in transuersum agitur, originem ducunt, medelam afferit.

§. LXXIX.

Tandem et affectibus suis imperat, iisque leges dat, et limites ponit, et eos qui in se nihil mali continent, ad finem et obiectum bonum, adhibita iusta proportione, dirigit. Illos autem qui aliquid mali secum vehunt, quantum potest, eradicare annititur.

§. LXXX.

Res extra hominem positae, cum hominis nondum emendati miseriam multis modis augeant, mox cupiditatem, mox metum, mox alias animi perturbationes in eo excitando, homini ad Dei voluntatem suas actiones componenti, nihil plane nocent. Diuitias enim et honores, et quae sensibus gratae sunt, si illis carendum sit, non concupiscit: sin sua sponte illi obueniant, iis ita vitur, prout Deus vt iis vtetur, iussit.

§. LXXXI.

Si fortuna aduersa ingruat, si cum paupertate, morbis, infamia, colluctandum sit, prompto haec excipit animo, probe sciens, inuito Numi-

Numine nihil horum sibi contingere potuisse. Ast quae volente Deo sibi obueniant, cum sciat, nihil nisi boni ab eo sibi immitti, nequam mala esse firmiter credit, et hinc placide diuinæ voluntati adquiescit, et nullo modo commouetur.

§. LXXXII.

Quin si ipsa mors sit subeunda, non contremiscit, sed praesenti animo vocem imperatoris, ex statione discedere iubentis, excedat. Namque inuito Numine se nequaquam mori posse, plane persuasus est. Cum vero iubente Numine in hoc vitae theatrum prodierit, nullam causam videt, cur non eodem iubente, prompte hinc excedat. Et quidni excederet, cum et mentem esse immortalem, et post mortem felicitatem suamret auctum, et continuatum iri, sciat.

§. LXXXIII.

Atque hinc statim alter summae felicitatis effectus, *summa scilicet et ineffabilis animi tranquillitas*, sese nobis offert. Cum enim nec extra hominem, nec in illo quicquam sit, quod animum eius turbare possit, summa profecto tranquillitate illum gaudere necesse est. Accedit, quod amor Numinis animum ita exatiet, ut tamen neminem illum eius fastidium subest, cumque perennis et perpetua huius boni possessio, metus omnis, et quicquid animos turbare potest, procul aberit.

§. LXXXIV.

§. LXXXIV.

Hæc tranquillitas secum vehit *suavitatem* quandam insubilem, quam gaudium animi, stomachi *admittunt*, non male quidem, si plerumque *istud*, et sine omni commotione animam perfundens, intelligatur.

§. LXXXV.

Comitem etiam habet *libertatem*, qua non tantum vitiorum et affectuum durissimum iugum *amara* depulsum est, sed cuncta etiam libenter agit, et patitur, quæ sibi agenda, et patienda nouit.

§. LXXXVI.

Tertius denique summæ felicitatis effectus est, *amicitia bonorum cum bonis*. Cum enim boni omnes ad vnum finem tendant, maximæque morum inter eos sit similitudo, causæ, etiam, quæ alios homines ad mutua odia et inimicitias impellunt, auaritia scilicet, ambitio, et voluptatis cupiditas cessent, non potest non maximæ et artissimæ, animorum inter eos *coniunctio*.

§. LXXXVII.

Hæc coniunctio, cum per se homini, ad *societatem* quippe nato, et societatem semper appetenti, admodum iucunda sit, et fruivitatem *ineffabilem* offerat, magna tamen exinde etiam sortit commoda. Opera enim et consilio sibi inuicem inserviunt: quin nihil tam molestum

est,

est, quod non vir bonus amici gratia, semper subire paratus sit.

§. LXXXVIII.

Et haec est illa mentis sanitas, haec est illa felicitas, quam omnes nauibus atque quadrigis petunt, sed quam pauci consequuntur; quin, quae est humani generis infelicitas, quam ex solo rationis praescripto, nemo consequi potest. Interim monstrat tamen ratio scopum, et satis clare monstrat, omnesque adeo excitat, ut de vera via et ratione ad illum pertingendi, solliciti sint.

CAP. V.

de

SIGNIS EX QUIBVS LATENTES NOMINVM MÖRES, ET PROPENSIONES, COGNOSCI POSSVNT.

Eiusdem.

quid per mores intelligatur,

§. I.
Sunt vel boni, vel mali, §. II.
Mores sunt an per difficultate
cognoscuntur, §. III.
Sunt in aliis, §. IV.
Mores sunt in seipso, §. V.
Cognoscuntur ante postquam per
certa signa, §. VI.
Quid sunt mores, §. VII.
ad signa ad seipsum, §. VIII.

morum, tum de his
per se, §. VII.
Ad illas temperantiam
refertur, §. IX.
In quo tamen cause proce-
dentibus, §. X.
praesertim si horum mores
indistincti, §. XI.
In tempore sunt, §. XII.
similes simul ad aliam
respicendum, §. XIII.

Occa

Occasiones morum quo iure
inter signa referantur, §.
XIV. XV.

Scorum spectatas parum
probant, §. XVI.

Signa non casualia, vel na-
turalia sunt, vel moralia;
ad illa signa physionomi-
ca pertinent, §. XVII.

quae referuntur, §. XVIII.
ad certa capita renocantur,
§. XIX

Quo pacto ex colore faciei,
documentum morum capi
queat, §. XX.

item ex motibus tum corpo-
ris, tum faciei, §. XXI.
XXII.

ex incessu, §. XXIII.

ex voce, §. XXIV.

configura corporis, confir-
matione partium, ceteris-
que signis physionomicis,
§. XXV. XXVI. XXVII.

Signa moralia, §. XXVIII.

Huc pertinent verba et facta

§. XXIX.

Ad illa non solum singulas
locos, quam integre ora-
tio, §. XXX.

Ex sermone mores colligun-
tur vel indicantur, vel dipo-
ntur, §. XXXI.

Quo pacto ex sermone in-
velligatur, an quis polle-
at indicio, §. XXXII.

XXXIII.

aut ingenio, §. XXXIV.
XXXV.

aut memoria, §. XXXVI.
Quo pacto ex scriptis mores
alicuius indagentur, §.
XXXVII.

Quo pacto sermo directe bo-
minum mores indicet, §.
XXXVIII.

et quidem si aperte loquan-
tur, §. XXXIX.

item si animi vitia disimu-
lent, §. XL. XLI. XLII.

Haec factis isidem hominum
mores cognoscuntur, §. XLIII
et quidem vel indirecte, §.
XLIV. XLV.

Vbi directe, §. XLVI.

Vbi cavendum, ne vitia, quae
per naturam insunt, con-
fundamus cum illis, quae
per consuetudinem insunt
§. XLVII

ne in praecipua propensio
desiguanda aberremus, §.
XLVIII. XLIX. L.

applicatio prima in nostris
moribus est instituenda, §.
LI.

in aliis primo inquirendum,
an sicam iam emenda-
verint, §. LII.

Quid de illis qui iam virtutem
ei dediti sunt, observan-
dum, §. LIII.

item de illis, qui adhuc virtutem
sunt immeriti, §. LIV.

§. I.

§. I.

Mores hominum, ut ex supra dictis patet, nobis nihil aliud sunt, quam dispositiones siue propensiones, et inclinationes voluntatis, ad bene aut male agendum, siue per naturam insint, siue per actus saepius iteratos, vel alia ratione, acquirantur.

§. II.

Cum vero in homine duplex propensio vel inclinatio sit, alia ad bona, alia ad mala, speciem tamen boni prae se ferentia, vel potius duplex amor, beatus Dei, et praui sui ipsius: hinc etiam duplicis generis mores, *boni et mali* inde oriuntur. Et mali quidem pro diversitate morborum, quibus voluntas nostra laborat, *itaque variis sunt*: alii enim sunt hominum avarorum, alii ambitiosorum, alii voluptuorum ditorum.

§. III.

Præterea, hosce mores et propensiones difficulter cognoscimus, et diiudicamus, non tantum in *aliis*, sed et in *nobis ipsis*.

§. IV.

Et ad alios quidem homines quod attinet, cum illorum actiones externae nobis saltem offerantur, et præterea ipsi data opera vitia sua diffundunt, speciemque virtutis induant, haud facile de illorum propensionibus iudicium ferri posse, mirum non est.

§. V.

§. V.

Orre tamē accuratius expensa, non minori difficultate nostras, quam aliorum, propensiones detegimus. Cuius rei non alia est causa, quam prava quae omnibus infidet, *Philautia*. In hac enim tum ceterae propensiones malae, tum illud quoque fuit, quod ad nostra vitia excusanda, valde sumus proni, quin' ut vix animum ad mores nostros serio examinandos, inducere queamus.

§. VI.

Interim nostra magnopere refert, ut tum alicubi, tum praecipue nostros mores, et propensiones, accurate exploratos habeamus. Ad hocque hunc in finem certa observanda sunt signa, quae in latentium propensionum cognitionem nos deducant.

§. VII.

Signa haec commode in *causalia* et *non causalia*, et haec iterum in *naturalia* seu *secundaria*, et *monialis* seu *primaria*, dispesci possunt.

§. VIII.

Signa causalia, quae et aliis *a priori* vocantur, sumpta voce in laxiori ambitu, partim ipsae morum propensionumque *causae*, partim res, quae moribus et propensionibus contrahuntur, *causae* sunt, quae in se ipsas non habent, sed in aliis, quae in se ipsas habent, cognita et causa, non amplius nos latere defectus potest.

§. IX.

§. IX.

Ad signa causalia primi ordinis, praecipue refero *temperamentum* cuiusque hominis. Licet enim *temperamentum* non sit causa adaequata et vnica propensionis, et inclinationis, quae in homine conspicitur, multum tamen ad eam confert, partim ad certum obiectum amandum, aut auerſandum, mentem hominis determinando, partim conuulsam ad praua propensionem, augendo, et fouendo.

§. X.

Quod si ergo mihi constiterit, corporis temperamento in supremo gradu sanguineo, aliquem gaudere, haud male inde colligo, illum praecipua quadam propensione, ad voluptates ferri, et ad eos affectus actionesque, quae ex eo fluunt, valde procliuem esse. Si de me ipso hoc mihi constiterit, eadem ratione argumentari licebit.

§. XI.

Ast vero cum nemo mortalium temperamento puro utatur, sed diversimodè quatuor ista temperamenta inter se sint permixta, magna hic opus est circumspectione, ne iudicium feramus, priusquam certi simus, quoto gradu circiter v. g. sanguineum temperamentum superet cholericum, hoc phlegmaticum, et hoc rursus melancholicum, et vice versa.

§. XII.

Ast aliorum hominum temperamentum tam

accu-

accurate explorare, non semper nobis concessum est: unde patet, huncce modum latentes mores indagandi, facilius in nostris, quam aliorum propensionibus diiudicandis, vsurpari.

§. XIII.

Cum enim pro diuersitate aetatis, ipsum temperamentum aut imminuatur, aut augeatur, ad hanc quoque attendendum esse, cuius facile intelligit. Hinc si signa temperamenti cholericici, aut melancholici, in aetate iuuenili sese prodant, probabili ratione inde colligere licet, cholericum vel melancholicum temperamentum primas in eo tenere partes, eiusque propensiones, et mores, hinc etiam esse metiendos.

§. XIV.

Praeterea ad signa causalia refert res externas, quae non quidem per se causae morum sunt, sed tamen ad eos alendos, fouendos, et excitandos, occasionem suppeditant. Unde et simul patet, verosimili et probabili saltem ratione ex hisce signis aliquid colligi, cum inter signum, et rem signo denotatam, nullus sit nexus necessarius.

§. XV.

Huc pertinet quod nonnulli dicunt, nobilitatem esse signum ambitionis. Quis omnia quae de moribus nobilium et plebesorum, imperantium et subditorum, diuitem et pauperum, fortuna totum et miserorum, disputauimus,

mus, commode huc referri possunt. Ut enim honores, diuitiae, et id genus res aliae, excitandae et fouendae certae propensioni aptae sunt; ita verosimili quadam argumentatione, homines, qui eas possident, ista etiam propensione gaudere, recte inde colligitur.

§. XVI.

Equidem fateor, haec signa seorsim sumpta, parum probare: nihil secius tamen, si cum aliis iungantur, suo robore pollent, et minime sunt contemnenda.

§. XVII.

Signa non causalia, in naturalia, et moralia diuisi. Ad naturalia omnia ea refero quae physiognomi recensere solent, quae naturalem et necessarium nexum cum temperamento hominis, adeoque et eius propensione habent, licet causa eius rei omnes forte, qui in hoc campo defuderunt, fugiat.

§. XVIII.

Aristoteles nouem signa recenset, quae huc referri possunt. Colligere enim physiognomos aliquid dicit, ex motibus; ex figuris; ex coloribus; ex moribus in facie apparentibus; ex laeuitate; ex voce; ex carne; ex partibus; ex figura corporis.

§. XIX.

Scipio Claramontius autem haec omnia ad tria reuocat capita, temperamenta scilicet et eorum varietatem, conformationes partium, et mores:

denique corporis. Temperamentum autem et quae huc pertinent, ad signa causalia iam retulimus.

§. XX.

Refert tamen idem Claramontius ad temperamentum colorem, leuitatem, carnem: de quibus adeo obseruandum, quod, quatenus de ipso temperamento nos certiores reddunt, mores quoque hominum et inclinationes indicant. Sic viuidus et rubicundus color in facie, pro signo temperamenti sanguinei habetur; vnde et mores hoc temperamentum sequentes, exinde conicere licet. Atque ita intelligitur, quo pacto horum signorum eadem sit ratio, ac ipsius temperamenti.

§. XXI.

Motus autem tum in genere, tum qui in facie apparent, ut etiam vox ipsa, ad vnam merito reuocantur classem, et si accuratius rem metiri velis, non tam morum, quam affectuum signa sunt. Nihilofecius cum affectus ut supra probatum, inter se sint colligati, signa affectuum, etiam eo usque signa morum erunt, si inde intelligamus, aliquem ad hunc vel illum affectum, valde procliuem esse. De colore, aliisque signis physiognomicis, eadem ratione est tenendum.

§. XXII.

Sic si ex motibus in facie, vel colore colligeris, hominem subinde in ita affectum erumpere,

te, quem tamen eousque cohibere sciat, ne per verba aut facta se prodatur, probabili quadam ratione inde colligere licet, ad ambitionem et ad mores hinc proemanantes, cum procliuem esse.

§. XXIII.

Quin et fieri potest, vt hæc signa, præsertim motus corporis, immediate propensionem et inclinationem mentis denotent, cum primis si celeritas aut tarditas in illo obseruetur. Veterum scitum est, ex incessu dignoscendum esse virum. Sic incessus grauis, ac lentus, signum est ambitionis. Homines enim ambitiosi vt nihil non agunt, quo auctoritatem et dignationem sibi conciliant, et leuitate omni, adeoque celeri et incitato incessu, abhorrent. Quemadmodum vice versa inconstans et mollis motus, atque incessus, pro signo animi effeminati, et mollis, voluptatibusque dediti; incompertus autem, et incurius, pro signo animi, opibus diuitiisque inhiantis, habatur.

§. XXIV.

De voce itidem nonnulli obseruant, eius qualitatem animi propensionem indicare. Sic vocem acutam, pro signo animi mollis, et voluptatibus dediti, habent. Grauem contra, animi fortem, intrepidum, adeoque ad ambitionem propensum significare. Sed experientia repugnat, turpiterque falluntur, qui semper remita se habere putant.

L 3

§. XXV.

§. XXV.

Tertia classis partium scilicet conformatio, figuram quoque tum totius corporis, tum singularum partium, sub se complectitur. Hac prolixè Claramontius exequitur, et si quas ab eo traduntur, recte se habent, (maximam partem autem sola observatione, et experientia, constant) facile ad nostras hypotheses accommodari possunt.

§. XXVI.

Attendendum nimirum tum ad affectuum, tum ad mores et ingenii, et tum huius, tum illorum, cum temperamento corporis, connectionem. Namque si partium conformatio, aut huius, vel illius partis figura, audaciam et fortitudinem arguit, probabili quadam ratione inde inferre licet, eosdem homines ad ambitionem, et mores hinc consequentes, esse propensos.

§. XXVII.

Rursus si signa physiognomica ibi recensita, insignis et excellens arguant iudicium, iterum haud male colligetur, eosdem homines ambitione agitari, et ad mores hinc resultantes, magna propensione ferri.

§. XXVIII.

Et hæc quædam sunt signa, quæ naturalia vocavimus. Restant præcipua, scilicet *moralia*. Hæc vero licet iterum a posteriori sumantur, cum sint effectus propensionum animi, ca-

tera

tera omnia tamen et certitudine, et euidencia, vincunt: sed maius adhuc robur, si reliqua etiam signa conspirent, accipiunt.

§. XXIX.

Pertinent huc *verba et facta*. Per verba autem non tam singulas voces, multo minus sonum, et pronuntiationem, quam totam sermonis structuram, intelligo.

§. XXX.

Nimirum *singulae* quidem voces interdum de affectu testantur, notitia autem crebrioris affectus, in notitiam propensionis nos ducit: sed integra tamen sermonis structura, et clarius, et euidentius, animi inclinationem nobis pandit.

§. XXXI.

Fit autem hoc duplici ratione, *indirecte*, aut *directe*. Indirecte, dum ex habitu sermonis colligitur an in ingenio iudicium praestet, an veris imaginandi, an denique memoria praeponderet. Hinc enim rursus, ob arctissimam ingenii cum moribus connexionem, de animi propensione, facile iudicare licbit.

§. XXXII.

Nimirum qui iudicio pollent, sermonis genere vtuntur breui, neruoso, accurato, et paucis verbis profundissimos sensus occultante.

§. XXXIII.

Praeterea iidem dum magna ubique vtuntur circumspectione, aliis non temere credunt, et hinc suspicaces fiunt, neue se ipsos aliis prodant.

§. XXV.

Tertia classis partium scilicet conformatio, figuram quoque tum totius corporis, tum singularum partium, sub se complectitur. Haec prolixè Claramontius exequitur, et si quae ab eo traduntur, rectè se habent, (maximam partem autem sola observatione, et experientia, constant) facile ad nostras hypotheses accommodari possunt.

§. XXVI.

Attendendum nimirum tum ad affectuum, tum ad morum et ingenii, et tum huius, tum illorum, cum temperamento corporis, connexionem. Namque si partium conformatio, aut huius vel illius partis figura, audaciam et fortitudinem arguit, probabili quadam ratione inde inferre licet, eosdem homines ad ambitionem, et mores hinc consequentes, esse propensos.

§. XXVII.

Rursus si signa physiognomica ibi recensita insigne et excellens arguant iudicium, iterum haud male collegeris, eosdem homines ambitione agitari, et ad mores hinc resultantes, magna propensione ferri.

§. XXVIII.

Et haec quidem sunt signa, quae naturalia vocauimus. Restant praecipua, scilicet *moralia*. Haec vero licet itidem a posteriori sumantur, cum sint effectus propensionum animi, caetera

tera omnia tamen et certitudine, et euidencia, vincunt: sed maius adhuc robur, si reliqua etiam signa conspirent, accipiunt.

§. XXIX.

Pertinent huc *verba et facta*. Per verba autem non tam singulas voces, multo minus sonum, et pronuntiationem, quam totam sermonis structuram, intelligo.

§. XXX.

Nimirum *singulae* quidem voces interdum de affectu testantur, notitia autem crebrioris affectus, in notitiam propensionis nos ducit: sed integra tamen sermonis structura, et clarius, et euidentius, animi inclinationem nobis pandit.

§. XXXI.

Fit autem hoc duplici ratione, *indirecte*, aut *directe*. Indirecte, dum ex habitu sermonis colligitur an in ingenio iudicium praestet, an vero vis imaginandi, an denique memoria praeponderet. Hinc enim rursus, ob arctissimam ingenii cum moribus connexionem, de animi propensione, facile iudicare licebit.

§. XXXII.

Nimirum qui iudicio pollent, sermonis generantur breui, neruoso, accurato, et paucis verbis profundissimos sensus occultante.

§. XXXIII.

Praeterea iidem dum magna ubique vtuntur circumspectione, aliis non temere credunt, et hinc suspicaces fiunt, neue se ipsos aliis prodant,

dant, occultare et tegere sensus sueti sunt, unde facile in obscurum et ambiguum dicendi genus incidunt. Quanquam et alia huius rei causa esse possit: cum et qui melancholico temperamento gaudeant, et suspicaces sint, et in loquendo obscuro haud raro, ambigutque.

§. XXXIV.

Contra qui voluptatibus dediti sunt, ut imaginatione florent, ita ut plurimum utuntur sermonis genere aperto, plano, perspicuo, profuente: interdum sectantur acumina, et suauitate ubique se commendant.

§. XXXV.

Quod si eiusmodi homines iudicio plane destituantur, in ineptam garrulitatem, omnis eorum eloquentia abit.

§. XXXVI.

Quibus autem excellens contigit memoria, vix unquam ex suo fundo, quod laude dignum sit, proferunt: dicta, verba, sententiaeque aliorum, utramque apud eos faciunt paginam. Haec autem cum non semper aequae feliciter inter se iungant, sermonis genus hiulcum, praecipue, male cohaerens, nec sibi constans, inde oriri necesse est.

§. XXXVII.

Quae cum ita sint, patet, quo pacto etiam ex scriptis, cuiusque mores et propensiones indagari possunt. Si enim via haecenus exposita procedatur, facile quaenam ingenii pars

in

in eo excellat, ceterisque praestet, intelligitur, vnde rursus morum capere documentum licet.

§. XXXVIII.

Et ita quidem indirecte ex verbis mores indagamus. Directe idem fit, si ad obiectum sermonis diligenter attendamus. Hic autem obseruandum, quod nonnunquam aperte homines loquantur, aliquando autem aliud verbis praeferant, aliud autem mente premant,

§. XXXIX.

Si prius fiat, sine ambagibus in mores aliorum penetrare licet. Sic qui nihil aliud quam conuiuia, comotationes, delicias, voluptatesque venereas loquuntur, de his haud difficulter iudicaueris, eos voluptatum cupiditate teneri.

§. XL.

Quod si autem ita loquantur vt sua celare vitia annitantur, ad duo attendendum: primo ad ea quae ipsi quidem pro non turpibus, aut plane honestis habent, sed quae tamen cum rebus ad hanc aut illam propensionem pertinentibus, artificio quodam vinculo colligantur.

§. XLI.

Multos videlicet reperies, qui scortationes, vgasque libidines, et comotationes vehementer palam detestantur: interim sibi tempore nequeunt, quo minus choreas, honesta,

vt vocant, cum feminis commerciis, et id genus alia, vt ingenio homine non indigna, aut laudent, aut probent.

§. XLII.

Deinde attendendum ad ea, quae enixiori studio a se moliri anantuntur. Vitiis haec est indoles, vt quo altius pectoribus insident, eo maiori contentione, qui ea dissimulant, suspicionem eorum effugere anantuntur. Hinc homines impuris libidinibus deditos, subinde acerbe in eas inuehere, aut suam etiam palam depraedicare castitatem, videas.

§. XLIII.

Ex factis denique, documentum morum certissimum capitur, idque identidem duplici ratione, *indirecte, et directe.*

§. XLIV.

Indirecte quidem, cum videmus aliquem in actionibus aut vitae genere delectari, ad quod aut excellens iudicium, aut insignis memoria, aut singularis vis imaginandi requiritur.

§. XLV.

Eodem modo ex factis istud colligitur, cum videmus homines admodum propensos esse in certos affectus, qui hanc aut illam animi propensionem comitantur. Qui crebro irascitur, et vindictae cupiditatem palam prodit, eum ambitione vexari credas. Qui ad amorem aut foeminarum, aut cibi, et potus, facile inflammantur, aut otium sectantur, is voluptati- bus

bus deditus censebitur. Rursus quem inuidia vrit, is hoc ipso avaritiae se non immunem esse, profitetur.

§. XLVI.

Directe denique ex factis hoc intelligitur, si quis palam ea omnia agat, ad quae prava sua propensione impellitur. Qui in popinis latitat, computationibus, scortationibus nec finem nec modum ponit, hunc nemo non pro homine voluptatibus immerso reputat. De ceteris animi propensionibus, idem iudicium esto.

§. XLVII.

Ast magna hic opus est cautione. Primo namque inquirendum, an per naturae propensionem, an vero per consuetudinem, et habitum inuita etiam natura contractum, hisce quis indulgeat vitiis.

§. XLVIII.

Deinde, si omnia aut quadam temperamta, aequali fere aut non multum a se distanti proportione, inter se sint permixta, adeoque non facile etiam discerni queat, quaenam eminent ceterisque praestans sit propensio, sedulo cauendum, ne tali propensioni primas demus partes, cui secundus, aut tertius locus erat tribuendus.

§. XLIX.

Nimirum eiusmodi hominum actiones colore quodam sunt dilutae, et ex vtraque propen-

pensione aliquid trahunt, vnde et non raro contingit, vt speciem quantam virtutis prae se ferant. Sed a vera tamen virtute facile eas discernas, modo attendas ad finem, siue vt alii loqui amant, si *materiale* actionis a *formali* separet. Statim enim patebit, istas ex studio se componendi ad voluntatem diuinam, minime esse susceptas, adeoque nec pro virtutibus eas haberi posse.

§. L.

Ad certam autem propensionum classem tum demum eas referes, si multas actiones eiusdem hominis sedulo consideraueris, et de praecipuo, ad quem pleraeque tendant, scopo, ceteris quoque signis non neglectis, sollicitè dispexeris.

§. LI.

Haec signa itaque primo rite ad tuos applices mores, omni *Philautia* procul facessere iussa, idque saepius, singula cogitata, singulasque actiones accurate sub examini reducendò. Facilius enim in aliis negotium procedet, si tuum prius rite exploraueris genium.

§. LII.

In aliis ita procedendum, ut primum, sintne vitae emendatae homines, an vero prius suis inclinationibus adhuc morem gerant, inquiratur. Hoc rite fiet, si verae virtutes, a falsis virtutum imaginibus, accurate discernantur.

§. LIII.

§. LIII.

Equidem in hominibus qui vitam emendarunt, nihil aliud quam ardens studium se suasque actiones ad voluntatem diuinam conformandi, deprehendere licet: nihilofecius hoc ipsum studium, non vno apud omnes sese exerit modo. Temperamentum enim, corporisque constitutio tolli nequit, sed ad bonum finem ab illis dirigitur. Hinc alii ad mansuetudinem, alii ad iustitiam accurate colendam, alii ad alias virtutes (quae ipsa varietas tamen pulcherrima harmonia mirifice secum consentit) propensiores deprehenduntur. Et illud iisdem ex signis hactenus recensitis, intelligere licebit.

§. LIV.

Sed plerique mortalium suis delectantur vitiis, nec mentem suam, vllam emendandae vitae curam, subire patiuntur. Horum propensiones si hac ratione exploraueris, ab iis tibi rite cauebis, quin ita erga illos te geres, vt facile voluntates illorum flectas. Cum primis autem si spes emendationis in illis effulgeat, plana et facili via, ad miseriae suae agnitionem, vitamque meliorem, eos adduces.

CAP. VI.

de

REMEDIIIS MORBORVM, QVIBVS
MENS, CVM PRIMIS VOLVNTAS LABO-
RAT, SIVE DE MEDIIS SVMMAM
FELICITATEM CONSE-
QVENDI.

Svbolas.

Summa felicitas acquiri-
tur, si voluntas sanitati
restituatur, §. I. II.

An. medicinae voluntatis,
praemittenda medicina
intellectus? §. III.

Quo pacto medela afferen-
da primae intellectus ope-
rationi, §. IV. V.

Secundae et tertiae, §. VI.
Speculativae rationationibus
praeiudicis, §. VII.

Ipsae causae harum imbecil-
litatum quo pacto tollen-
dat, §. VIII.

De praeeiudiciis praeeiudicis
monitum, §. IX.

Ad emendationem volun-
tatis primo commenda-
tur noticia sui ipsius, §. X.
quae nimis haecenus negle-
cta est, §. XI.

Quo pacto haec rite institu-
enda, §. XII.

In ea attendendum primo
ad vitia nostra, §. XIII.

Deinde ad primum eorum

fontem, §. XIV.
Porro omnes facultates
mentis, omnesque actio-
nes, §. XV.

Miseria quoque hinc resul-
tans, et poenae secutu-
rae cogitanda, §. XVI.

Propensio quoque eminens
investiganda, §. XVII.

Quo pacto haec explorari
queat, §. XVIII. XIX.

Notitia sui ipsius succedat
serium propositum se e-
mendandi, §. XX.

Quod sit rite fiat pravae
propensionum incommoda
sunt meditanda, §. XXI.

Speculativa voluptativae, §. XXII.
XXIII.

Ambitionis, §. XXIV. XXV.
Avaritiae, §. XXVI. XXVII.

Meditanda quoque praesentia
summi boni, §. XXVIII.

Imo eius necessitas, §. XXIX.

Animo ita praeparato, pra-
vi motus supprimendi sunt
§. XXX.

Quod

Quod quo saeptus fit, eo magis prava imminuitur pro-
pensio. §. XXXI. XXXII.
Vbi constantia tamen opus
est et patientia, §. XXXIII.
Itemque temporis quodam
intervallo, §. XXXIV.
Sed evitanda quoque sunt pra-
varum cupiditatum irrita-
menta, §. XXXV, XXXVI,
Secunda contra conversatio
cum viris probis, §. XXXVII.
Est libri qui ad virtutem ex-
citant, legendi, §. XXXVIII.
Illorum quoque qui virtuti
dediti fuerunt exempla
imitanda, §. XXXIX.
Vitae porro examen quoti-
dianum est instituendum
§. XL.
Nec a studio isto virtutis un-
quam quicquam remit-
tendum, §. XLI.
Quo patto reliquorum ani-
mi facultatum emenda-
tio hinc suat, §. XLII.
Quae ad imaginationis e-
mendationem pertinent, §. XLIII.
Quod cogitationes semper
ad res honestas converten-
dae sunt, XLIV.
Quod per voluntatis emen-
dationem imaginatio, et
per hanc rursus voluntas
emendatur. §. XLV.
Affectuum quoque sua spon-
te hanc sequitur modera-
tionem, §. XLVI.

Quae denique corporis hic ha-
benda sit ratio, §. XLVII.
Remedia quae philosophia
proponit, ad voluntatis e-
mendationem nondum
sufficiunt, §. XLVIII.
Ideoque frustra a nonnullis
naturae vires exsolvantur
§. XLIX.
Rebus ab aliis virtus habe-
tur pro dono Dei. §. L.
Modo ita ut deceat, hoc intel-
ligatur, §. LI. LII.
Namque ipsi homini impu-
tandum, si miser maneat,
§. LIII.
Philosophia equidem media
perveniendi ad felicitate-
m sufficientia, non
monstrat, §. LIV.
Imo imperfecta est, quoad
doctrinam de origine
mali, §. LV.
It. de Deo hominisque cura
eo coniunctione, §. LVI.
Et et mediis emendandi vo-
luntatem, §. LVII.
Maxime tum ignorat mo-
dum iratum Deum pla-
candi, §. LVIII. LIX.
Vnde sequitur, aliam esse
rationem perveniendi ad
felicitatem, §. LX.
quam revelatio ostendat, §.
LXI.
rite investiganda, §. LXII.
per certa signa, §. LXIII.
qua docent solam revelatio-
nem quae in scriptura sacra
cont-

continetur veram esse, §. LXIV.
 Unde et haec sedulo est servanda. §. LXV.
 Aliter usus Ethices se exserit in aliarum directione, §. LXVI.
 qui vel vitam iam emendavit, §. LXVII.
 vel non emendarunt, §. LXVIII.

Quo pacto circa illos versandum, quos ipsi emendare cupimus, §. LXX.
 Et circa illos quorum nos ad certum finem servare cupimus, §. LXXI.
 Idque rationis intellectus, §. LXXII.
 Imaginationis, §. LXXIII.
 Voluntatis, §. LXXIV.
 Affectuum, §. LXXV.

§. I.

Qui aegrotant, sanitatem non aliter ac per morborum expulsionem, recuperare possunt. Ita cum summa hominis felicitas in mentis sanitate, sine amore Dei consistat, ad eam consequendam non aliam viam esse, quam sanationis mentis afferatur medela, patet.

§. II.

Quo magis enim prava ista mentis ad voluptatem, opes, honores, propensio supprimatur, eo maius incrementum amor Numinis capit: et vice versa, quo magis huius amor crescit, eo magis prava ista propensio imminuitur.

§. III.

Vt vero intellectus praecipue a voluntate corrumpitur, ita voluntate sanitati restituta, illi etiam medela affertur: nihilotenus cum et propriis morbis vexetur, multumque ad voluntatis sanitatem conferat, si intellectus huius fuerit liberatus, paucis pro instituti ratione modum

modum, intellectum sanitati restituendi, indicabimus.

§. IV.

Aduersus ignorantiam itaque in genere parabitur medicina, si nullam occasionem eam exuendi, animoque abtergendi, praetermittamus, id quod fit meditando, legendo, monita et praeccepta sapientum consultando, et ad rationis leges ea exigendo.

§. V.

Errori obuiam ibitur, si in rebus quae clare et distincte concipi possunt, nihil temere admittamus, nisi quod clare et distincte fuerit conceptum. Sed addidi: *in rebus quae clare et distincte concipi possunt*, ut indicarem, res diuinas et mysteria, quae credenda sunt, huc non pertinere. Iuuabit etiam intellectus functiones probe discernere a functionibus phantasiae: item, res, quae nobis facillimae videntur, et quae quotidie nobis obuersantur, non minus accurate considerare, quam res, quae pro difficillimis reputantur, et rariores sunt. Denique & externa impedimenta, quae mentis operationem sufflaminnare possunt, omni opera sunt remouenda.

§. VI.

Praeterea, considerate et circumspecte ut ubique feramus sententiam, opera danda, nequam impetu aliquid pronuntiandum, sed moraqueaedam interponenda, ut rebus omnibus pro-

M

be

de exploratis demum indicemus, et ratiocinemur. Nec inutile fuerit, ad bene ratiocinandi leges, quae alibi exponuntur vberius, diligenter attendere.

§. VII.

Prudentia autem acquireretur, si in omnibus actionibus suis homo rite attendat ad ea, ex quibus prudentiam componi, supra docuimus. Sed si dicendum quod res est, correcta prius et emendata rite voluntate, tum haec intellectus virtus, tum aliae quoque sua sponte sequuntur. De conscientiae bonitate et tranquillitate, ceu altera ratiocinationis practicae specie, idem est censendum.

§. VIII.

De causis errorum et imbecillitatum intellectus, praesertim de praeeudiciis tollendis, vt quidquam moneamus, necesse non est. Nam et his per voluntatis emendationem, quam rectissime obuiam itur: quae non praemissa, frustra sunt, qui exuenda praeeudicia, falsasque notiones, quae animo sedent, eiciendas esse, magna voce clamitant.

§. IX.

Interim certum, quod ad virtutis studium plurimum conferat, de bonis et malis, de virtute et vicio, rectas habere opiniones: illorum contra praeeudiciorum, quae a recto virtutis tramite mortales auerant, falsitatem cognitam, perfectamque habere. Quisquis quidem praee-

præiudicatarum opinionum magne est, quæ mortalium animos obsidet, copia, sed ideo eo diligentius et obseruandæ sunt, et excutiendæ.

§. X.

Ita ergo repurgato quadantenus intellectu, ipsa voluntas, fons et origo omnis mali, est aggradienda. Huius autem emendatio, et repurgatio, vtrite procedat, primum monitum esto: *cognosce te ipsum.*

§. XI.

Videntur sane veteres intellexisse, quantum momentum in cognitione sui positum sit, unde non immerito, eam in morum doctrina, vtramque facere paginam, autumarunt. Quod intempestiue profecto a recentioribus neglectum est.

§. XII.

Hæc autem cognitio, et exploratio sui, non ita est instituenda, vt in illis in quibus brutis præstamus, aut etiam aliis hominibus nos præstare putamus, hæreamus, vt inde forte ad nostri admirationem, et maiorem ambitionem excitemur. Ita enim hæc cognitio, non modo nobis non esset profutura, sed maioribus etiam vitiis immersura.

§. XIII.

Ergo primo ad vitia morbosque nostros, et summam qua obruti sumus miseriam, summo studio atque rigore est attendendum. Nemo hic sibi blandiatur, aut vel minimum vitium

M a

excusa

excuset, sed iudicem rigidissimum, seuerissimum-
que agat.

§. XIV.

Enimprimis ad fontem omnis miseriae et vi-
tiositatis respiciendum, et considerandum, quo
pacto omnia vitia ex prava philantia proueniant.
Dici non potest, quam hoc virtutis studium pro-
moueat, vltimos et infimos recessus, primamque
scaturiginem omnium actionum, et cogitatio-
num, habere exploratam.

§. XV.

Deinde per singulas eatur partes. Intellectus,
voluntas, iudicium, ingenium, affectus, officia er-
ga Deum, erga nos ipsos, erga alios, tum ratione
honesti, tum ratione decori, distincte confide-
rentur, et quibus in his omnibus obnoxii sumus
morbis, accurate inquiratur.

§. XVI.

Porro inuabit etiam expendisse, non tantum
quanta animi perturbatio, et miseria, in hac vita
inde ad nos redundet, sed quod animus sit im-
mortalis, quodque Deus sit seuerus maiorum iu-
dex, qui cum raro admodum improbos in hac
vita puniat, non possit non poenas grauissimas
et aeternas, post mortem ab omnibus exigere.

§. XVII.

Hinc ad specialia descendendum, et quae-
nam propensio animi ad mala menti nostrae

infideat, explorandum. Vbi magna tamen opus est cautione, ne decipiamur, cum *Φιλαυλία* ut plurimum nos impellat, ad magna vitia extenuanda, parua autem exaggeranda. Expediet autem, vt felici successu haec exploratio instituat, signa, suo loco enumerata, rite sibi accommodare.

§. XVIII.

Nec contemnendum, quod nonnulli suggerunt, consilium, obiecta varia, tum voluptatis, tum honoris, tum denique opum cupiditatem, excitare apta, sibi serio, et iusta inter ea seruata proportione, proponendi, vt hinc diiudicetur, ad quodnam si vnum ex illis eligendum foret, praecipua propensione mens nostra impelleretur.

§. XIX.

Quemadmodum nec istud reiicio, quod itidem nonnulli suadent, ad omnes videlicet cogitationes, quas etiam aliud agendo interdum formamus, diligenter esse attendendum, tum enim facile praecipuam animi propensionem sese manifestaturam.

§. XX.

Postquam ita homo se ipsum cognoscere, et in intimos animi sui introspicere recessus, didicit, alterum succedat monitum: *serio tecum decerne, vitiis omnibus nuntium mittere, Deum amare, omnesque actiones tuas ad diuinam voluntatem componere.*

§. XXI.

Hoc vt eo feliciter procedat, praecipuae istius propensionis, quae nobis infidet, deformitatem, incommoda quoque infinita, et miseriae quas sequum trahit, serio secum expendere iuuabit.

§. XXII.

Nimirum homini voluptatibus dedito subinde cogitandum, voluptatibus nihil esse turpius, destrui et eueri per computationes, et amores impuros, sanitatem, foedissimos contra morbos, quin mortem ipsam attrahi, dilapidari opes, et facile in magnam nos conici perperatam.

§. XXIII.

Expedit etiam rerum quae nos afficiunt, natura accuratius detecta, intelligere, eas reuera tales non esse, quales nobis videntur. Huc pertinet sapientissimum M. Aurelii Antonini monitum: *quam praeclarum illud est, ciborum et eduliorum quorumcunque, tales in animo nationes impressae et consignatas habere: hoc est piscis cadauer, illud auis, aut porci, item, salernum succus est exiguus vulae, purpura capilli ouisulae modica resudinis sanguine imbuti: cum coepta intestini parui afflicto, mucique excretio non sine conuulsione. Cogitationes hae praeclaras sunt: nam rem ipsam attingunt, et totam peruadunt, ut qualis castus, serui possit.* Lib. VI. de seipso ad se ipsum §. 2.

§. XXIV.

§. XXIV.

Illi autem qui ambitionis oestro percitus est, subinde expendendum, quam misera seruitute prematur, quot molestiae, quot incommoda subeunda sint, ut aliquid honoris consequatur, quam inde animus omni quiete ac tranquillitate priuetur.

§. XXV.

Gloriae quoque & honoris vanitas illi sedulo est meditanda. Praeclare iterum Antoninus; *exiguum sane tempus, quod vivit quisque: perexiguus etiam terrae, in quo vivitur angulus: etiam longissima post obitum fama, exigua res: quae et ipsa per successionem conservatur homunculorum max moriturorum, ac ne se quidem ipsos cognoscendum, nedum eum qui iam pridem fata concessit. lib. III. §. VIII.*

§. XXVI.

Opum ac divitiarum eadem est ratio. Quid iuvant superflua? Natura hominis paucis contenta est. Cetera oneri sunt, et animum infinitis curis excruciant. Mox metus ne auferantur, mox dolor si ablatae sint, mox tristitia si obtineri nequeant, mox alii affectus, animum hominis opibus inhiantis, agitant.

§. XXVII.

Quam vero non in nostra positae sunt potestate opes? Irritae et vanae sunt omnes curae, quae te ut aliquid acquiras angunt, nisi propitiam habueris fortunam. Quam facile perduntur? aut si tibi ex vita discedendum

lit, quid iuvat fuisse diuitem? Nonne ergo summa stultitia est, rebus adeo caducis, et vanis, se totum dedere?

§. XXVIII.

Præterea præstantiam summi boni, veracque felicitatis dulcedinem, et suauitatem, crebro sibi reuocasse in memoriam iuuabit. Quanti vero illud est, Deum habere amicum? animumque nostrum summa eius bonitate ita exariari, et nullum tamen nos subrepat fastidium? quanti est, nullis curis angī, non commoueri, securum semper, quietum, atque tranquillum, quin supra omnes fortunæ casus positum esse? quanti est, nec paupertatem, nec morbum, nec mortem extimescere, in perenni versari gaudio, sibi ipsi dominari, vereque liberum esse? At hæc, et id genus alia, auctor Numinis, studiumque ad voluntatem Dei se componendi, secum

§. XXIX.

Nec tantum cogitandum quod hoc expedit, sed quod plane necessarium sit. Intelligit nimirum homo rationis præscripta sequens, se a Deo conditum esse, seque vnice a Deo pendere: facile etiam videt, se non ideo conditum esse, et tam immensis beneficiis ab eodem augeri, ut Deum odio prosequatur, sed potius ut eundem amet. Hinc porro colligit, Deum hoc velle, et serio exigere, nec amplius in suo pos-
 + M
 situm

situm esse arbitrio, velitne Deum amare neque, sed lege inuiolabili se ad hoc obstringi.

§. XXX.

Ita ergo munito, preparato animo, in a-
ciem prodeat, viresque periclitetur tiro, sedula
loque ad omnes voluntatis suae motus atten-
dat, et quamprimum propensionem suam sen-
tit, eamque in affectum aut actum eruptionem
animaduerit, omnes animi colligat vires, et
motum hunc supprimat.

§. XXXI.

Nimirum licet propensio ad mala per natura-
ram nobis insit, eadem tamen per consuetu-
dinem, et affectus saepe reiteratos, aucta fuit
et corroborata. Dubium ergo non est, quin
per actus contrarios, et per suppressionem af-
fectuum, in quos haec propensio eruptura
ceteroquin erat, valde possit imminui. Unde
quae affectibus coercendis, regendisque para-
ri remedia solent, hic quoque locum inueni-
unt.

§. XXXII.

Certandum itaque est cum prauis istis affe-
ctibus. Quo saepius enim aliquis ex hoc
certamine superior discesserit, eo magis pro-
pensio praua imminuetur, maioresque vires
amor Numinis capiet.

§. XXXIII.

Sed summa hic opus est constantia, et pati-
entia. Si quis enim videt, difficulter nego-

tum procedere, pugnam saepius ambigiam aut ancipitem esse, non ilico animus est abiciendus: quin nouae colligendae vires, maiorique et vehementiori impetu hostis est adoriendus, vt tandem prostrernatur.

§. XXXIV.

Vnde et sua sponte sequitur, temporis hic quodam opus esse interuallo. Quemadmodum enim non vno impetu morbi, praesertim pertiniaciores pelluntur, sed saepius iteranda medicamina, quibus vis eorum infringatur, vt ita sensu sanitas recuperetur: ita etiam non vno actu, et impetu quodam, voluntas emendatur, sed diu multumque in ea corrigenda, est elaborandum.

§. XXXV.

Vt vero omni modo imbecillitati nostrae succurratur, iuuabit, praesertim animo nondum satis firmato, omnes occasiones, quae nostras propensiones irritare possunt, summo euitare studio.

§. XXXVI.

Sic si quis suae ad voluptates et libidines propensioni obuiam iturus, frequenter ludos scenicos, in commercia et colloquia cum feminis, ad amorem impurum eum pellicere aptis, descenderet, is aegrotis istis haud absimilis esset, qui stomacho nondum firmato, eos deglutiunt tibus, quos morbos, a quibus vix conualuere, non

non posse non rursus sibi attrahere, certo persuasi sunt.

§. XXXVII.

Contra cum probis et emendatae vitae viris saepius esse, cumque iis colloqui, multum iuvat. *Nulla res, inquit Seneca, magis animo honesta induit, dubiosque et in praeuam inclinantes renocat ad rectum, quam bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, et vim praeceptorum obtinet, frequenter audiri, aspici frequenter. Epist. XCIV.*

§. XXXVIII.

Proderit etiam eiusmodi continuo legisse et euoluisse libros, qui nos ad virtutem et honestatem excitant: quemadmodum contra scripta libidinem et alia vitia alere apta, adque et cano peius fugienda sunt.

§. XXXIX.

Non minus et exempla virorum, verae et solidae virtutis gloria conspicuorum, contemplanda sunt. Mirifice enim animus inde erigitur, et confirmatur.

§. XL.

Nec contemnenda Pythagoraeorum et Stoicorum, quotidie examen vitae instituentium, consuetudo. Plurimum enim bonae frugis habet, et ad emendandos mores apprime conducit. Qui ergo rite proficere cupit, quotidie omnia facta, dicta, et cogitata sua ad normam

nam exigit, iudicemque et cenforem feuerissimum agat.

§. XLI.

Denique, si quis iam progressus aliquos hęc ratione fecerit, acriter instet, secumque cogitet, tum se iam deficere et retrorsum ferri, cum non proficit.

§. XLII.

Hęc praecepta ad voluntatem, eiusque promotiones emendandas, philosophia suggerit. Ceterarum facultatum emendatio maximam partem inde pendet. Cum vero de intellectu iam supra dictum sit, de reliquis paucis dispiciamus.

§. XLIII.

Ad phantasiam quod attinet, certi limites summa industria illi sunt statuendi. Ad omnes igitur cogitationes est attendendum, ne quod intellectus munus est, phantasia sibi vindicet.

§. XLIV.

Cumque phantasia pariter ac intellectus semper obiectum aliquod circa quod versentur, requirant, is demum rite sibi consulat, qui cogitationes suas ad res serias, pias, honestas, conuertit: imprudentiae autem notam non effugiet, qui res inanes, friuolas, aut plane inhonestas cogitationibus suis subiecerit.

§. XLV.

Illud vero ut praecipue a voluntate dependet,

det, ita rursus in voluntatem maximum inde redundat emolumentum. Si enim phantasia non temere res vllas voluat, quae propensiones prauas irritare possunt, hoc ipso materies quae alere huncce ignem solebat, illi velut subtrahatur.

§. XLVI.

De affectibus nunc peculiare praeeptiones tradere, supernacaneum foret, partim quod haecenus dicta huc maxime spectent, vt affectus prauos suffocando, et opprimendo, malas propensionis vis imminuatur, partim quod causa omnis prauitatis, quae in affectibus conspicitur, sublata aut infracta, ipsos quoque affectus corrigi, et emendari, necesse sit.

§. XLVII.

Denique, cum et corpus eiusque constitutio, vt saepe dictum, ad propensionem voluntatis, moresque, multum conferat, eius quoque habenda est ratio, et si quid medicamina possunt, excedens nimium temperamentum corrigendum, et ad mediocritatem reuocandum. Sed hac de re videant redditorum filii.

§. XLVIII.

Ceterum, vt dicam quod res est, quae haecenus allata sunt, vt et omnia quae philosophia subministrat remedia, ita comparata sunt, vt, quae est mali nobis insidentis pertinacia, vim propensionum prauarum vix imminuere
et le-

& leuiter immutare possint; tantum obest ut voluntatem penitus emendare queant.

§. XLIX.

Quare quod Stoïci, & nonnulli recentiorum, inter virtutis parandae remedia referunt; cogitandum nimirum subinde esse, quod in nostris viribus positum sit, virtuti operari, Deumque amare, id mihi neutiquam probatur. Ut enim nullus dubito, magnum ad vitia erigenda momentum in eo positum esse, si credere nobis hoc liceret, in viribus nostris hoc esse positum: ita experientiae refragatur, hominem sibi relictum, et gratia diuina destitutum, huncce finem obtinere posse.

§. L.

Videntur quidem nonnulli veterum philosophorum hoc agnouisse, dum virtutem non a natura nobis inesse, nec exercitatione comparari, sed vnicè a Deo prouenire, et pro Numinis munere esse reputandam, pie et prudenter asseruerunt, quos inter Platonem quoque fuisse constat.

§. LI.

Sed notandi duo errores sunt, qui hanc sententiam vt plurimum constantur. Primus hic est quod gratia diuina alia via, quam per verbum diuinum, nobis obueniat.

§. LII.

Alter hic est: quod cum virtus vnicè a voluntate diuina pendeat, boni necessario boni, mali

mali necessario mali sint. Si enim vel maxime concedam, bonitati et felicitati hominis nihil decedere, etiamsi necessario bonus aut felix sit, nihilosecius tamen cum res omnis tandem ad fatum Stoicum redeat, hoc vero in Deum palam iniurium sit, admitti profecto haec sententia nequit.

§. LIII.

Rectius itaque asseritur, omnem virtutem et felicitatem a Deo quidem esse: at quod nonnulli homines a mentis suae morbis, et summa miseria non liberentur, id penes eos solos, quod media quae illis offeruntur respiciant, non autem penes Deum stare. Sed media, per quae hoc obtineri possit, philosophia minime subministrat.

§. LIV.

Quid igitur? si virtutis cultor rationis ductum secutus, omnia haecce media quae philosophia subministrat, frustra tentauerit, num desperabundus abiiciet animum, et ad pristinos redibit mores? Minime gentium.

§. LV.

Nimirum hic demum usum suum Ethica exerceat, plenius nobis edifferendum. Primo itaque virtutis et veritatis cultor, rationis ductum sequens, incredibilem & imperscrutabilem ad quaevis mala propensionem, pectori suo insidere videt. Sed dum & originem, & modum eius diligentius explorat, rationis suae depre-

comprehendit coecitatem, et esumque admirabilibus deplorat.

§. LVI.

Dum progreditur, cognoscit quidem in amore Dei maximam positam esse felicitatem: sed accuratius iterum cuncta expendens, in ipsa natura Dei cognoscenda, rationem suam stupidam, et coecam esse, miseriae suae ingemiscens, videt: tantum abest, ut coniunctio- nis istius quae inter Deum hominemque intercedit, modum, indolemque penitus intelligat.

§. LVII.

Sed ad media, quibus felicitas obtineri possit, se conuertenti, plane aquiescet. Videt consilia et praecepta philosophorum satis bene se habere: sed experientia ipsum mox edocet, quantumvis accurate cuncta obseruet, omnesque vias ad vitam emendandam intendat, parum tamen ad rei summam se profectum.

§. LVIII.

Ad desperationem autem propemodum agitur, dum porro factum cogitat, Deum summe quidem bonum, aut eundem iustissimum quoque esse, et peccatoribus tam proterue legem migrantibus, nisi satisfactio intercedat, veniam impetiri non posse. Ergone, inquit, eius amorem et amicitiam, mihi pollicebor, quem toties, tam enormiter, criminibus meis offendit?

di? Perii, cum non videam qua ratione expiari possint, et ex mea nunquam eluctabor miseria.

§. LIX.

Perget locum hunc in modum ratiocinari: fingam, Deum ea bonitate et clementia esse, ut gratis, nulla accedente expiatione, veniam mihi impertire velit: num statim eum perfectionis gradum consequi possum, ut nunquam in posterum eum offendam? Profecto naturae meae refragatur conditio. Si ergo denuo eum offendam, et ex gratia semel mihi impertita, excidam, quid tum? sine dubio perii.

§. LX.

Nihil ergo superest, quam ut concludatur, aut aeternam et nunquam finiendam esse, quae mortalibus incumbit miseriam, aut praeter rationem, aliam, eamque certiolem, tutiolemque, ad felicitatem viam esse. Tanta enim Deus est bonitate, ut plane credendum non sit, eum mortalibus nullum modum, rationemque ex summa miseria eluctandi, monstrasse.

§. LXI.

Ratio autem cum hic plane caecutiatur, necesse est, dari revelationem quandam, quae hos rationis defectus emendet. Hanc ergo quaerendam, et inuestigandam esse, sua sponte inde consequitur.

N

§. LXII.

§. LXII.

Sed hic demum periculofum admodum, et infinitis illusionibus, imposturis, & fraudibus circumseptum iter, homo ingreditur. Quam multi enim turpissimique errores, quanta deliria, reuelationis titulo luperbiunt!

§. LXIII.

Quabit ergo, signa, quae veram, diuinamque reuelationem demonstrant, eamque a falsa discernant, sedulo obseruare. Praecipua autem signa haec sunt: vt omnia, ea beatitudinis verae, consequendae media, quae ratio ignorat, sufficienter exponat: vt vsquequaque Deo digna sit: vt modus, quo mortali bus panditur, Deum non dedecet, adeoque vt verba siue ore proferantur, siue litteris sint consignata, nihil nisi diuinum quid spirent: vt vt quadam et efficacia singulari polleat, quae ipsum Deum auctorem prodatur, & luculenter testetur: vt antiquitate se commendet: vt promulgatio, propagatio, et conseruatio eius diuinitatem arguat, vt hinc facile constet, ceteras reuelationes falsas esse, et meras imposturas.

§. LXIV.

Ex hisce rite consideratis sua sponte fuit, et gentilium, et Muhammedis illepidissima signamenta, reuelationum diuinarum titulo plane indigna esse: contra diuinas litteras, quibus christianus coetus regitur, solas a DEO profectas

tas esse, easque veram ad summam ac solidam
felicitem, nobis monstrare viam.

§. LXV.

Hæc ergo si indefesso scrutetur studio virtu-
tis alumnus, recta rationis ductum sequens, hæ-
ramque decreta ambabus amplectatur manibus,
et ita preparato ac rite munito animo ad hæc fa-
cra accedat, diuina, quam precibus a Numine
impetrare conabitur, gratis adiutus, tuta cer-
tissimaque via, ad veram semperque duraturam
felicitem perueniet.

§. LXVI.

Est et alius Ethicæ vsus, quem secundarium
merito dixeris, vt insignis sit, et longe am-
plissimus, in actionibus scilicet et moribus alio-
rum dirigendis. Pertinet equidem specialior
huius doctrinæ explicatio, ad prudentiam status,
sed generaliora fundamenta paucis hic attingenda
sunt.

§. LXVII.

Primo itaque dispiciendum, an is cuius a-
ctiones dirigere cupimus, iam vitam suam mo-
resque emendaverit, an vero prauis suis pro-
pensionibus adhuc sit immerlus. Si prius sit,
non alia ratione voluntas illorum flecti, aut
affectus excitari potest, quam si reuera de-
monstratur, hoc aut illud honestati, aut diu-
inæ voluntati, esse conueniens. Sicut vice
versa, si demonstratur, repugnare aliquid di-
uinæ voluntati, in contrariam mutantur par-

tem, et ita pro re nata etiam affectus illorum sedari possunt. Sed cum iidem prudentes sint, veris et luculentis argumentis, vt illis aliquid persuadeatur, opus est.

§. LXVIII.

Est circa homines prauis propositionibus adhuc immerfos, duplici ratione haec directio insigui potest. Primo, vt emendentur, quo pacto parentes, domini, praeceptores, circa illorum, quorum curam gerunt, mores versari solent: deinde, vt ad bonum finem, si corrigi a nobis nequeant, dirigantur.

§. LXIX.

Si mores aliorum a nobis emendandi sint, primo quidem quae praecipua in illis ad praua propensio sit, per signa a nobis recensita, exploretur. Deinde, omnis opera impendatur, vt ad sui notitiam perueniant, et status sui miseriam intelligant: et hinc denique curetur, vt remedia, tum a diuinis litteris, tum a saniori philosophia suppeditata, rite ipsi adhibeant.

§. LXX.

Quod si autem non emendandi, sed dirigendi sint aliorum mores, primo iterum praecipua ad mala propensio, quae illis infidet, exploranda. Hac enim probe intellecta, tum intellectus, tum voluntatis actus, commode ad nostrum scopum dirigi possunt.

§. LXXI.

§. LXXI.

Diriguntur autem actus intellectus, si opinionem quandam in intellectu alterius excitemus, aut ei eripiamus, occasionem illi suppeditando, vt hoc aut alio modo rem percipiat, iudicet, ratiocinetur. Hinc enim porro et prudentiae et conscientiae actus pendent.

§. LXXII.

Imaginatio a qua et iudicium, et ingenium, pendent, eodem modo se habet. Huic enim prout diuersum a nobis propositum fuerit obiectum, diuersimode quoque afficitur. Sic praesens obiectum magis eandem mouet, quam absens: eadem etiam excitatur, si tale quid repraesentetur, quod cum obiecto, quod certa ratione nos affecit, conuenientiam quandam habet, siue cum similis imago rei praeteritae alicuius sit: quemadmodum vice versa imminuitur, si obiectum remoueat, si alia vel contraria imago producat, &c.

§. LXXIII.

Ipsae autem voluntatis propensiones diriguntur, si obiecta illis conuenientia, aut minus conuenientia, proponantur. Nimirum augentur, si obiectum certam propensionem alere aptum, illi subministretur: quod si illi subtrahatur, magis magisque eam imminui necesse est. Si autem sola obiecti subtrahio nobis parum proficere videatur, iuuabit etiam alterius propensionis obiectum illis suppeditare,

tate, ut hæc adeo aucta, illius vires sensim im-
mjuantur.

§. LXXIV.

Affectus autem excitare, hæc obseruatis, fa-
cillimum fuit. Nimirum dispiciendum an
affectus a nobis in alios excitandi, connexio-
nem habeant, cum propensione quæ in illis
præcipua est, an non habeant. Si prius sit,
etiam qualiscunque obiecti, affectum excitare
opti, repræsentatio, sufficit. Sin posterius,
magis tabere opus. Sed cum causa affectu-
um præcipua sit obiecti alicuius repræsentatio,
ad quemlibet affectum aut concitandum,
aut sedandum, et sedandum, maximopere
profuerit, viuida repræsentatione phantasiam
mouere. Hoc autem non tantum ea ratione
fit, quam antea exposui, sed gestus etiam, ver-
ba vim singularem habentia, membrorum et
vultus positus habitusque, facta imitata, et
id genus alia, huc multum conse-

runt. Sed hæc delibasse

sufficiat.

S. D. G.

PHI.

PHILOSOPHIAE PRACTICAE
PARS SECVNDA
DE
OFFICIIS HOMINVM GEN-
TIVMQVE INTEGRARVM AD LE-
GEM NATVRAE COMPO-
NENDIS.





Q. D. B. V.
CAP. I.

de

**NATURA ET INDOLE IVRISPRU-
DENTIAE NATURALIS ET GENTIUM.**

Σύνοψις.

Iurisprudentia naturalis quid? §. I.

An datur, §. II.

Est pars philosophiae practicae, §. III.

Obiectum ejus, §. IV.

Scilicet officia, §. V.

quae sunt vel perfecta, vel media, §. VI. VII.

media non sunt virtutes, §. VIII.

ut tamen ideo hic negligenda; eo quod duplex disciplinae huius finis est, primarius & secundarius §. IX.

Secundarius interdum sufficit, §. X.

Non tamen semper, §. XI.

In officiis integrorum gentium tantum attenditur, §. XII.

Quis finis iuris gentium? §. XIII.

Non datur ius gentium a iure naturae distinctum, §. XI. V.

Vocis: ius gentium, variae significaciones, §. XV.

quatenam ex illis hic in consuetum veniat? §. XVI.

Ratio praecipua, cur non datur ius gentium stricte sic dictum, §. XVII.

Consensus gentium non facit ius gentium, §. XVIII.

Quod lex nulla sit, quae non lata est a superiore, §. XIX.

Respondetur ad exempla, §. XX.

Discrimen iurisprudentiae naturalis & gentium, a reliquis practicae philosophiae partibus, eiusdemque dignitas, §. XXI.

Ratio methodusque eam tractandi, §. XXII.

§. I.



Iurisprudētia *naturalis* ab aliis vocari solet, *universalis*, est pars philosophiæ practicae, actiones hominum ad legem naturae componere, docens.

§. II.

Dari autem Iurisprudētiā naturalem ex eo probatur, quia dantur leges naturales, ad quas actiones hominum sunt componendae. Leges autem naturales dari, ex ipsa hominum natura demonstrari potest.

§. III.

Eam philosophiæ, et quidem practicae partem esse, extra omnem dubitationem positum esse arbitror. Nec enim aut generatim quidquam de philosophia, aut speciatim de practica philosophia dicitur, quod non accurate in Iurisprudētiā naturalem quadret.

§. IV.

Occupatur circa *actiones* hominum non quaslibet, sed eas quae ad legem componi possunt, et debent, et quidem ad legem naturalem. Non ergo huc pertinent actiones hominum, quae ut a voluntate illorum non dependent, ita et a nulla lege dirigi possunt, nec eas, quae a civili aut alia quam naturali, lege diriguntur.

§. V.

Has actiones cum Stoicis *officia*, sumpta voce in specialiori significato, dicere nonnullis moris

moris est. Est enim officium actio hominis, per ratione obligationis, ad legem naturalem attemperata.

§. VI.

Solebant Stoici officia varie dispescere, cum primis tamen celebris est officiorum in *perfecta* siue *κατὰ φύσιν*, et *media* vel *communis* siue *κατὰ ἄλλους*, distinctio. Quae si ita capiuntur, ut perfecta dicantur, quae ab homine secundum conscientiam certam agente eduntur, mediis autem siue communis, quae ab homine ex conscientia probabili agente, exercentur, omnino tolerari potest: si vero perfecta ad solam sapientem Stoicum, cetera ad alios homines referantur, viciosa erant.

§. VII.

Nos autem eandem officiorum distinctionem, Stoicorum decreta non curantes, rite ad nostram accommodabimus institutum. Nimirum perfecta vocabimus, quae ab homine qui vitam suam emendavit, & omnes suas actiones ad voluntatem Numinis componere decrevit, eduntur. Media autem, quae ab hominibus prae suis propensionibus indulgentibus, proficiuntur.

§. VIII.

Sed haec ipsa quae media dicimus, si nem accurate metiaris, nulla sunt officia. Cum enim homines, qui nondam vitam emendant, nihil agent ex studio se ad voluntatem Numinis.

Numinis componendi, sed aut necessitate adducti, aut pravis suis propensionibus abrepti, praecipua officii requisita, desunt.

§. IX.

Nihilofecius hic non sunt negligenda. Finis enim iurisprudentiae naturalis duplex est: *primarius* alius, alius *secundarius*. *Primarius* isque Ethicae subordinatus est, ut homines Deum amantes, normam habeant, ad quam suas actiones componant. *Secundarius* est, ut externa totius humani generis felicitas, tranquillitasque, conseruetur et promoueat.

§. X.

Ad secundarium autem finem *externa actio*, sine in statu naturali, siue civili homines viuant, *caepius* sufficit: et hinc omnino contingit, ut subinde *officii* nomen illi imponatur.

§. XI.

Interim perniciosissimus error est, qui multorum animos affluit, ac si iurisprudentiae naturalis non alius finis sit, quam externa humani generis tranquillitas. Hinc enim consequi necesse est, illum cuius externa actio cum lege conuenit, ei satisfacisse: quod falsissimum est; ut ut ille, qui ius habet, officium ab altero exigendi, nihil amplius exigere possit.

§. XII.

Quod si vero leges naturales considerentur, prout ad integras applicantur gentes, facten-

tendum, quod secundarius finis tantum attendatur, qui tamen primarium in singulis hominibus supponit. Ad veram et internam felicitatem homines perducuntur, non qua gentem constituunt, sed qua homines sunt.

§ XIII.

Quare recte statuunt, qui finem iuris gentium, *externam gentium tranquillitatem et felicitatem* esse, asserunt. Hunc enim Deus leges naturae ferendo, non minus, vtut secundo, intendit, quam priorem. Vnde et patet, vtile et necessarium esse gentibus, vt hasce leges obseruent, si se conseruare velint, nec tamen inde sequitur, vtilitatem & necessitatem, gentes vt hasce leges ferrent, impulisse. Perinde enim hoc esset, ac si quis diceret, homines singulos sibi ius naturae dedisse, quoniam ad illorum conseruationem vtile et plane necessarium est, vt eius legibus viuant.

§ XIV.

Nimiram non aliud admittimus *ius gentium*, quam ipsum ius naturae, prout per illud integrorum gentium actiones diriguntur; quo sensu recte nonnulli *ius naturale ciuitatum*, a iure naturali singulorum hominum, discernunt.

§ XV.

Falluntur vtique turpiter, qui ius gentium, a iure naturae, ciuili, et positio diuino diuersum, comminiscuntur. Quorum error vt manifestus fiat, obseruandum, vocem *ius gentium*,

um, non vna gaudere significatione. Sumitur namque, vel pro *attributa personae*, siue facultate morali per quam gentes licite aliquid agere possunt, quae quidem facultas a lege naturae prouenit: vel pro *moribus* plurium gentium: vel pro *lege* et quidem *naturali*, quatenus integras gentes dirigit: vel pro *iure civili* multarum gentium: vel denique pro *iure gentium proprie sic dicto*, hoc est, pro lege gentes obligante, et a lege naturae, diuina positua, et civili distincta.

§. XVI.

De primo, et quarto significato, nulla lis est. Secundum subinde vrgeri videas ab illis, qui quod moribus gentium comprobatur, id iuris gentium dicunt. Perperam sane. Nulla enim hinc progigni potest obligatio. Tertia significatio ea est, quam nos adprobamus. Sed in quinto significato ius aliquod gentium dari, a reliquis legibus diuinis, et humanis, distinctum, id vero est, quod plane abnuo.

§. XVII.

Probo hoc exinde, quod sine legislatore, hoc est, imperante a quo data sit, nulla lex proprie sic dicta, cogitari queat. Gentes autem inter se aequales sunt: adeoque vna alteri leges dare nequit: si autem coniunctim sumantur, longe inemptius erit asserere, quod sibi ipsas iura praescribant, multo minus, quando, aut qua ratione hoc fecerint, poterit demonstrari.

§. XVIII.

§. XVIII.

Nec est vt consensus, aut conuentiones, vel pacta gentium, tantopere a nonnullis iactitata, nos moueant. Namque primo pacta non sunt leges. Hic autem de legibus disceptatur. Deinde pactum vniuersale inter omnes gentes iniri nequit, multo minus iuratum est. Imo ne quidem probari potest, plerasque gentes, saltem in vno capite, quod iuris gentium dicitur, accurate consentire.

§. XIX.

Qui autem negant ad legem, et ad obligationem, voluntatem superioris requiri, non satis quid *lex*, quid *ius*, quid *obligatio* sit, mihi intelligere videntur. Nulla lex est sine obligatione, nulla obligatio sine necessitate morali: hanc autem tantum imperans imponere potest.

§. XX.

Exempla quae afferri solent, vt inde euincatur, leges gentium a legibus naturae distinctas dari, partim ad ius naturae, partim ad ius civile quorundam gentium, partim denique ad mores referri possunt: id quod eundo per singula facile demonstrari potest.

§. XXI.

Ceterum quo pacto iurisprudentia naturalis et gentium, a ceteris philosophiae practicae partibus differat, ex haecenus dictis liquet. Dignitas quoque et praestantia eius hinc satis euincitur.

lucescit: nullisque encomiis haec practicae philosophiae disciplina indiget.

§. XXII.

Intrañandi vero ratione iterum medicorum filios, regulas dieteticas, aut ad conservandam sanitatem, aut morbos grauiores auertendos, praescribentes imitabimur, actionumque humanarum ad recipiendam directionem considerata aptitudine, de earundem imperfectionibus, et hinc resultante directionis necessitate, tum vero de ipsa norma dirigente seu lege, et tandem de mediis, quibus ad obseruandas leges homines inducuntur, dicemus.

CAP. II.

de

ACTIONIBVS HOMINVM PRO-
VT DIRECTIONIS CUIVS DAM
SVNT CAPACES.

Divo Sic.

Homo sine lege vivere nequit, Dispensatio & privilegium §. I.

Quid lex? §. II. Est vel perfecta, vel imperfecta

Cur dicatur: decretum imperantibus, §. III. Ea, §. XI.

Quis recipere obligationem potest? §. IV. Vel divina vel humana, &

Quid obligatio? §. V. VI. VII. ille vel naturalis vel positivae, & haec vel universales vel particularis, §. VIII.

Legis causa impulsiva, & Quid lex divina positivae, &

promulgatio, §. VIII. universalis? §. XIII.

Interpretatio, §. IX. Quid particularis? §. XIV.

Leges

- Leges particulares quem hominem habent.* §. XV.
- Actiones hominis ad legem exigi possunt, quia intellectus et voluntate praeditus est.* §. XVI.
- Quae vis sit intellectus?* §. XVII.
- Quid conscientia?* §. XVIII.
- Regulae de eius obligatione.* §. XIX.
- De conscientia erronea.* §. XX.
- De ignorantia.* §. XXI.
- Voluntas an ad legem secti possit?* §. XXII.
- An affectus, consuetudo, ebrietas imputationem impediant?* §. XXIII.
- Actio iniusta, mixta.* §. XXIV.
- Quod aliquis etiam possit esse actionis cuiusdam causa moralis.* §. XXV.
- Idque multiplici ratione.* §. XXVI.
- Cur actio alicui imputari possit.* §. XXVII.
- Quae actiones imputari nequeant.* §. XXVIII. XXIX.
- Actualis imputatio vel ex lege fit, vel ex alterius arbitrio.* §. XXX.
- Quid meritum?* XXXI.
- Requisita meriti.* §. XXXII.
- Mercus, proemium.* §. XXXIII.
- Demeritum, culpa, reatus.* §. XXXIV.
- Reatus culpa et poenas.* §. XXXV.
- Facultas exigendi restitutionem, et satisfactionem.* §. XXXVI.
- Effectus imputationis quae est ex lege.* §. XXXVII.
- Effectus imputationis quae est ex arbitrio alterius.* §. XXXVIII.
- Actio quae imputari potest, ex relatione ad legem est vel necessaria, vel non necessaria.* §. XXXIX.
- Haec et media dicitur.* §. XL.
- Licita est vel plene, vel minus plene talis.* §. XLI.
- Porro actio est vel bona vel mala.* §. XLII. XLIII.
- Quo pacto ab actione bona differat iusta.* §. XLIV.
- Iustitia actionum est vel exploratrix, vel attributrix.* §. XLV.
- Est illa vel rectoria, vel aequatoria.* §. XLVI.
- Iniuria quid?* §. XLVII.
- Ab ea differat infortunium, et erratum seu culpa.* §. XLVIII.
- Quantitas actionum bonarum.* §. XLIX.
- An in iis detur latitudo moralis?* §. L.
- Quantitas actionum malarum.* §. LI.

§. I.

Non ita sibi relictum hominem vt sine regula et lege viueret, cum ipsa naturae humanae conditio, tum benignissima supremi Numinis erga res conditas quasuis voluntas neminem dubitare sinet. Atque vel hinc etiam intelligitur, quod eiusmodi fortitus homo naturam est, quae flecti commode atque componi ad legem possit.

§. II.

Atque id vt recte intelligatur, primo ad legem ipsam respiciendum est, & tum ad hominum actiones, vt inde pateat, has omnino ad illam exigi et posse et debere. Legis autem nomine generatim quidem quaelibet actionis norma venit; speciatim autem lex vocatur decretum quo imperans sibi subiectum obligat ad aliquid faciendum vel omittendum.

§. III.

Et *decretum* quidem licet mentis, cum primis voluntatis actum denotet, hic tamen ita sumitur prout aliis innotescit. *Imperium* autem illi tribuo, qui iustas causas habet, quare obsequium ab aliis exigere possit, et viribus pollet, reluctantes cogendi. Ad causas iustas, praeter consensum, magna pertinent beneficia, praesertim si accedat, quod imperans subiecto melius prospicere possit, quam ipse sibi, et quod actu imperium teneat.

§. IV.

§. IV.

Vt subditus obligationem recipiat, necesse est, vt vsu rationis polleat, libertateque voluntatis gaudeat, et a potestate superioris non sit immunis.

§. V.

Est autem *obligatio* qualitas moralis passiva, per quam quis praestare vel admittere quid tenetur, necessitate morali.

§. VI.

Nimirum et hominibus partim certi *status*, partim *quantitates* et *qualitates* morales imponuntur. Per *qualitates* aut facultas agendi extenditur, hinc *qualitates actiuæ*, *iuris* et *potestatis*, aut eadem constringitur, hinc *passiva* siue *obligatio*. Necessitas moralis autem eam discernit a violenta coactione, quippe quae tantum ad voluntatem pertinet.

§. VII.

Obligationi opponitur *libertas*, hoc est qualitas moralis actiua, per quam aliquis aut agere aut omittere quid potest, ex suo nutu et arbitrio. *Possessio* enim, alia est quam homo habet in se et suas actiones, vnde *libertas*, alia quam habet in aliorum actiones, vnde *imperium*, alia quam habet in res proprias, vnde *dominium*, alia quam habet in res alienas, vnde *seruitus*.

§. VIII.

Causa impulsiva legis est conditio filiorum quibus

bus leges feruntur, maxime totius societatis. Huic ergo conueniens et utilis esse debet, multo minus vires subditorum superare. At vt vim suam exerat, necesse est vt promulgetur, et ea quidem ratione, vt subditi tum de auctore, tum de sensu legis, certiores reddantur.

§. IX.

Interpretatio legis vel *authentica* est, vel *doctrinalis*, vel *usualis*. Ista ad legislatorem, aut cui ius hocce dedit: illa ad prudentes iurisque peritos pertinet: in hac ad similia proceditur. Ad doctrinalem etiam pertinet *aequitas*, hoc est, correctio eius in quo lex deficit, ob universalitatem.

§. X.

Ab *aequitate* multum differt *dispensatio*. Haec legis obligationem tollit: illa ostendit factum non pertinere ad legem. Si ad plures actus se extendat dispensatio, vocatur *privilegium*.

§. XI.

Diuidunt nonnulli legem in *imperfectam* et *perfectam*: non male quidem, si imperfectam vocent, in qua poena expresse non additur aut determinatur. Sine omni poena lex esse nequit.

§. XII.

Ratione auctoris lex diuiditur in *diuinam* et *humanam*: illa iterum vel *naturalis* est, vel *positiua*: haec rursus vel *universalis*, vel *particularis*: et particularis dicitur, vel *ceremonialis*, vel *factiua*.

§. XIII.

§. XIII.

Lex diuina positua vniuersalis est decretum Numinis, quod ex libero suo arbitrio, ad hominum salutem et vtilitatem fecit, & illis qui totum hominum genus repraesentarunt, publicauit, obligans omnes homines ad aliquid faciendum vel qmittenndum. Tales leges dari, exempla probant.

§. XIV.

Lex diuina particularis est decretum Numinis, quo certam gentem, (Ebraeam) vt illius saluti consuleret, obligauit ad aliquid faciendum vel omittendum. Oocupabatur autem vel circa colum Numinis, vel circa negotia ciuilia, hinc alia *ceremonialis*, alia *forensis* dicitur.

§. XV.

Leges istae particulares cum finis earum cesset, neminem hodie obligant: interim ostendunt, quae iis praecipuntur, aut permittuntur, non repugnare iuri naturali.

§. XVI.

Ceterum quod eiusmodi legibus homo obnoxius esse queat, tum, vt iam supra dictum, ex eo patet, quod natura eius ita comparata sit, vt a potestate superioris necessario non debeat esse immunis, tum quod et intellectu et voluntate praeditus est, quibus facultatibus efficitur, vt ad rationem actionum suarum reddendam compelli queat; indeque et pro prin-

cipiis actionum humanarum, recte reputantur. Quae quo pacto se habeant, hic omnino explicandum.

§. XVII.

Nimirum ad intellectum quod attinet, de eo hic obseruasse sufficit, quod, si nullum impedimentum adsit, et institutio accedat, omnino vniuersalia iuris naturalis principia, comprehendere possit. Hoc experientia docet.

§. XVIII.

Principia eius circa actiones ad legem componendas operatio, vt in parte prima docuimus, vocatur *conscientia*. Haec cum diuersa sit, legis quoque naturalis obligatio, diuersimode sese exerit.

§. XIX.

Huc spectant regulas, quae de conscientiae obligatione, tradi solent, quarum summa huc redit: contra conscientiam veram, siue certa, siue probabilis sit, non esse agendum: probabiliorem sententiam praefereendam: esse minus probabili: tutiorem, probabili, si haec rationibus inferioribus nitatur: contra conscientiam dubiam, nihil suscipiendum esse: ex duobus malis moralibus neutrum esse eligendum: scrupulum leuioris momenti ciiciendum esse etc.

§. XX.

De conscientia *erroneae* anceps est disceptatio. Ego ita censo: si error sit inuincibilis, iuxta

iuxta conscientiam est agendum : imputari enim nequit : si vincibilis sit de re indifferenti , idem faciendum : sin de re vetita aut praecepta , excusandus est.

§. XXI.

Ignorantiam non tantum in *vincibilem* et *invincibilem*, sed et in *efficacem* et *concomitantem*, in *voluntariam*, et *inuoluntariam* diuidunt, et hanc iterum vel *in se*, vel *in sua causa*, vel *in se et sua causa simul* talem esse, contendunt. Quotidiana haec sunt, interim quousque ignorantia alicui vitio verti possit, demonstrant.

§. XXII.

Voluntati eatenus libertatem supra concessimus, quatenus si in vnam partem nimis propendet, obiectorum contrariorum repraesentatione, flecti in contrariam partem possit. Quod licet tanto difficilius procedat, quanto grauiora pondera eam in vnam partem determinant, vt consuetudo, affectus vehementior, et ebrietas, nunquam tamen haec facultas ita homini eripitur, vt exinde actio in foro ciuili ei prorsus imputari nequeat.

§. XXIII.

De affectibus in specie constat, penes hominem stare, ne ad *ultimum gradum* procedant, multo magis, ne in actum externum erumpant: interim ratio dicitur, magis excusandos esse, qui nos impellunt ad declinandum malum, quam qui ad bonum acquirendum

nos abripiunt. In consuetudine autem et ebrietate, homo ipse palam in culpa est, quare in hunc statum degenerit, nisi ad hanc fuerit coactus.

§. XXIV.

Voluntariae actioni opponitur *inuita per violentiam*: a qua rursus differt, quae motu maioris magis suscipitur, quamque *mixtam* vocant: efficitur enim quandoque cum inuitis in foro humano communem habet: ad spontaneas tamen recte refertur, quod electio in ea habeat locum.

§. XXV.

Non tantum autem illud aliquis velle censetur, quod ipse afficit, sed etiam quod iubet, adprobat, etc. Atque inde fit, ut *causa moralis* istius actionis, dicatur.

§. XXVI.

Ait non vna eademque ratione causa moralis in effectum influit. Hinc nec vno modo illi imputari potest. Nimirum vt bene Grotius docet, concurrunt nonnulli ad effectum aut *faciendo* aliquid, aut *non faciendo*: *faciendo* alii *primario*, alii *secundario*: *primario* qui iubent, qui consensum requisitum adhibent, qui astant, qui receptum praestant, aut qui alio modo in ipso crimine participant: *secundario* qui consilium dant, laudant, assentantur: *non faciendo* itidem vel *primario*, vel *secundario*: *primario*, qui cum vetare, aut opem ferre debebat,

bebat, illud non facit: *secundario*, qui aut non dissuadet, cum debebat, aut factum reticet etc.

§. XXVII.

Ex haecenus dictis satis liquet, eam actionem alicui *imputare* posse, quae ut fieret vel non fieret, penes ipsum stetit: eius enim causa est: et vice versa.

§. XXVIII.

Saepe itaque contingere potest, tum in iis actionibus, quae *immediate*, tum in iis quae *mediate* ab aliquo proficiscuntur, ut agenti imputari nequeant. In illis quidem, si aut intellectus aut voluntas, in operationibus suis impediuntur, aut externa ad agendum requisita desunt, aut denique, si actio a potentia et facultate hominis naturali, hoc est, quae directioni voluntatis non subiacet, proficiscatur.

§. XXIX.

Intellectus impeditur per ignorantiam et errorem inuincibilem, et per defectum visionis; voluntas, per coactionem et metum: externa ad agendum requisita desunt, si non adsit occasio, si res praeter culpam nostram, supra vires nostras sit posita, si per vitae conditionem aliasque causas hanc aut illam agendi facultatem acquirere non potuerimus: ad potentias naturales autem spectat, vegetatiua, et in quibusdam operationibus, sensitua, quia et omnium facultatum perfectiones aut imperfectiones naturales, huc pertinent. Actio-

nes autem et operationes aliorum hominum et rerum, illi demum imputari possunt, qui illarum causa moralis est.

§. XXX.

Actualis imputatio vel ex lege fit, vel ex arbitrio eius, cuius interest, eam factam aut non factam fuisse. Prior vel ex gratia fit, vel ex debito: Illa effectum actionis a tertio patratae in aliquem transfert, et adeo tantum in favorabilibus locum habet: haec causam imputationis respicit, & vel effectum secum trahit, unde *efficax*, vel eo destituitur, unde *nuda* dicitur. Si plurium intersit, actionem factam aut non factam fuisse, vno non imputante, ceterorum iuri nihil decedit.

§. XXXI.

Imputatio quae fit ex alterius arbitrio producit *meritum*. Est enim meritum, sumpta voce in significato specialiori, relatio actionis, quam in gratiam alterius suscepimus, ad rem, quam sibi ex conventionione, siue ex lege acquiritatis, ab altero expectamus. Actio cui haec relatio inhaeret, *meritoria* dicitur.

§. XXXII.

Requiritur ergo ad meritum, primo ut actio agenti imputari possit: hoc est, ut in agente adsit propositam alteri sua actione aliquid boni conferendi: in recipiente voluntas expressa aut praesumpta illud admittendi: porro ut actio non sit debita, qua perfectam, qua imperfectam

fectam obligationem: saltem ut applicatio ad certos homines in nostro posita sit arbitrio: praeterea ut inter actionem, & rem quam meremur, sit proportio quaedam: et tandem ut, aut ex conventionione, aut lege quadam, aliter ad compensandam actionem teneatur.

§. XXXIII.

Respondet itaque merito partim *merces* partim *praemium*. Merces quidem, si expressa praecesserit conventio: praemium autem, si in arbitrio eius, in cuius gratiam actio est suscepta, positum sit, an, et quousque eam compensare velit. Praemii species sunt, *honor, laus, fama, gloria*.

§. XXXIV.

Opponitur autem merito *demeritum*, hoc est, relatio actionis qua alteri nocuimus, ad rem qua hanc actionem consequi solet. Huc pertinet *culpa et reatus*. Culpa, ut vocem istam hinc accipimus, est relatio actionis malae, ad illud quod eam consequitur, vi cuius agenti imputari potest. Solet etiam si ad agentem referatur, *macula*, si ad illum qui laesus est, *offensa* dici, et in *plenum ac minus plenum, directam et indirectam*, etc. dividitur.

§. XXXV.

Reatus autem in *reatum culpae et poenae* dispescitur. Ille denotat relationem quae inter agentem, et ipsam actionem intercedit, per quam culpae obnoxius esse censetur: hic autem

tem ex imputatione quae fit ex lege fluit, & denotat relationem peccantis ad poenam lege definitam.

§. XXXVI.

Demerito respondet facultas exigendi restitutionem et satisfactionem, hoc est, iniuriae illatae compensationem. Et laedens ista offerat, sique testetur se facti poenitere, cessat. Quomodo vico versa, meretur et adeo facultas praemium poscendi, ac obligatio illud dandi, colligitur per subsequentem actionem malam, nisi conventio hic obstat.

§. XXXVII.

Sed effectus imputationis quae fit ex lege, non sunt confundendi cum effectibus imputationis, quae fit ex alterius arbitrio. In illa si actio legi fuerit conformis, sequitur iustificatio, et adeo conscientia bona, et ac immunitas a poena, nisi legislator sua sponte ad praemium se obligaverit; si actio fuerit mala, sequitur reatus poenae.

§. XXXVIII.

At in altera imputatione, si actio fuerit grata, semper sequitur facultas ad poscendum praemium aut mercedem: si mala, neutiquam poena, sed reatus culpae, et obligatio ad restitutionem et satisfactionem.

§. XXXIX.

Iam si actio, quae imputari potest, ad legem referatur, aut iustitiam civilem, aut non iustitiam civilem.

Illam

Illam lex præcipit, aut vetat, hanc nec vetat nec præcipit. Necessarias actiones, sumpta non de lotius, etiam *moralis* dicere posses. Omnis enim moralitas a lege est. Non necessariae autem etiam *licitae*, idemque *indifferentes*, minus autem accurate, *permissae* vocantur.

§. XL.
Quin et non necessariae, quandoque *mediæ* vocantur, quod tamen non de *medio participati-
onis*, sed *negationis*, est intelligendum. Unde fau-
sit Hugo Grotius, hinc latitudinem quandam
moralem elicit.

§. XLI.
Cum autem leges non sint vnus generis, fac-
pius contingit, vt actio quoad *diuina*, sit neces-
saria: quae quoad *humanas* licita est, et vice versa
sunt. Hinc quae actiones *plene*, quae *minus plene*
licitae sunt, intelligitur.

§. XLII.
Necessaria actio, vel *bona*, vel *mala* est: illa
cui in lege conuenit, haec illi repugnet. Sed ut
actio vere bona sit, necesse est, vt quoad omnes
res *debet* cum ea conueniat. Hoc est, quod
dicunt *actionem bonam non tantum moraliter,*
sed et formaliter bonam esse debere: a se uero, aut
alio aliquo attendi debet, ex trito, uersiculo
quis? quid? etc. constant.

§. XLIII.
Si ergo actio aut *plene* cum lege non conue-
nit, aut *minus cum lege* conuenit, mala est.
Tan-

Tantum abest, ut una *propter* legi repugnantem actionem, bonam reddere possit. Vnde celeberrima *methodus dirigendi in actionem*, corruit.

§. XLIV.

Si ad actionem bonam accedat relatio ad aliam, qui ius aut perfectum, aut imperfectum habet, eam a nobis exigendi, vocatur *infa*: ipsa relatio, *iustitia* audit: a qua tamen multum differt iustitia quae hominibus tribuitur, quae in constanti et perpetua voluntate suam cuique tribuendi, consistit.

§. XLV.

Iustitiam cum Hugone Grotio in *expletivam*, siue *particularem*: et *attributivam* siue *universalem* dispenso. Hanc nonnulli *charitativam*, itemque *legem charitatis* appellant, eamque legi iustitiae opponunt. Est autem iustitia expletivae quo praestat officia, quae alter iure perfecto exigere poterat: attributivae autem officia exiit, ad quae ius imperfectum alteri competit. Ius autem perfectum in statu naturali ipse Deus dat, in his quae ad humani generis conservationem absolute sunt necessaria: in his, quae non sunt absolute necessaria, ut vitam socialem promoveant, dat ius imperfectum: in statu civili summus imperans, ex statu et conditione civitatis.

§. XLVI.

Iustitia expletivae in commutativam
et

et distributivam: rectius in *reftoriam* et *aequatoriam* diuiditur: illa inter inaequales, haec inter aequales versatur. Reftoriae tot sunt species, quot sunt societates, in quibus alii imperant, alii parent. Aequatoriae tot sunt species, quot sunt officiorum, quae homo erga hominem, cuius erga ciuem, praestare tenetur, genera. Sic alia est, quae alterum non laedit, alia quae perdat, etc.

§. XLVII.

Iustitiae aduersatur *iniustitia*, cuius tot sunt species, quod sunt *iustitiae*. Eam quae iustitiae explettrici repugnat, *iniuriam* vocant: ad quam adeo requiritur, vt ex proaeresi sit suscepta; vt inferatur inuito; vt actio sit lege prohibita; vbius alterius perfectum laedatur.

§. XLVIII.

Si propositum absit, nec agens per negligentiam peccauerit, *infortunium*, sine *casus fortuitus* vocatur: aut si negligentia accesserit: *erratum*, sine *culpa*, quae pro diuersis diligentiam quam agens adhibere debet gradibus, in *larum leuem*, et *leuisimam*, dispescitur.

§. XLIX.

Da *quantitate* actionum istud addendum, bonam actionem absolute spectatam, altera non esse meliorem, cum conuenientia cum lege exactissima esse debeat: aut ratione obiecti, effectorum, aliarumque *reperit*, vna actio altera omnino praestantior esse potest.

§. L.

§. L.
 Hic vero, vt et in personarum, rerumque
 quantitibus; *latitudo* quaedam *moralis* depre-
 henditur. Idque exinde, quod raro admo-
 dum definiri possit, quantum vnus obiectum
 praestantius sit altero, vnus effectus nobilior al-
 tero.

§. LI.

Malae autem actiones, non tantum ratione
 obiectorum, effectuum etc. comparationem
 admittunt: sed ab ipsa lege aut magis aut mi-
 nus distant, vt vna curuitas a rectitudine ma-
 gis discedit, quam altera. Sunt qui earum
 grauitatem et leuitatem, ex complexu pluri-
 um aut pauciorum delictorum aestimant: sed
 in omnibus remota se habere, asserere non au-
 dico.

CAP. III.

de

ACTIONVM HVMANARVM IM-
PERFECTIONE, INDEQVE ORTA DI-
RECTIONIS NECESSITATE.

Seroq. it.

Quia propensione homi-
 num praeuere subinde in
 crimina erumpunt, legi-
 bus opus est, §. I.
 Quae tum improbis, tum
 probis profunt, §. II. III.
 Quod si probetur, vltima acti-

onibus hominum adiectum
 ita enumeranda sunt, §. IV.
 In his itaque deprehenditur
 atheismus, §. V.
 Variiq; de Deo errores, §. VI.
 Quae ex voluntate praecipue
 oriuntur, legibusq; adeo sub-
 iacent,

iacent, §. VII.
 De iussum, idololatria, magia,
 superstitio, §. VIII.
 Proprii praeterea homines
 sunt ad intemperantiam
 §. IX.
 Tum in iis quae ad animum
 spectant, §. X.
 Tum in iis, quae ad corpus
 pertinent, §. XI.
 In quibus homines quandoque
 deterioris conditionis sunt
 quam bruti, §. XII.
 Eadem intemperantia labo-
 rant, in dispensandis opti-
 bus, §. XIII.
 et honoribus appetendis aut
 refectandis, §. XIV.
 Itemque secundis aut aduer-
 sis rebus, non ita ut decet,
 ferendis, §. XV.
 Apertius socialitati repug-
 nant, quae directe alios
 spectant, §. XVI.
 Huc pronitas spectat, ad late-
 dendos, quovis modo alios,
 §. XVII. XVIII.
 Quae si non in omnibus con-
 spicitur, ignorantia illorum
 hoc impediendum, §. XIX.
 Itemque proclivitas ad alios
 contemnendos, aut se supra
 eos efferendum, §. XX.
 Et et ad peccata violenda, §. XXI
 Ob hominum avaritiam, et
 iniquitatem, introducenda
 da fuerit verum dominia,
 §. XXII

Latitiae, verum preclinto et
 commercia, originem de-
 bent, §. XXIII.
 Ex remediis vitiorum, non a-
 orta sunt vitia, §. XXIV.
 Ex inhumanitate quae cri-
 mina otiantur, §. XXV.
 Ingrati animi fructus, §.
 XXVI.
 In societatibus quo pacto vi-
 tia hominum s. excrant,
 spectatum in imperantibus
 §. XXVII.
 In quibus trinita insuper
 virtutum nomine reguntur,
 §. XXVIII.
 Iniuria, bellum iustum voca-
 tur, §. XXIX.
 Paucorum violatio, prudentia,
 §. XXX.
 Cur legatos violari nolint,
 quos tamen violare quan-
 doque religioni sibi non
 ducunt, §. XXXI.
 De fallacis, fraudibus, rapti-
 mis, integrorum gentium,
 §. XXXII.
 Concluditur, imperantibus,
 gentibus quoque integris leges
 maxime esse necessarias,
 §. XXXIII.
 Hominum libidini per ma-
 trimonium obuiam itum,
 §. XXXIV.
 Sed eo factis, ut ob nona-
 vitia, novis opus fuerit le-
 gibus, §. XXXV.
 Quae in statum patrum et
 P
 hivilem

*hivilem ex hominum vitiis
redundant incommoda,
et quam necessarias hic
sunt leges, §. XXXVI.
De statu civili idem proba-*

*tur, §. XXXVII. XXXIX.
Ex quibus omnibus colligi-
tur non posse hominem vi-
vere sine lege, §. XXXIX.*

§. I.

SI sua sponte homines facerent, quod illo-
rum saluti conduceret, nullis opus esset le-
gibus. Iam cum subinde pravis suis propen-
sionibus abrepti, in ea ferantur, quibus et sibi
et aliis nocent, ipsa illorum natura, prout ho-
die est, leges, regulasque, et alias coercitiones
postulat.

§. II.

Cum verò duplex hominum genus sit, aliud
illorum, qui pravis cupiditatibus suis frena la-
xant, aliud illorum, qui iniecto velut freno eas
demant, id quod illi demum faciunt, qui iuxta
moralis doctrinae praecepta, purgare ab innatis
vitiis, voluntatem institunt, utrorumque hic
habenda ratio,

§. III.

Etenim illi qui suis adhuc obtemperant cu-
piditatibus, nequitia sua et petulantia, et sibi
et aliis nocendi finem facturi non essent, nisi
legibus, et quae has comitantur, poenis ut-
cunque coercerentur: reliqui autem emenda-
toris vitae studiosi, itidem interdum hoc vin-
culo ad reprimendos effectus tumultuantes, o-
pus habent. Interim hoc discrimen inter v-

trōt.

trisque intercedit, quod hi sponte & filiali obsequio faciant, quod illi non nisi iniuncti admodum, et veluti reluctantes in se recipiant.

§ IV.

Sed iuvat paulo specialius, quae actionibus mortalium vitia haerent, siue in haec ipsi consentiant, siue naturae prauitate abripiantur, enumerare, vt facilius intelligantur mala et incommoda, quibus legibus obuiam eundem fuit.

§ V.

Erga Deum quidem per naturam pessime affecti sunt homines. Innata quippe omnibus philautia, stolidusque sui amor, eos urget et agit, vt nihil minus cogitent, quam ita se gerere, placere vt Deo queant. Nonnullos tanta incedit stultitia, vt quod cupiunt, aperte ita se habere profiteantur, Deumque, hoc est supremum mundi rectorem, eumque diuersum separatumque a mundo ipso, esse abnuant.

§ VI.

Alii contra seruili metu, turpique errore ducti, creatis rebus diuinos tribuere honores, et pro vno veroque Deo introducere multos, aut fingere de eo talia, quae cum summa eius perfectione, quam natura omnes condocet, consistere nequeunt, nullo pacto dubitant: speciatim et nonnullos tanta quandoque dementia caput, vt si vel maxime Deum admittant, vix

tamen aut mundum ab eo conditum, aut humanarum eum tangi rerum cura, sibi persuadere queant.

S. VII.

Intellectus equidem hæc videntur vitia, non voluntatis, quibus adeo legibus obuiam ire superuacaneum videtur: sed fallitur qui in solo intellectu ea collocat, radix et scaturigo in voluntate est quaerenda, quae flecti ad legem atque accommodari potest. Interest etiam ipsorum hominum, ne impune suis eoque cupiditatibus indulgeant, ut quiduis de Deo cogitent, atque loquantur. Quod non alia ratione, quam legibus, effici posse, res ipsa docet.

S. VIII.

Deus vero impietatis profanae modis, qui non nisi pravae voluntatis censerit fructus debent, eo minus dubitandum. Est enim et hæc quorundam vesania, ut in medio velut relinquentes, de Deo quicquid dicitur, nihil minus agant, quam ut de eo rite colendo cogitent. A quibus toto coelo rursus dissentiant alii, qui in contraria currunt, res a Deo conditas, diuino prosequentes honore. Quam venerationem, quae soli Deo debetur, si qui iurato Numinis exhibeant hosti, ipsi diabolo, mali omnis auctori, illi adhuc turpius peccare censentur haud immerito. Ne quid nunc de illis dicam, qui rationem colendi Numen, suis cupiditatibus convenientem, nec sustul-

tam rectae rationi, aut diuinarum literarum monumentis, excogitant, ideo superstitionis rei.

§. IX.

Eaedem, quas ut tam peruerse erga Deum se gerat, hominem impellunt cupiditates, eundem quoque inducunt, ut data saepius opera, destinataque consilio, perniciem sibi attrahat atque exitium, eo maxime tempore, cum corpori suo genioque quam rectissime consulere, sibi videtur.

§. X.

Nec a rebus, quae innocentissimae videri poterant, haec intemperantia abest, qua efficitur, ut damnum maximum afferant, ex quibus insigne ceteroquin capere emolumentum potuisset. Mentem erudire literis, ut quibusdam prodest: ita multis nocuit maximopere, suo quo flagrantur sciendi, et in intimos rerum recessus penetrandi desiderio, nullos posuisse limites: ut alii semper miseri esse maluerunt, quam vel minimum laboris in se suscipere, ut felices esse discerent.

§. XI.

Atque ad animum quidem ut ista pertinent, ita nec defunt, qui non excusatijs in corpus quoque suum faeuunt. Ingluue licet perierint multi, perire tamen quenquam posse, pauci sibi persuadent. Abstinencia nimis paucioribus equidem nocuit, nocuit tamen quibus.

busdam, quibus satius visum, aegrotum esse aut omnino mori, quam gloria et opibus non abundare.

§. XII.

Videtur vero in eo homo omnino deterioris esse conditionis, quam ipsa bruta, quae ut ultra satietatem nec edunt nec bibunt, ita plerumque certo tantum tempore sine formae defectu, ad naturae saltem satisfaciendum, in libidines ruunt; homo contra nec quid natura postulet, nec quid sibi conducatur, pensi habens, quous tempore, et sine modo, haec omnia appetit.

§. XIII.

Accedit quod praesentibus contenta sint bruta, nec aliud rebus pretium statuunt, quam quod ipse velut usus illis imponit. Quae ferum longe secus in homine se habent: qui sibi esurire videtur, nisi colligat opes, componat thesauros, et in seculares quoque sibi prospiciat annos. Cumque praesens rerum humanarum conditio, omnino eiusmodi quid exigere videatur, tam impotentis esurientisque animi sunt plerique, tam etiam imprudenter, ut aut expleri opibus nequeant, scelerato etiam eas angere parati, aut partas unico statim effundant impetu, acque in dispensandis vite, quam congerendis divitiis modam servare nesciunt.

§. XIV.

§. XIV.

A modestia, ad quam natura omnes ducit, et agnoscenda et colenda, alieni maximopere sunt homines. Quisque tum demum sibi vivere videtur, cum eminet supra alios. Sibi ergo omnia, ceteris nihil tribuunt: seque efferre super alios et ferociter superbire, virtus reputatur. Nisi forte ventri et gulae quidam eousque obsequantur, ut sui velut immemores, ne illum quidem, in quo a Deo collocati sunt, tueri locum sciant.

§. XV.

Ecquis vero est, qui tum in secundis rebus, tum in aduersis, ita ut decet, sese gerat? Si ex voto omnia procedant, quam se non ferendum aliis homo praebet! In eo saltem tum ingeniosus est, ut inueniat quae animum omnium contemptorem, prodant. Supra fortunam sibi tum positus videtur, adeo pericula spernit, nec humanos extimescere videtur casus. Si faciem fortuna mutet, quid tum abiectius homine? Qui ab omnibus olim timeri volebat, nunc omnes timet: qui sperabat omnia, nunc omnia desperat.

§. XVI.

Haec equidem ita comparata sunt, ut licet in alios quoque inde incommoda quaedam redundent, sibi ipsi tamen maxime iis quisque noceat. Longe acrius tamen vim suam hominum vitia in turbanda, quae inter omnes
P 4 inter-

intercedit, socialitate, produnt, si eas, quae directe ad alios pertinent, actiones consideremus.

§. XVII.

Quam enim mortales ad alios quouis modo laedendos proni sunt, si aut se laesos, quoquam errore ducti, putent, aut quae alii habent, ea ipsi cupiant, aut plane sine causa, velut furore quodam acti, in alios ruunt? Non vitae parcunt, non corpori; in illam caede, in hoc vulneribus saeuiunt. Bonis inhiare, si crimen putatur, eiusmodi tamen hoc videtur, quod expiari facili ratione queat. Si non facto aperto, aut dolo et circumventionem ad se trahere, quae alterius sunt, laudi ducitur.

§. XVIII.

Quos ira, aut inuor aut inuidia, aut odium vindicunque ortum agitat, si nocere alteri alia ratione nequeant, in famam eius insurgunt; hinc contumeliae, detractiones, susurri, libelli famosi, et quid non? Plene ut existimare posses, natos hunc in finem homines editosque in lucem esse, adeo omne studium omnesque cogitationes in eo collocant, ut se inuicem torqueant, excrucientue misere,

§. XIX.

Sunt fatos nonnulli, quorum de meliore luto praecordia fixisse creditur. Titus, cuius vel atrocissimas patienter deuorando iniurias, mansuetudinis, quae propria humanae naturae

raesse debebat, praeclara statuere videntur exempla; sed aliud vitium obstat, quo minus hoc se polluant. Ignavia, et torpor, et quiduis potius, quam mansuetudo est, iniustis aliorum obuiam non ire machinationibus, virtus autem, si hoc fiat sine omni vindictae cupiditate, eaque lege, quam ipsa omnibus praescribit ratio.

§. XX.

Praeterea licet ipsa omnes quotidiana doceat experientia, naturam nullum hactenus inter homines constituisse discrimen, vt praefendus vnus alteri sit; omnium minime tamen haec aequalitatis ratio hominibus sese adprobat; hinc contemnere alios, illosque multis nominibus inferiores et postponendos ducere, solenne admodum est. Eo usque autem haec subinde procedit iniquitas, vt verbis factisque atrocissimis, inhumanissimisque, se prodant.

§. XXI.

Cumque ex alijs emolumentum quam libentissime homines capiant, velintque adeo vt quae sibi ab alijs promissa sunt, ea seruentur quam sanctissime, vix tamen vt praestent quod ab alijs exigitur, induci possunt. Quare et violare fidem, non seruire pacta, migrare promissa, vix quisquam est, qui religioni sibi ducat, modo id vtile esse intellexerit, nec superstitio, aut damnum grauius, inde metuendum, obstat.

§. XXII.

Sed id cumprimis hic obseruandum, quod exercens se in primis mundi incunabulis auititia hominum, et iniquitas, quae innata omnibus est, non permiserit, ut ex rebus aut sponte natis, aut aliorum industriis productis, tantum quisque caperet, quantum vñibus necessariis sufficeret, eodem omnibus in omnia remanente iure. Necesse itaque erat, constitutis dominiis, unicuique quod suum erat, adsignare.

§. XXIII.

Cum ita nonnulli quibusdam rebus abundarent, aliarum autem laborarent inopia, permutatione rerum obuiam eundem his incommodis erat: quae cum crescentibus per hominum luxuriam commerciis, nimis operosa esset, necessitas iussit, certam quoque pretii omnis mensuram constituere. Dominio autem rerum atque pretio, si addas sermonem, resultant inde tria ista instituta uniuersalia, quae pro praesenti humani generis conditione, ad socialiter viuendum, maximopere sunt necessaria. Sermonis tamen origo, rectius forte a natura ipsa, quam ab hominum institutis accersitur.

§. XXIV.

Haec autem ut eo comparata fuerunt, ut grauiora et euidentiora instomanda, ex prauis hominum cupiditatibus oriunda, evitentur.

rentur: et quod negari nequit, quaedam illorum evitari omnino hac ratione queant; nihilo-faciùs, quae hominum est perversitas, orta inde occasio est, novis quibusdam criminibus sese polluendi. Namque quae supra iam indicavimus, atroque notavimus lepillo vitis, furta, circumventiones, fraudesque in contractibus, obreptiones, et varia mendaciorum genera, vix locum habuissent, nisi hisce institutis vainer-salibus introductis.

§. XXV.

Tanta ergo cum humanae mentis sit praesentitas, tanta durities, ut ea sibi invicem non praesentent mortales, sine quibus salvi, incolamesque esse non possunt, facile qua ratione in iis se gerant, quae ut magnopere hominibus expediunt, ita neutiquam ut salvi omnino et incolames sint, requiruntur, intelligitur. Sunt utique ad humanitatis officia, quae omnes tamen tantopere expetunt, duri prorsus et asperi: sed longe adhuc difficilius ad beneficia aliis conferenda inducuntur, nisi ad maius emolumentum, aut certe gloriam quandam, auctoritatisque incrementum, inde se relatu-ros sperent.

§. XXVI.

Equidem ad accipienda beneficia sunt longe promptissimi, nisi forte ambitio obstet, ne quid aliis debere videantur, aut suae sortis miseriam hac ipse palam profiteri eos pudeat.

Sed

Sed iidem plerumque ad referendas gratias, aut animum saltem gratum declarandum, longe sunt tardissimi. Plane enim ac si iure quodam, quae ab aliis acceperunt, ab iis exigere poterint, viderivolunt; ac quantumvis gratum fortiterat, suam subleuari ab amicis inopiam, nimis tamen molestum videtur, parte vel minima bonorum carere, qua istorum libertatis comprehenditur.

§. XXVII.

Ceterum cum homines cetera hominem se gerat, non est quod existimes, postquam in integras societates, imo ciuitates ac respublicas coalescunt, in eosdem eos mutare suam aut prauos ex more mores. Imo quo maior illorum, qui ciuitates et respublicas repraesentant, est potestas, eo plus sibi licere putant. Nec alium in finem in hoc se collocatos fastidium putant, quam ut impune peccent.

§. XXVIII.

Accedit, quod in priuatae sortis hominibus vitia, quae illorum animis sedent, suis insignire nominibus liceat, cum in integris gentibus, vel potius principibus, qui illas repraesentant, rerumque dominis, ea virtutum splendorum nominibus tegantur, parumque a crimine abât, si quis de his secus sentiat.

§. XXIX.

Sic si quis hominem innocentem laedit, iniuria edito, si princeps principem, nulla licet aut iusta

iusta, aut praegnantia causa inuadat, bonaque eius ac subditos, vrbes ac prouincias, aut eripias, aut deuastet, bellum vocatur, de cuius iustitia nemo nisi imprudens dubitauerit.

§. XXX.

Pacta violare, crimen est in priuatae sortis homine: in principibus aut iis, qui rerum summas praesunt, frangere foedera, pars prudentiae est. Nec hoc iam ullum argit, rectene an locus egerit, quippe quae disquisitio ad illos pertinet, qui non didicerunt regnare, sed in eo saltem elaborandum putant, ne vllum inde ad eos redundet damnum. Ad cetera quod attinet, causam, quam obtentui sumant, inuenire facile est, quam siue veram esse credant alii homines, siue non credant, perinde ducunt.

§. XXXI.

Id sapienter, quod nihil molestius temere ferant, quam legatorum, qui rerum dominos referunt, conculcari, insuperque haberi sanctitatem. Quam rectissime enim suae ita se consulere et saluti et existimationi putant; quae si modo salua sit, quid subditis, quid aliis contingat, sua parum referre arbitrantur. Quod vt minime equidem ferendum, cum suis saltem commodis iusserint leges velint, quibus tamen omnibus ex aequo consultum Deus voluit: ita grauius longe illi peccant, qui nec hac ratione, nec alia quacunque, impediunt.

cliantur, quo minus legatorum iura violando aut crudelitati suae, et ambitioni, aut aliis aequae prauis cupiditatibus, satisfaciant.

§. XXXII.

Sed quid de fraudibus, fallaciis, mendaciis, circumventionibus, rapinis, furtis, similibusque vitis dicam? quae in infimae sortis hominibus nemo non execratur, in integris gentibus et rebus publicis, nemo non aut laudat, aut excusat. Hinc quae inter ciues de rerum dominio, aliisque institutis vniuersalibus lites oriuntur, longe inter illas frequentiores forent, nisi iniusta vi statim opprimerentur innocentes: quamuis et sic bellorum nunquam aut finis, aut modus sit.

§. XXXIII.

Quare vt omnium hominum, ita vel maxime gentium integrarum, et qui eos referunt, regum, principumque cupiditates legibus coercendae sunt. Idque eo magis, quod et ipsarummet hoc referat, cum gens alia aut princeps inique erga alias gentes se gerendo, illis quidem damnum inferre queat, sed sibi ipsi tamen noceat, quam maxime. Praeterquam enim quod ita bellis non necessariis se inuoluat, quae utcumque etiam cadant, rempublicam enervant; vix est quod ab aliis maiorem fidem, benevolentiam, humanitatem, expectet; quam ipse illis exhibuit, ne dicam, quod eas merito irritet ad vires eius quo-
nis

nis modo imminuendas, ne nocere amplius in posterum queat.

§. XXXIV.

Sed ad singulos homines redeo, qui ut per pravas, quibus reguntur propensiones, ad mala quaevis impelluntur, ita in libidines sua nature prona omnes sunt, quibus et corpora exhaurire viribus, et cuncta impuris polluere commixtionibus, eaque ratione et ordinatam humani generis impediri propagationem, summam contra rerum omnium introducere confusionem, parati sunt. Hisce equidem ut obuiam iretur, matrimonium inuentum, aut potius a Deo institutum est: sed quod tamen si suis legibus itidem munitum non esset, plane huic malo iustam medelam non afferret.

§. XXXV.

Quaquam et sic cupiditates hominum refrænari nequeant. Pauci vna conjugee contenti, nouas libidinis explendae occasiones, tanto auidius amplectuntur, quanto naturae hominum indomitae solennius est, niti in vetita. Idque vtrique sexui commune. Porro cum imperare alter, alter obtemperare debeat, haud raro neuter suo recto officio fungitur. Obsequi maritis, turpe mulieres ducunt, iugumque reputant, quod ferri nequeat. Regere vxores plerique maritorum nesciunt, et aut nimia seueritate id efficiunt, ut non hominum sed bestiarum consortium esse videatur, aut

aut nimia facilitate omni se ipsos auctoritate priuant.

§. XXXVI.

Dedit vero hominum miseria et aliis societatibus, ac statibus occasionem, in quibus qui constituti sunt, iisdem urgentur vitiis, ut nisi diuina quadam lege utcunque cohiberentur, iam pridem sursum deorsum ferrentur omnia. Equis est qui aut libetis aut seruis ea, qua decebat, prudentia et aequitate imperet: aut qui illorum rite inuigilet educationi? Quis non ex iis, qui parere debebat, frenum mordere paratus est, nihilque minus agere, quam quod placeat eis, qui illis praesunt, aut ipsorummet expediat commodis. Quam non voluptuosa incuria, ambitione semper renitens superioribus, hic in transorsum agit?

§. XXXVII.

Maiora vero erant, quae homines circumstabant, incommoda, quam ut minores istae societates istis depellendis sufficerent. Quare ciuitates tandem, & res publicae constituendae erant. Durissimum quidem illud erat iugum, sed durior, quae hoc subire iubebat, necessitas. Praeclare satis tamen et sic cum homine ageretur, si suos ipse commodis veris, ad duraturis, attemperaret mores. Iam quantumuis omnes et utilitatem et necessitatem reipublicarum agnoscant, paucissimi tamen suum ita condocere ingenium annuntiantur,

tur, ut sponte sua, quod boni civis est, faciant.

§. XXXVIII.

Maiores quidem hic, et merito quidem, vi accessit, quae inuitos ac reluctantes perdomaret. Remanet tamen semper naturae ferocitas, quae subinde erumpit, maximisque criminibus se prodit, ut humanas leges, poenasque, ponere in minimis videantur. Ut eos nunctaceam, qui puniendi equidem non admittunt, sed erga imperantes, ipsamque rempublicam, et concives ita affecti sunt, ut nisi coacti, nihil eorum, quae illis debentur, praestent. Hinc prodero principem, negligere salutem patriae, vexare concives, illorumque impedire commoda, res quotidiana est, et valde usitata.

§. XXXIX.

Atque haec omnia quae attuli, eo comparata fuerunt, ut ostenderem, hominem sua natura esse animal indomitum, ferox, petulans, lascivum, fraudulentum, perfidum, stultum, in propria incommoda ruens, suamque nunquam non sibi attrahens perniciem, sibi que ipsi non minus quam aliis, in quocunque statu vivat, siue princeps sit, siue civis, siue maritus, siue vxor, siue pater, siue filius, siue dominus, siue servus, semper noxium, libertatis verae non capax, et cui bene esse nulla ratione queat, nisi legibus regatur, hoc est eiusmodi regulis, et iustis diuinis, quae poenam certissimam secum coniunctam habeant, nisi eas observet.

CAP.

CAP. IV.

de

PERFECTIONE ACTIONVM HV-
MANARVM, SEV CONVENIENTIA
CVM LEGIBVS NATVRAE.

SECT. I.

de

LEGE NATVRALI GENERATIM, VE ET
PRIMO IVRIS NATVRALIS PRINCIPIO.

Σύνοψις.

- Quid lex naturalis? §. I.* per primum cognoscendi principium, §. XIII.
- Eius auctor Deus, §. II.* Quod pro diversitate disciplinarum practicarum variat, §. XIV.
- Cui imperium in omnes homines competit, §. III.* Aliud enim est ethicum, §. XV.
- Ob creationem et conservationem, §. IV.* Aliud iuris uniuersum, §. XVI.
- Qui etiam has leges dare voluit? §. V.* Aliud politicum, §. XVII.
- Sine Deo nulla lex naturae, §. VI.* Speciatim aliud est iuris diuini tum positivi, tum naturalis, aliud humani, §. XVIII.
- Legis naturalis promulgatio, §. VII.* Requisita principii iuris naturalis, §. XIX.
- Obiectum, §. VIII.* Modus illud inuestigandi, §. XX. XXI.
- Quo pacto differat a posituius uniuersalibus, §. IX.* Quod tria iuris naturalis principia sint constituenta, §. XXII.
- An in eam cadat dispensatio, item interpretatio secundum aequitatem? §. X.* Quid de illo, socialiter hinc, sentiendum, §. XXIII. XXIV.
- Quid ipsius naturae? §. XI.* Cur quarum principium, quoad officia hominum, er-
- Quod duplici ratione aliquid dicatur iuris naturalis? §. XII.*
- uestigantur leges naturales*

gratia non addatur, §. XXV. Quoad officia hominis erga seipsum, §. XXVII.
Primum principium quoad officia hominis erga Deum, §. XXVI. Quoad officia hominis erga alios, §. XXVIII.

§. I.

Inter istas itaque leges, quibus regendus homo atque coercendus est, ne praecipiti impetu ruat, eminent naturales, de quibus adeo nunc vberius nobis exponendum est. Est autem lex naturae decretum Numinis, per rectam rationem hominibus innotescens, obligans eos ad faciendum vel omittendum, quod cum natura hominis conuenit, vel non conuenit.

§. II.

Dicitur *decretum Numinis*, quia a voluntate Numinis omnem obligandi vim habet. Haec autem esset, non esset lex. Utilitas, quae illam comitatur, suadet ut observetur, non obligat. Humanum imperium autem, legem naturalem, de pactis seruandis, supponit.

§. III.

Quod autem Deo summum in omnes homines imperium competat, nec ex muneris et virtutis diuinae eminentia, nec ex potentia cui resisti non potest, nec ex consensu hominum, sed ex eo probari potest, quod Deus iustas causas habeat, quare obsequium ab hominibus exigat, et quod potentia reluctantes coercendi, polleat.

Q. A.

§. IV.

§. IV.

Inter causas iustas eminet *creatio, et conserva-*
tio. Qui enim opus aliquod produxit, merito
 hoc sibi vindicat, et meritum suum, hoc est suo
 dominio, suo imperio obnoxium dicit. Ipse
 nobis libertatem dedit: eandem ergo certis
 circumscribere limitibus potest. Accedit, quod
 tantum beneficium singulis momentis itere-
 tur.

§. V.

Quod autem etiam velit hominibus obliga-
 tionem imponere, quin actu hoc fecerit, exinde
 proba, quia homini non licet esse salvo et inco-
 lumi, nisi leges naturae obseruet. Deus au-
 tem, cum summe bonus sit, vult ut homini *in-*
terne et externae beneficit. Vult ergo ut leges na-
 turae obseruet. Qui enim vult finem, vult
 etiam media.

§. VI.

Impis ergo non minus ac inepta illorum
 est sententia, qui etiam si supponatur non esse
 Deum, nihilofecius ius aliquod naturae fore,
 contendunt. Quin et ipsa iuris naturalis exi-
 stentia, hinc quoque quam luculentissime proba-
 tur.

§. VII.

Medium promulgandi hancee legem est
recta ratio, unde et *natura nota* dicitur: quo ipso
 innuitur, quod homo rationis vsu pollens, na-
 turae humanae conditionem considerando,
 facile

facile generalia iuris naturalis praecepta inde elicere possit, et insuper propensio quaedam principis practicis assentiendi omnium mentibus sit insita.

§. VIII.

Obiectum legis naturalis sunt *actiones hominum*, hactenus quidem indifferentes, sed ita tamen comparatae, ut necessario a Deo debuerint praecipere aut vetari, quia ceteroquin homo nec conservari, nec homo, id est, animal rationale esse possit.

§. IX.

Quodnam itaque inter leges naturales, et divinas positivas, intercedat discrimen, hinc luculenter patet. Illae versantur circa actus, qui necessario debuerunt praecipere aut vetari: haec circa actus, qui non necessario praecipere aut vetari debuerunt: ut nunc modum promulgandi, utrinque diversum, taceam.

§. X.

Hinc leges naturae *dispensationem* quoque non admittunt. Si enim Deus eas quoad certos actus tolleret, hoc perinde esset, ac si permitteret hominem contra naturam suam agere, hoc est, non hominem esse, quod secum pugnat. Nec *interpretatio secundum aequitatem* hic locum habet: arguit enim ignorantiam, aut negligentiam quandam, in ipso legis auctore.

§. XI.

Ut nunc intelligatur, quid *in natura* sit, ob-

Q3

feruandum, vocem *iuris* accipi vel pro *attributo actionis*, siue illa iusta sit in sensu aiente, h. e. *praecepta*, siue in sensu negante, h. e. *non illicita*: vel pro *attributo personae*, siue, pro qualitate morali actiua ex concessione superioris alicui competentis, ad aliquid ab altero homine, iuste exigendum: vel pro *lege*, aut potius complexu plurium legum, et haec significatio huius loci est: Veteres etiam *aequitatem*, item *aequitatem naturalem*, dixerunt.

§. XII.

Interim non vno modo aliquid dicitur esse *iuris naturalis*. Aliquando enim idem denotat, ac quod *iuri naturali non repugnat*: quandoque, quod *laudabilis* est: interdum *natura ipsa* quod *plurimumque sit*, significat. Alia etiam *simpliciter*, alia in *certo statu*, alia ex *hypothesi*, iuris naturalis esse dicuntur. Legum quoque naturalium haec differentia constituitur, vt aliae sint *principia*, aliae *conclusiones*: aliae *affirmatae*, aliae *negatae*: rursus aliae *praeceptivae*, aliae *permisivae*.

§. XIII.

Cottum vt leges naturales rite nobis innotescant, primum earundem inuestigandum est *principium*, quod ad legum particularium nos deducat notitiam. Hoc nomine autem intelligo principium in certo genere, hoc est iure naturae primum, seu propositionem vniuersalem et *indubitam*, ex qua ceterae propositiones

tiones omnes, rite deduci ac deriuari possunt.

§. XIV.

Vt autem variae sunt disciplinae practicae, ita varia quoque constitui possunt ac debent principia, in suo genere prima. Nimirum homo se ipsum considerans, tria in se deprehendit: primo, se multis miseriis et calamitatibus praesertim quoad mentem, obnoxium esse; deinde naturae suae non conuenire, nec conducere, vt sine lege uiuat: et denique corpus et quae huc pertinent conseruari non posse, nisi impedimenta, et quae ad eius destructionem pertinent, remoueantur.

§. XV.

Primo modo si naturam suam consideret, orietur inde ratio boni, tum in genere, tum in specie summi boni. Hinc primum principium elicitum: *illud quod omnia requirit a summi boni continet, nostrisque miseriis medetur, ut summum bonum amplectendum et consequendum esse.*

§. XVI.

Si secundo modo naturam suam consideret, enascetur inde notio legis, superioris, obligationis, et haec tandem propositio exurget: *imperanti parendum, eiusque iussis obediendum est.* Et hoc quidem est vniuersale omnis iuris principium.

§. XVII.

Si tertio modo naturam humanam spectemus,

Q 4

mus,

rous, novum inde erit ut principium practicum, ad eas disciplinas, quae de prudentia status praecipiant, sese extendens: *fac ea quae revera statum tuum conservant.*

§. XVIII.

Vniuersale autem iuris principium, in duobus iterum principia subordinata abit, quorum alterum *Deo*, alterum *hominibus imperium tenentibus*, obediendum esse praecipit. Illud tum ad leges naturales, tum ad diuinas positivas se extendit: quibus quae in specie assignantur principia, a se non aliter differre possunt, quam ut alterum connexionem naturalem, quam leges naturae cum hominis natura habent, connotet; alterum a libera Dei voluntate, eas leges perfectas esse, arguat.

§. XIX.

Primi ergo ex quo leges naturales denicari possunt, principii requisiti, vel communia sunt, scilicet quod debeat esse, verum, euidens, adaequatum, vel specialia, videlicet ut voluntatem Numinis nobis manifestet, idque per rationem, hoc est naturae humanae considerationem. Per *ultimum* a principio legum positivarum, per *speciale primum*, a ceterarum disciplinarum practicarum principis, differt.

§. XX.

Sed ratiocinatio haec circa hominem ita instituenda, ut primo homo ipse, deinde obiecta, circa quae a se non esse stupentem, consideret.

fide.

siderentur, et tandem haec inter se conferantur.

§. XXI.

Obiecta autem circa quae hominis actiones occupantur, sunt *Deus, homo ipse, et alii homines*. De brutis aliisque rebus deinceps videmus. Vulgo dicitur, hominem obligari *Deo, sibi ipsi, et aliis*: quod tamen non ita capiendum, ne facile sui obligari dicimur, obligationem nobis imponeret, aut facultatem semper haberet eam a nobis exigendi: sed *terminus* saltem ad quem actio tendit, indicatur. Inter hosce *terminos* haec est differentia, ut tantum aliis hominibus a legislatore potestas ea, quae praestare debemus, exigendi, sit concessa, idque ideo, quia hoc ad humani generis conservationem plane fuit necessarium. Deus autem tum ut legislator, tum ut *terminus* potest considerari: sed ut legislator poenas, siue in hac, siue in futura vita exigat, unde ei ut *termino* ista officia exigendi tribuere, supereritaneum esset. Sed in officio hominis erga seipsum, ista facultas plane cessat, cum ad humani generis conservationem non sit necessarius: sufficit enim sibi eiusmodi delicta, puniri.

§. XXII.

Hisce probe observatis, omnes istos frustra se torquere arbitror, qui unum aliquod principium quaerunt, quod omnia officiorum genera sub se complectatur. Namque tres sunt

Q

diversi

diuersi termini siue obiecta, ad quae actiones hominis tendunt, cum quibus, actiones hominis sunt conferendae, vnde tres iurisprudentiae naturalis partes, eisdemque principia, in suo genere prima, resultant.

§. XXIII.

Illis itaque, qui hoc effatum *socialiter viue*, pro vniuersali iuris naturalis principio venditant, suffragari nequeo. Licet enim et verum, et euidens sit, non tamen est adaequatum. Id quod illi haud dubio intellexerunt, qui vt hinc se expedirent, officia hominis erga Deum immediate ex totius iuris principio, deriuarunt: officia autem hominis erga se ipsum, huc pertinere negarunt, eo quod nemo sibi ipsi obligetur. Hoc vero falsum esse, ex supra dictis patet. Namque vt aliquis sibi obligetur, non necesse est, vt facultas quoque officia exigendi, illi tribuatur.

§. XXIV.

Sane veteres, vt et nonnulli recentiorum, dum socialitatem iurisprudentiae naturalis fontem constituerunt, nihil aliud in animo mihi habuisse videntur, quam vnara saltem iurisprudentiae naturalis partem, quae scilicet de officii hominis erga alios exponit. Idemque mi fallor inuouit, qui ius naturae in *diuinum* et *humanum* diuidunt, per illud eam partem quae de officii hominis erga Deum praecipit, per hanc, officia hominis erga alios, intel-
ligen-

ligentes: quos inter et Guilielmus Grotius est. Saltem officia hominis erga se ipsum, negligunt.

§. XXV.

Quod ad *bruta*, ceterasque res creatas attinet; eas a benignissimo Numine homini concessas esse, ut iis uteretur, constat. Hinc per se peculiare officiorum humanorum obiectum non constituunt. Interim homines iis abutendo, erga se ipsos peccare possunt. *Affectus* et animi propositum, non *effectus*, in hisce actionibus illicitus est.

§. XXVI.

In prima ergo iurisprudentiae naturalis parte, non aliud principium primum agnosco, quam istud: *Deum cole*. Consistit autem cultus Dei in *amore Dei*. Amandum esse Deum video, quia summe bonus est. Eum hoc velle, intelligo, quia hominibus voluntatem dedit, quae in summi cuiusdam boni amorem fertur. Idem principium et evidens, et adaequatum esse, res ipsa deinceps docebit.

§. XXVII.

Altera iurisprudentiae naturalis pars, leges suas rite derivabit ex hocce principio: *temperanter vive*. Hoc ipso ordinatus omnium rerum, quae extra nos positae sunt, usus indicatur. Sine eo hominem non posse conservari, experientia docet. Deus autem cum vult, ut homo se conservet, ordinatum earum rerum

rum quae huc pertinent, usum, iubet. De ce-
teris requisitis, nulla his est.

§. XXVIII.

In tertia denique parte militat illud: *socialiter*
vivo. Veritatem huius principii probe, primo,
quia rationis usus maxime socialiter viuendo so-
cietate exerit: deinde, quia loquela hunc in finem ho-
mini data videtur: porro, quis extra societatem
omnem homo maxime miser futurus esset: quod
eo luculentius patet, si homo in statu naturali
consideretur: et denique, quia homini ab ho-
mine maximum praesidium petitur, sed et ma-
ximum periculum imminet. Si ergo feliciter et
bene viuere cupimus, necesse est ut viuamus so-
cialiter, et ita nos geramus, ne offendamus alios.
Hoc Deus etiam iubet, cum homini aliter saluo
esse non liceat. Euidens, et quoad hanc par-
tem, adequatum esse hocce principium, omnes
agnoscunt.

SECT. II.

de

OFFICII HOMINIS ERGA DEVM.

Σύνοψις.

Esse Deum, probatur, §. I. II.

*Quo pacto essentia eius inue-
stiganda, §. III.*

*Attributa quae Deo cum
omnibus entibus sunt
communis, §. IV.*

*quas spectatim cum spiriti-
bus ei communia sunt, §.
V. VI.*

Attributa Dei propria, §. VII.

Quid itaque sit Deus? §. VIII.

*Attributa eius operatiua, §.
Creatio, §. X. [IX.*

Et pro-

Et providentia divina. §. XI. De cultu Hominis externo
Cultus Dei consistit in eius a- *quid observandum? §. XV.*
more, §. XII. An certum tempus cultui di-
Cuius varias sunt species? §. nino consecrandum sit?
XIII. item de sacrificiis, §. XVI.
Quid prout et gratiarum a- *Virtutes hinc fluentes, §.*
ctio, §. XIV. XVII.

§. I.

Ipsas itaque ut nunc edifferamus leges natura-
 les, secundum triplex, circa quod versantur
 obiectum, initium merito facimus a cultu Dei.
 Deum vero cum nemo colere possit, nisi sciat,
 an, et quid Deus sit; paucis, quid ratio hac de
 re doceat, exponendum est. Esse Deum, pri-
 mo probo ex notitia Dei omnium hominum cor-
 dibus insita: hoc est, potentia propinqua, pro-
 positioni huic, *Deus est*, assentiendi. Hanc
 omnium gentium consensus arguit. Huc etiam
anticipatio Epicuri pertinet.

§. II.

Idem demonstro posteriori, tum ex prou-
 da quae undique conspicitur rerum guberna-
 tione, tum ex ordine et pulchritudine huius
 universi, et aptissima rerum singularum stru-
 ctura. Hinc liquido constat, non casu, sed a
 causa quaedam sapienter omnia dirigente, haec
 provenire. Hanc si naturam dicas, nubes et
 strania prestat. Quid enim est natura? unde
 ista vi pollet? Deveniendum tandem ad primam
 causam, quae profecto alia esse nequit, quam
 ipse Deus.

§. III.

§. III.

In essentia Dei indaganda, ad ductum rectae rationis ita procedo: considerando rerum *vniversitatem* primo deprehendo, omnia entia in quibusdam attributis conuenire, vt in *vnitate, veritate, bonitate*. Deus itaque cum *em* sit, existit enim, necesse est, vt itidem hisce attributis gaudeat, sed modo longe perfectiori, cum ceterorum entium sit causa.

§. IV.

Quod ad vnitatem autem attinet, *est* essentia diuina, non vna ratione a nobis concipiatur: in se tamen vna est et indiuisa, non quidem *specificata*, sed *numerica vnitate*; nec non *indiuisibiliter* et *incommunicabiliter*, in ordine ad plures numero essentias: idque tum ob *intrinsicam essendi necessitatem*, tum ob summam *perfectionem et independenciam*.

§. V.

Entium vero duae classes sunt, quarum vna *corpora*, altera *spiritus* complectitur. Ad priorem Deum referri non posse, ex eo intelligitur, quia spiritus perfectior est corpore: imperfectius autem Deo tribuere, absolum est.

§. VI.

Spiritus est substantia cogitans, hoc est, *intelligens et volens*: ergo et Deo *intellectus et voluntas*, sed modo longe perfectiori tribuitur. Idem et de ceteris, quae sua sponte hinc fluunt, attributis: *immuabilitate, immortalitate, et simplicitate*, est censendum.

§. VII.

§. VII.

Nunc videndum in quo a ceteris entibus omnibus differat. Hoc autem illud est, quod sit *independens*; idque ideo, quia est causa prima ceterorum entium omnium. Ergo etiam est *infinisus*. Quod enim terminos essentiae suae habet, id circumscriptum iis est, ab eo, a quo *pendet*, qui certum gradum entis, certamque mensuram perfectionis, illi dedit. Qui autem inbitus est ratione essentiae, infinitus etiam est ratione spatii, hoc est, *immensus*, et ratione durationis, hoc est, *aeternus*. Voces autem quae in Deo imperfectionem negant, hoc ipso ineffabilem perfectionem in eo arguunt.

§. VIII.

Atque ita intelligitur quo pacto Deus dicatur *Spiritus independens*. *Spiritus* enim voce attributa *primi et secundi ordinis*, altera autem, attributa *tertii ordinis* denotantur.

§. IX.

De operationibus diuinis ita cenleo; videmus effectus, modum ignoramus. Interim effectum eum similibus hominum effectibus comparantes, modum agendi in Deo, remota omni imperfectione ita concipimus, prout in hominibus se habet. Huc pertinent *attributa*, quae vocantur *operatiua, iustitia, omnipotentia, omniscientia, amor, misericordia, veracitas, omnipraesentia etc.*

§. X.

Ex hisce attributis *operatiuis* fluunt *opera Dei*, hoc

hoc est operationes cum ipso effectu considera-
 tas, quas inter eminent *creatio*, et *providentia*
 diuina. Mundum creatum a Deo esse probo,
 quia a natura eius, quod causam habet, abhor-
 ret, aeternum esse. Accedunt argumenta a po-
 steriiori, artium inuentio, generis humani mul-
 tiplicatio, etc.

§. XI.

Per prouidentiam Deus res creatas *conseruas*,
manet, *gubernet*. Hanc euincit tum Numinis
 potentia, sapientia, bonitas, tum rei creatae
 natura, quae ut se creare non potuit, ita nec con-
 seruare potest, denique ordo constans et peren-
 nis causarum et effectuum.

§. XII.

Iam ad cultum Numinis accedimus. Eum
 dignum esse, qui colatur, natura eius praestan-
 tissima euincit. Eum hoc velle, supra proba-
 tum est. Absoluitur autem omnis cultus Dei
 amore eius: qui hic ita consideratur, prout in-
 tet officia est. Ad eum excitandum sufficit,
 quod Deus ipsa bonitas, omniumque hono-
 rum, quae homini contingunt, auctor sit. Hinc
 verò etiam sequitur: Deum supra omnia amari-
 dum: eum propter se ipsam esse attendendum
 quin hominum esse, ut Deum magis, quam se
 ipsos ament.

§. XIII.

Amorem Dei alium esse *amicitiae*, alium *ob-*
edienciae, alium *sancupiscenciae* in prima parte ob-
 ser-
 uat.

cuius. Ille, si accedat deuota existimatio
 summae praestantiae et perfectionis, qua Deus
 pollet, *veneratio* dicitur. Illa progignit *timorem*
 Numinis, quatenus relatio ad iustitiam et
 potentiam Numinis accedit. Hic cum simula
 malis, quae nos premunt, liberari cupimus,
 sed ita vt diuinae voluntati nos submittamus, pro-
 ducit *spem, fiduciam, et acquiescentiam* in volun-
 tate Dei.

§. XIV.

Si ad actum amoris accedat peculiaris actus
 intellectus, super bono cuius indigi sumus,
 vocatur *precatio interna*. Ea enim nihil aliud
 est, quam volitio futuri, ad Deum directa,
 Mentis autem ad Deum directio ob bonum a-
 liquod, quod ab eodem accepimus, et quo fa-
 uorem eius extollimus, vocatur *gratiarum actio*.
 Hae cogitationes vt verbis proferantur, non
 videntur necesse esse, cum Deus intimos mentis
 recessus exploratos habeat: nihilotenus saepius
 expedit, mentis conceptus certis alligari verbis.
 Hinc vero et precum conditiones, legesque, in-
 telliguntur, quarum summa huc redit: *ita pre-
 candum esse, vt summus Numinis amor exigit.*

§. XV.

Non minus autem et externis factis hunc
 amorem Numinis testari decet, si scilicet aut
 necessitas quaedam, aut aliorum salus hoc exi-
 gat. Hinc *cultus Numinis externus* fluit. Sum-

ma eius huc redit: *nihil loquendum, nihil faciendum esse, quodcum amore Dei aut directe aut indirecte pugnet.*

§. XVI.

Ratio quoque dicitur, certum tempus beneficiis diuinis expendendis consecrandum esse, ut mens a seculi rebus paulisper teuoceatur, ne sis immersa penitus, Numinisque immemor, citatis in praeceptis eat gradibus. Certe amare Deum nequit, qui nunquam serio de eo cogitat, quod fieri nequit, si aliis negotiis mens intenta est. Ast sacrificiis Deum colendum esse, quo pacto ex ratione probari possit, non video.

§. XVII.

Reuocanda nunc haec officia ad certas *virtutes* sunt. Unica quidem virtus est: haec tamen quatenus circa Numinis sensum et cultum versatur, vocatur *pietas*. Tot eius species sunt, quot cultus diuini partes. Sic alia erit *intellectus*, alia *voluntatis*, et haec iterum vel *interna*, vel *externa*, etc. Proprietates quoque virtutis, ut ad singulas virtutes applicari possunt, id quod semel hic monuisse sufficiat, ita et in pietate locum inueniunt, possetque adeo *diligentia sacra*, *obediencia sacra* etc. constitui.

SECT. III.

de

OFFICIIS HŌMINIS ERGA SEIPSVM.

Σύνοψις.

*Quod homo obligatus sit, & se
se rite conservet, §. I. II.
Id quod probatur ex amore
Dei, §. III.*

*Ordo, quem in sui conserva-
tione tenere debet, quo
pactis investigandus, §. IV.*

*Officia hominis circa mem-
brum eiusque facultates, §.
V.*

*Circa corpus, §. VI.
Speciatim circa passus et ve-
neris usum, §. VII.*

*Quod impuritates quæcum-
que illicitæ sint, §. VIII.*

Officia hominis circa regi-

*men, sensuum, exterio-
rum, §. IX.*

*circa vitam futuram, §. X. XI.
An conservatio sui vitæ
licita sit? §. XII.*

*Quomodo se excendat? §. XIII.
Quid pro membris, rebus,
pudicitia, honore, licita sit?
§. XIV.*

*De iure et favore necessitatis
quid generatim consen-
sendum? §. XV. XVI.*

*Hinc definitur quid in re
alterius nobis liceat, §.
XVII, XVIII.*

*Virtutes hinc fluens, §.
XIX.*

§. I.

ERga seipsum homo ex præscripto legis naturalis ita se gerere debet, ut rebus, quibus ad sui conservationem indiget, ordinatus utatur.

§. II.

Licet autem homo magno impetu ad sui conservationem feratur, obligatione tamen opus fuit, tum quia aliquando eum cupidus se destruenti incedere potest, tum quia homines ut plurimum mediis, quibus se conservare possunt, aliter utuntur, ac iis uti debent.

R 2

§. III.

§. III.

Velle autem Deum, vt homo vitam conseruet, exinde probo, quia vita est fundamentum *omnis felicitatis humanae.* Deus ergo, cum vult vt homini bene sit, vult etiam, vt viuat. Accedit, quod homo vitam sibi non dederit, ergo eandem pro lubitu, dimittere nequit. Quod si autem aliquis ea agat, quae officii, et stationis, in qua summo imperante, ipseque adeo Deo collocatus est, ratio postulat, indeque vitae finis acceleretur, hoc quidem iussu ipsius Dei fieri censendum est, adeoque ab omni *atroxestias* crimine, merito absolvitur.

§. IV.

Vt autem ordinem edoceamur, obseruandum, praeter vitam totius compositi, in homine esse vitam *racionalem, sensitiuam, vegetatiuam,* et vnam altera esse praestantiorē. Hinc regula generalis: *conseruatio vitae praestantioris praefenda est conseruationi vitae minus praestantis.*

§. V.

Vita hominis praestantissima, rationalis, conseruatur, si mens a variis morbis, qui eam affligunt, liberetur: quod fit per *notitiam Dei, sui ipsius,* ceteraque media, quae Ethica praescribit. Vnde et sequitur, grauissimis peccatis, qui singulis mentis facultatibus ita vtuntur, vt mentis humanae miseria inde augeatur. *Sic ratione intellectus peccant, qui cum ab erroribus*

ribus non liberant, pro status et conditionis suae ratione in veritatem non inquirunt, praecudicia non exuunt, conscientiae nullam curam gerunt: ratione *imaginationis*, qui iustos illi non statuunt limites: ratione *voluntatis*, qui a praavis propensionibus eam non purgant: ratione *affectuum*, qui habenas illis laxant, eosque rationis praescriptum migrare patiuntur.

§. VI.

Corporis conseruatio cum ad conseruationem totius hominis pertineat, neutiquam negligenda est, mentis tamen conseruationi postponenda, cum mens corpore multum sit nobilior. Sed in corpore rursus conseruatio vitae sensitivae, praeferenda est conseruationi vitae vegetativae, nisi eius destructio ad destructionem totius compositi tendat. *Totius compositi* enim conseruatio praeferenda est conseruationi *partis*, et adeo *vita sanitati*, *sanitas iacturae membri*.

§. VII.

Ad vitae vegetativae conseruationem immediate, sed mediate ad conseruationem totius compositi, pertinent *passus* et *venus*, quibus natura voluptatem comitem dedit, ut animal ad sui generisque sui conseruationem, tanto acrius extimularetur. Ergo non alium in finem *passu* et *venere* utendum: multo minus ita illis utendum, ut vita hominis nobilissima inde detrimentum capiat.

§. VIII.

Peccant itaque qui ideo edunt, aut bibunt, aut veneri operantur, ut inde voluptatem capiant: in specie *scortationem*, quae voluptatis causa peragitur, *sodomiam*, et omnem seminis profusionem, ex qua homo generari nequit: contra ius naturae esse patet. Accedit etiam quod semen sit pars corporis humani longe praestantissima, novae menti hospitium praebitura, quod adeo pro lubitu profundere aut perdere, neutiquam in hominis positum est arbitrio.

§. IX.

Ceterum ut omnium *sensuum externorum* visus, si obiectum illis conveniens adsit, corpus voluptate quadam perfundit, quae cum a natura sit, non plane est fugienda, ita ut hic quoque ordo observetur, primo rebus sensibus gratis, ita utendum, ne corpori noceant, sed ut iis conservetur, ut homo ad cetera officia promptior reddatur; deinde, cum primis ita iis utendum, ut mentis felicitas et sanitas, iis non impediatur, sed promoveatur potius. Documentum Musica esse potest.

§. X.

Ceterum ad totius hominis conservationem pertinent etiam *bona fortunae*: haec itaque ut homo acquirat, ut honestum vitae genus eligeret, bonis artibus animum corpusque erudit, et, confirmationem suam tueatur, necesse est. Cum-

Cum primis autem indolem suam vnusquisque exploret, dispiciatque, ad quodnam vitæ genus, hæc apta sit,

§. XI.

Sed cum fortunæ munere sæpius non tam ad esse quam ad bene esse, aliquid conferant, comparanda quidem sunt, aut non cum vitæ ad sanitatis dispendio, quin potius expendendum, naturam paucis esse contentam: adeoque, iis quantum naturæ nostræ ratio postulat vtendum: præterea iis aliis quoque, quod suo loco demonstrabitur, inserviendum esse. Quod si fortuna præter culpam nostram, sua munera nobis denegat, fortiter ferenda est: idque ideo quia animum abiiciendo plus nobis nocemus; unde et desperatio contra officium est: deinde quia comuni omnium hominum forti quisque se submittere debet, et denique quia Numine ita dirigente, hæc ad nostram salutem cedunt.

§. XII.

Dispiciendum nunc quid ius fasque sit, si lex nostri conseruationem iubens, cum lege alterum lædendum vetante, concurrat. Certe cum iniustus æque homo sit, ac iniudens; nullam video rationem, quare illo huic potius, quam suam vitam conseruare debeat. Cessat ergo ibi obligatio legis, alterum lædendum vetantis, idque non ob delictum iniudentis, sed quod Deus neutiquam præsumatur homi-

R 4

nem:

nem obligare voluisse, ad ea, quasi communis omnium rem inkindui, repugnabit: hinc et licita saltem est violenta defensio, non autem *praecepta*.

§. XIII.

Sed seorsum res habet, si per violentiam defensionem plures laedantur. *Plurimum* vitae praeponderat vitae *unius*. Summo ergo imprudenti, aut qui eius vices gerunt, resistere nefas. Totum enim hinc turbatur societas. Praeterea, in statu civili (de naturali enim alibi dicitur) tunc demum violenta defensio licita est, cum iudicis cessant, et iactura rei est irreparabilis. Unde et termini defensionis *in quo et ad quem*, diiudicari possunt.

§. XIV.

Non tantum pro *vita*, sed et *membrorum involuntate* talem defensionem recte suscipi nullus dubito. Nec enim, qui in eo rerum articulo sunt constituti, quodnam inuadentis sit consilium, et quae qualisue membrorum iactura futura sit, scire possunt. Pro *rebus* tunc demum licite hoc fieri puto, si nihil amplius unde viuentis, nobis suppetat. *Pudicitia* autem, cum penitquam vitae hominis sit aequiparanda, mea opinione, violenter defendi nequit. De *bono*, ceterisque rebus, quae ex hominum opinione pendunt, idem statuo.

§. XV.

Sed de *uniuerso* iure, et: *favore necessitatis*
ita

ita censeo, si necessitas *incolumitatis* adsit, dispiciendum sintne leges *humanae*, an *divinae*, quae nostrae conseruationi aduersantur. De illis res dubio caret, nisi expellum imperantis mandatum obstat: solent enim ferri cum sensu humanae imbecillitatis. Hae autem vel officia erga Deum, vel erga alios praecipunt: et priores vel affirmatiuae sunt, vel negatiuae. Illae necessitati cedunt: requirunt enim, vt seruari possint, *occasionem*: haec non item, cum intentioni legislatoris hoc e diametro aduersetur.

§. XVI.

Quae alios homines respiciunt, rursus vel praecipunt aliquid, vel vetant. De illis itidem nullus est. In his autem considerandum, an necessitas originem a Deo habeat, an autem a malitia aliorum *hominum*: et si hoc sit, an illis constitutum sit nos priuare *vita*, an vero, nos eo adigere velint, vt legem migremus. Si nos interficere velint, non video quid obstat, quo minus vsurpare media queamus nos conseruandi, quae instinctus naturalis nobis suppeditat. Saltem non videtur Deus velle, vt hominibus improbis liceat leges suas in nequitiae instrumenta conuertere: at si eo tendant, vt ad migrandam legem nos adigant, et ad hoc medium nobis suppeditent, mors praefenda est vitae: Directe enim hoc pertinet ad Naturae contemptum. Si denique necessitas Deum habeat auctorem, medium quod natura

R 5

sup.

suppeditat, rite adhibebitur, cum Deus hoc ipso non offendatur.

§. XVII.

Variae, quae moueri solent quaestiones, hinc facile diiudicantur. Documento fit, quod omnino vigente summa necessitate *res alterius*, inuito domino, si is subuenire miseris possit, et imploratus licet, renuat, auferri possint. Si enim necessitas ius in vitam alterius dat, quidam etiam in bona daret? Accedit, quod ad succurrendum miseris locupletior obligatus fit, et quidem, in casu necessitatis, perfecte. Taceo quod natura domini hoc requirat.

§. XVIII.

Ex eadem ratione *perdere res alienas licet*, si scilicet, praeter nostram culpam *res nostrae* in eum statum fuerint adductae, et si alia ratione seruari nequeant, obseruata tamen pretii proportione, et ut si alias periturae non fuissent, aestimationem, aut soli, aut pro rata parte, praestemus.

§. XIX.

Virtus quae ex hisce officiis efflorescit, vocatur *temperantia*, hoc est, studium ad ductum rectae rationis se conseruandi. Latioris vocis significatum, vsus veterum probat. Iuxta haecenus dicta autem alia erit temperantiae intellectus, in rebus cognoscendis, aut diiudicandis, alia conscientiae, alia imaginationis, alia voluntatis, et affectuum, alia corporis etc. Et

COR-

corporis quidem temperantia, quae cibo potu-
 que recte vitur, vocatur *sobrietas*, quae veneri
 leges dat, *castitas*, quae opes rite dispensat, *fruga-*
litas, quae honores, *modestia*. Quod si res ad-
 uersae ingruant, *fortitudine* opus est, quam omni-
 no pro specie temperantiae habeo, cuius duae
 rursus filiae sunt, *patientia* et *fortitudo* stricte sic
 dicta: illa respicit aduersa quae incumbunt, haec,
 quae imminet.

SECT. IV.

de

OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS, ET
 QUIDEM ABSOLVTIS, QVAE OBLIGA-
 TIONEM PERFECTAM HA-
 BENT.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

<i>Officia erga alios quotupli-</i> <i>cia sint? §. I.</i>	<i>De erroribus ac dolo, §. XI.</i>
<i>Primum est: neminem lae-</i> <i>de, §. II.</i>	<i>De coactione et metu, §. XII.</i>
<i>De damni dati restitutione,</i> <i>§. III. IV.</i>	<i>Effectus et materia passio-</i> <i>rum, §. XIII.</i>
<i>Quotuplici rationi ea fiat §.</i> <i>V.</i>	<i>Conditioes, §. XIV.</i>
<i>Quid praeterea ab eo qui</i> <i>laesi, requiratur? §. VI.</i>	<i>Intermuncii, §. XV.</i>
<i>De aequalitate omnium ho-</i> <i>minum agnoscenda, §. VII.</i>	<i>De passionum interpretatio-</i> <i>ne, §. XVI.</i>
<i>De pactis seruandis, §. VIII.</i>	<i>Interpretatio quid? et quo-</i> <i>tuplex? §. XVII.</i>
<i>Cur pacta vim obligandi ha-</i> <i>beant, §. IX.</i>	<i>Regulae interpretationis de-</i> <i>claratissimae, quae ex ma-</i> <i>trix a sermone fluunt, §.</i> <i>XVIII.</i>
<i>De consensu eiusque impedi-</i> <i>mentis, §. X.</i>	<i>quae ex coniecturis origi-</i> <i>nibus ducunt, §. XIX.</i>
	<i>quod ista ad omnem obsecra-</i> <i>tionem</i>

ratem tollendam suffici-
ant, §. XX.

De interpretatione exten-
siva, §. XXI.

De restrictiva, §. XXII.

Quod restrictiva interpre-
tatione opus sit, si duae lo-

ges secum pugnare videntur,
§. XXIII. XXIV.

Regulae de favorabilibus &
odiosis veniuntur, §. XXV.

Virtutes hinc fluentes, §.
XXVI. XXVII.

§. I.

Quoad officia hominis erga alios ratio dicti-
tat: *socialiter esse viuendam* Non sunt
autem haec officia vnus generis: alia enim sunt
quae inter homines quatenus *aequales* sunt, ob-
seruanda veniunt: alia autem quae *inaequalita-*
tem obstatum, supponunt: illa rursus vel *absol-*
ute ad vitam socialem sunt necessaria, vt adeo
perfecte ad ea praestanda homo obligetur: vel
ita comparata sunt vt subsistere quidem sine iis
vteunque vita socialis, sed non *commode* possit,
adeoque obligationem *imperfectam* secum ve-
hant. Officia ad quae perfecte obligamur, vel
certum *institutum* praesupponunt, vel non praesupponunt: illa *absoluta*, haec *hypothetica* vo-
cantur.

§. II.

Inter absoluta primum locum tenet illud
neminem laedere. Hoc ad vitam socialem abso-
lute necessarium est. Laeditur autem aliquis
in corpore, per eandem, velle scilicet, in *bona*,
per rapinam, furtum, fraudem, corruptionem,
huc etiam pertinent fructus, cum percepti, cum
certo percipiendi, in *iurijs*, dum intercipiuntur,

tur, aut non redduntur, quae perfecte debentur: in *fama per calumnias* etc. imo etiam in *mente*, si alter ad mentem corrigendam perfecte fuerit obligatus. Laesio in bonis, a nonnullis *damnum* dicitur.

§. III.

Qui autem alterum laesit, ad *restitutionem* tenetur. Frustra ceteroquin laesionem lex naturae prohiberet. Tenetur autem laedens, siue *per se* siue *per alios* laeserit, idque eatenus, quatenus effectus illi imputari potest. Hoc autem ex iis quae de causa morali diximus, intelligitur. Ordo etiam, quo tenentur, si plures laeserint, hinc recte diiudicatur. Ast si quaeratur, in quantum quisque teneatur, obseruandum, quod in *indiuuis* actibus, singuli tenentur in solidum: in *diuuis* in tantum quisque tenetur, in quantum laesit: nisi per *conspirationem* facinus aliquod patrauerint, ibi enim omnes pro singulis, et singuli pro omnibus, tenentur. Haec ex natura imputationis fluunt.

§. IV.

Quid de *casu fortuito*, damnoque per *culpam* dato, sentiendum sit, ex supra dictis liquet. Si autem *seruus*, aut *animal* nostrum citra nostram culpam damnum dederit, saltem non impedire tenemur, quo minus laesus reparacionem consequatur, etsi exinde incommodum in nos redundet, cum ex iisdem commodum capiamus.

§. V.

§. V.

Fit autem reparatio, si res corrupta vel ablata restituatur, aut si hoc fieri nequeat, aestimatio tum rei, tum fructuum eius praestetur.

§. VI.

Ceterum ad vitam socialem non sufficit, si quis per malitiam laesit, ut reparationem ultro offerat, sed necesse quoque est, ut se facti poenitere testetur, et ut si laesus hoc exigat, eius securitati consulat: laesi autem est, veniam dare laedenti, et cum ipso redire in gratiam. Qui per culpam laesit, itidem offerre reparationem, testarique debet, omnem malitiam abfuisse.

§. VII.

Alterum officium absolutum, et cum perfecta obligatione coniunctum hoc est: *quibus alterum natura sibi aequalem agnoscat*. Idque primo quia omnes eiusdem naturae sunt participes, deinde, iisdem legibus naturalibus obligantur; omnes etiam citra antegressum pactum, aut societatem specialem, aequae liberi sunt. Necesse itaque est, ut quisque alterum aequali iure frui patiatur; ut qui aliorum operibus ad suum commodum uti vult, idem illis praestare non recuset; ut qui aliquid inter aequales distribuere debet, neutri prae altero indulgeat.

§. VIII.

Terium officium absolutum, quod obligationem perfectam habet, hoc est: *pacta servanda*.

da esse. Est autem pactum consensus duorum pluriumve in idem placitum. Quod ipso a *promissione perfecta*, multo magis autem a *simplici assertionem*, et *promissione imperfecta*, discernitur. In promissionibus enim fides datur per actum solitarium: interim in iis etiam acceptatio requiritur, cum invito nullum ius acquiratur, nisi rogatio praecesserit, eique oblatio respondeat.

§. IX.

Ceterum voluit Deus ut pacta feruentur, cum ceteroquin socialitas salva esse nequeat: et pacta unicuique sint medium ea acquirendi, quibus indigemus, si alii sua sponte ea nobis praestare nolint. Falluntur ergo, qui pacta naturaliter nullam vim obligandi habere contendunt: cuius erroris perperam accusatur Connanus.

§. X.

Consensus qui ad pacta requiritur, declaratur per *signa*, verba, facta, gestus etc. quin & per *silentium* cum certis circumstantiis consideratum, unde *consensus tacitus*: quem autem nonnulli, *praesumptum* vocant, improprie consensus est, et aequitate nititur. Idem impeditur partim *ratione intellectus*, partim *ratione voluntatis*. *Ratione intellectus* per *aetatem*, si usus rationis nondum adsit; per *furor*, si quis usum rationis amisserit; per *ebrietatem*, et denique per *erorem*.

§. XI.

§. XI.

Et error quidem vt consensum impedit, ita et pactum irritum reddit, sed tum demum, si circa essentiam rei, aut eius qualitatis, de qua paciscendo potissimum actum, fuerit commissus. Si ex negligentia aut praecipitantia paciscentis fuerit profectus, obligatus erit ad satisfactionem damni ex pacto irritato illati. Dolus paciscentis pactum plane irritum reddit: tertii, non item, vt ut ad damnum datum restituendum sit obligatus.

§. XII.

Ratione voluntatis oritur impedimentum et coactione et metu. Metus, hoc est terror animi, nisi ita vehemens fuerit, vt omnem rationis excusserit vsum, pactum per se non reddit irritum. Adest enim etiam in metu aliquis consensus. Quod si autem fuerit iniustus, pactum irritum reddit, non ob defectum consensus, sed et quia incutiens istum, non habet ius promissum acceptandi.

§. XIII.

Effectus pactorum est *translatio iuris*: vnde et sequitur, quod materia pactorum, physice et moraliter *possibilis* esse debeat: cum ceteroquin solus consensus nullam ius transferre possit. Vt ergo pacta super rebus turpibus irrita sunt: ita si quis ex pacto turpia fecerit, alter ad fidem seruandam non est obstrictus. Accedit, quod quae causa haec pacta irrita reddit,

reddit, eadem quoque alterum onere fidem datam seruandi, liberet. Merces autem pro re turpi data, nisi enormis accesserit laesio, repeti nequit, quia etiam ubi gratis datur, repetitio cessat. Sed et quousque super rebus et actionibus nostris aut alienis, pacisci queamus, ex haecenus dictis liquet.

§. XIV.

Conditiones quae pactis et promissis adiiciuntur, vel *possibiles* sunt, vel *impossibiles*: et haec iterum, vel *potestativae*, vel *causales*, vel *mixtae*. Impossibiles, pacta irita faciunt. Tempus et locus iridem certo modo ad conditiones pertinent, *Huius* adiectio tantum supponit temporis, donec possit peruenire in locum, in quo promissio exsoluenda: *illius*, efficit, ut nisi praestituta die, promissio non possit exigi.

§. XV.

Internunciis qui aliquando adhibentur, mandatum aut *generale*, aut *speciale* dari solet. Si fines mandati migrauerint, mandans non obligatur. Sed distinguendum hic inter internuncium in quo *usus iudicii*, et eum, in quo *ministerium corporale* tantum, requiritur. Hinc multae quaestiones diiudicari possunt. Quoad acceptationem autem, ad *consensum*, eiusque *complementum*, et *propositum* promittentis, diligenter est attendendum.

§. XVI.

Ceterum cum consensus per *signa*, inter quae
§ verba,

verba tum ore prolata, tum *scriptio* consignata eminent, edatur: et vero saepe contingat, ut verba obscuritate quadam laborent: siue haec a *figura externa*, siue ab *interno* eorum sensu proueniat, licet hic potissimum attendatur: omnino quo pacto interpretanda sint, paucis edisserendum est: qua occasione in genere de humanae voluntatis interpretatione, aliquid delibabimus.

§. XVII.

Est autem interpretatio, signorum, praecipue verborum, quibus alter ad mentem suam declarandam usus est, accurata explicatio, ut quid voluerit, clare intelligatur: restque vel *declaratiua*, vel *extensiuu* vel *restrictiuu*. Ratio diuersitatis, ex diuerso modo loquendi, et verba conceptibus nostris accommodandi, petenda est.

§. XVIII.

Ad *declaratiuam* interpretationem, requiritur cognitio linguae, et terminorum artis, quin et si obscuritas a figura externa proueniat, scripturae, signorum, notarum, et characterum quibus aut typographi, aut scribae utuntur: praesertim autem vocabulorum, tum antiquorum, tum recentiorum etc. Huc etiam duae istae regulae generales pertinent: *verba regulariter ex usu et proprietate populari intelligenda sunt: verba artis explicanda sunt secundum definitiones praedictarum cuiusque artis.*

§. XIX.

§. XIX.

Si ita parum proficiatur, consideranda est natura et indoles ipsius negotii: tum expendenda sunt coniuncta, tum *origine*, tum *loco*: effectus etiam pacti aut legis non negligendus: nec affectus aut conditio loquentis: cum primis autem ratio legis, aut pacti, sedulo ponderanda. Atque hinc regulae istae speciales fluunt: *verba sunt intelligenda secundum substratam materiam: obscurae locutiones explicandae sunt ex eiusdem auctoris loco planiori, licet alio tempore et loco prolato, nisi manifesto adpareat, ipsum sententiam mutasse: it. ad antecedentia et consequentia sedulo est attendendum: si verba nude et simpliciter accepta vel nullum, vel absurdum aliquem effectum, post se essent tractura, e. g. si cum lege diuina aut humana pugnarent, a receptiori sensu paulisper est desistendum: sermo obscurus ita interpretandus est, prout affectui loquentis, item dignitati et conditioni tum ipsius, tum eius ad quem loquitur, est conueniens? illa interpretatio quae rationi legis aut pacti est conueniens, est sequenda: reiicienda autem, quae ei repugnat.*

§. XX.

Et istae quidem regulae, maxime coniunctim sumptae, sufficiunt, ad obscuritatem verborum tollendam, siue haec ex verbis obsoletis, siue recens confictis, siue peregrinis, siue ambiguis, siue sermone perplexo, siue denique ex duarum orationum contrarietate et pugna, oriatur. Quia et aliquando ad obscuri-

tatem, quae a figura externa prouenit, tollendam conducunt.

§. XXI.

In interpretatione *extensiva* ex regulis antea allatis vnica saltem praecipue militat, quae scilicet ad rationem legis, aut pacti, attendere iubet. *Verba itaque legis aut pacti tum extendenda sunt, quando ratio legis, aut pacti, est latior verbis legis aut pacti.* Vbi enim eadem est ratio, eadem etiam est iuris dispositio. Quae quidem regula tum in affirmatiuis, tum negatiuis legibus procedit: in his tamen vsum insignem praebet, ad fraudes, quae ad declinandam legis obligationem excogitari solent, eludendas. Harum cauillationum quatuor afferuntur species; cum fit commutatio rerum; cum fit commutatio personarum; cum fit commutatio contractuum; et cum modus contrahendi mutatur.

§. XXII.

In interpretatione *restrictiva* ceterae quoque regulae, quae in declaratiua militant, locum habent. Sic restringenda verba esse, ex legis aut pacti *materia substrata* colligitur, vtpote quae semper intelligenda est animo loquentis obuersari, etsi verba videantur latius patere; item ex effectu, si absurdus, aut iniquus ex verbis latioribus sequatur, quia nemo mentis compos absurda, aut yana, aut sibi molesta, voluisse censendus est, etc. Huc pertinet etiam

inter-

interpretatio secundum aequitatem. De *ratione legis* autem obseruandum : si in vniuersum, quoad actum et potentiam cesset, nec voluntas legislatoris, alio modo declarata, obstet, tunc cessare legem ipsam.

§. XXIII.

Cum primis autem restrictius interpretatio adhibenda est, si duae leges concurrant, quae etsi directe secum non pugnent, propter certam tamen temporis-circumstantiam, simul obseruari nequeant. Ex quibus vt ista praeferratur, quae arctius obligat, rationi est consentaneum.

§. XXIV.

Hinc regulae istae speciales, quae passim circumferuntur, facile deduci possunt: *permissio cedit ei quod iubetur, aut vetatur: ex affirmatiua negatiuae: quod faciendum est certo tempore, praefertur ei, quod quouis tempore fieri potest: obligatio imperfecta cedit perfectae; recentior antiquiori; simplex, etiam antiquior, duplici; lex beneficentiae legi gratitudinis: magis obligati sumus ei qui arctiori vinculo nobis est coniunctus, et vice versa: leges imperantis inferioris, cedunt legibus superioris; generales, specialibus; illa quae causas magis honestas aut utiles habet, praefertur ei qua causas minus honestas, minusque utiles habet, etc.*

XXV.

Solent etiam *favorabilia* ab *odiosis* discerni, et hinc variae regulae et in extensiuam, et restrictiuam interpretatione, elici: sed cum non semper

quid favorabile, quid odiosum sit pateat, et praeterea omnia ex haecenus allatis regulis expediri possint, illis subscribo, qui illas regulas non adeo magnum secum vehere vltum contendunt.

§. XXVI.

Nunc de virtutibus, quae ex officiis haecenus enumeratis, efflorescunt, dispiciendum. Virtutem quae alterum nullo modo laedit, non possum alio, quam generali *iustitiae*, nomine designare: nisi forte *innocentiam* dicere velis: quae autem illatas iniurias ad ductum rectae rationis excipit virtus, *mansuetudo* vocatur.

§. XXVII.

Aequalitatem naturalem probe observat *aegritas*, liceat enim mihi hac voce ita uti, cuius excellentissima species est *humilitas*: ea autem quae pacta servat virtus, *fidelitas* dicitur, cuius variae iterum species constitui possunt.

SECT. V.

de

OFFICIIS GENTIUM ERGA GENTES
ABSOLVTIS QVAE OBLIGATIONEM PERFECTAM HABENT.

Sive sic.

Quotuplici ratione gens gentem laedere possit, §. I. l. b.

An quid gens quae alteram laesit generatur, §. III.

Quod una gens alteram pro aequali agnoscere debeat, §. IV.

Vnde inaequalitas inter gentes oritur, et quidem

ratione existimationis simplicis, §. V.

Item intensivae, §. VI.

Quid fedus? §. VII.

Quo-

Quotuplex fœdus? §. II. IX.

An fœdera iuris liceat cum illis qui in religione a nobis differunt? §. XI.

An cum infidelibus contra fœdes? §. XII.

An cum Atheis? §. XIII.

Materia fœderum, §. XIV.

Quo pacto quis se gerere debeat, si illi cum pluribus federatis res sit, §. XV.

De solutiōne fœderum, §. XVI.

Quid sponso? §. XVII.

An per sponsonem summus imperans, et quousque ipse sponsor, obligetur? §. XIX.

Quod legati sint inniolabiles, §. XIX.

Ad quos hoc pertineat, §. XX.

Quotuplici ratione legatus lædatur, §. XXI.

An legati semper admittendi sint? §. XXII.

Postquam admittis est, quomodo sit inniolabilis, §. XXIII.

Si deliquerit, an puniri queat? §. XXIV.

An legatus ad tertium missus, in territorio hostis, sit inniolabilis? §. XXV.

Quid de comitibus, famulis, bonis legati, censendum, §. XXVI.

An legatus competat, ius affili? §. XXVII.

§. I.

Videamus nunc quo pacto quæ hætenus docuimus, in integris gentibus sese habeant. Quod itaque primum est omnium hominum erga alios officium, *neminem læde*, illud etiam merito inter officia gentium erga gentes, eundem occupat locum. Possunt autem gentes lædi, vel quoad *statum ipsius reipublicæ*, qui vitæ singulorum hominum respondet, vel quoad *dominium et imperium*, vel quoad *existimationem*, vel quoad *iura*, perfecta scilicet, vel denique quoad *singula membra et ciues* qui civitatem constituunt, eorumque vitam, bona, famam, iura.

§. II.

Laedit porro gens gentem aut *directe*, si iussu eius qui summum imperium habet, alteri genti quocumque modo damnum inferatur: aut *indirecte*, si imperans, subditorum, aliam gentem laedentium, facinora non puniat, aut cum prohibere possit, non prohibeat; e. gr. si non adhibeat, quae possit ac debeat adhibere remedia, ad impedienda latrocinia, ac piraticam, ut si militibus non solvat stipendia, ut necessitate coacti ipsi amicis noceant. Huc pertinet etiam *receptio* eorum, qui delinquendo, vel alia ratione, rempublicam quandam laeserunt.

§. III.

Quod si gens hac ratione gentem laeserit, restituetur ad *restitutionem*. Quam quidem, si restanti sit, per vim exigere, nec tantum hanc exigere, sed bellum etiam eousque continuare potest, donec securitati suae fuerit prospicuum: quod in singulis hominibus, qui in statu civili vivunt, secus se habet. Qua de re suo loco pluribus exponemus.

§. IV.

Alterum juris gentium praeceptum, ad officia absoluta spectans, iubet, ut *una gens alteram naturaliter sibi aequalem esse*, agnoscat. Hinc quae una gens ab altera sibi praestari cupit, ea vicissim illi non denegat.

§. V.

§. V.

Deprehenditur autem inter gentes etiam quaedam inaequalitas rationis *existimationis*, tum *simplicis*, tum *intensivae*. Illa quidem aut imminuitur aut amittitur, cum gens data opera omnia iuris naturalis praecepta negligit, et a communi totius humani generis societate discedit, adeoque se ipsam indignam reddit, quae ab aliis pro aequali agnoscatur. Hæc pertinent *coetus sacrorum et piratarum*.

§. VI.

Existimationem intensivam, per antiquitatem, potentiam, opes, et alia fortunæ munera, gentes acquirunt, sed *iure saltim imperfecto*. Ius perfectum ad eam non nisi per *pacta*, sive expressa sive tacita, et diuturno usu firmata, comparatur. Ego quid de *præcedentia* summorum imperatorum, legatorumque, qui eos repræsentant, sentiendum sit, diiudicari hinc facile poterit.

§. VII.

Tertium iuris gentium præceptum est: *pacta serva*. Solent autem pacta, quæ ab integris gentibus super negotiis publicis ineuntur, speciali nomine *fœdera* appellitari. Est enim *fœdus* conventio publica, ab iis, qui maiestatem habent, in communem, vel alterutrius utilitatem facta.

§. VIII.

Solent fœdera varie dividi. Ego ita procedo: *alia iuri naturali nihil addunt*, cum gentes ad ea præstanda federe se obstringunt, ad quæ iam

ceteroquin iure perfecto obligabantur: alia *verum obligationis gradum addunt*, quando se obligant ad ea praestanda, ad quae ceteroquin iure imperfecto tenebantur: alia denique *plane novam obligationem progignunt*, quando scilicet ea se obstringunt, ad quae ceteroquin nec perfecte, nec imperfecte obligabantur.

§. IX.

Quae iuri naturae aliquid adiiciunt, aut *aequalia* sunt, aut *inaequalia*. *Federa aequalia*, sunt pacta quibus utrinque aequales praestationes promittuntur, vel simpliciter, vel observata proportionis virium, et aequali etiam modo, ut neutra pars alteri sit obnoxia. *Inaequalia* autem, sunt pacta, quibus inaequales praestationes promittuntur, aut altera pars deterioris est conditionis. Est autem aliquis deterioris conditionis vel ita ut summum imperium simul amittat, vel ut istud retineat. Amittitur summum imperium, si quis ex federe ea praestare tenetur, quae ipsam facultatem partibus summi imperii fungendi, tollunt: non amittitur, si quae praestanda sunt, actum summi imperii impediunt, ipsam facultatem autem neutiquam tollunt.

§. X.

Sunt porro federa vel *realia* vel *personalia*: illa in usum civitatis inveniuntur, et mortuo licet imperante, non tamen expirant: haec in commodum imperantis praesentis inveniuntur, eoque mortuo expirant.

§. XI.

§. XI.

Recte federa percutiuntur cum omnibus illis, quorum commoda promouere, aut a quibus commodum percipere non est nefas. Ergo et cum illis, qui a vera religione sunt alieni, ea inire licebit, cum nulla lege prohibeamur, aut commoda illorum promouere, aut ab iis commodum percipere, in quantum veritati aut religioni hoc non est fraudi. Religionis enim diuersitas per se non tollit iuris communem. Interim cum facile in ipsam religionem damnum aliquod hinc redundare possit, non temere sane eiusmodi federa sunt incunda, sed tum demum, si summa nos vrgeat necessitas, et si certi simus, religionem nullo modo in periculum adductum iri.

§. XII.

Quin etiam contra fideles cum infidelibus sine crimine quandoque ferietur fedus, et quidem tum ad defensionem vtriusque, tum ad iniuriae illatae reparationem. Idque ideo, quia eadem hic quoque rationes militant; nec statim ex eiusmodi federe ipsa periclitatur religio; imo si vel maxime profanae opes hinc incrementum capiant, id, cum ponamus bellum iustum, nulla ratione a nobis impediri debet, praesertim cum ne ita quidem religio statim in periculum coniciatur; denique quia nec religio, nec qui eadem nobis cum sacra colit, scelere tuendus, aut in causa iniusta contra arma iusta defendendus.

§. XIII.

§. XIII.

Cum *alibi* autem, & manifestis Numinis, omnisque honesti contemptoribus, federa inire, non minus summas imprudentiae, quam impietatis est. Quin absurdum est, secumque pugnat, vinculo quodam iuris obstringere velle hominem, qui Deum tollendo omne ius tollit. Quo ipso ex communiione iuris excidunt eiusmodi homines, indignique sunt, qui vllum ab vlllo mortalium officium accipiant.

§. XIV.

Materia federum eodem modo se habet, ac materia quorumlibet pactorum. Irrita ergo sunt, quae super rebus illicitis ineuntur federa: nec aliter se habent, quae super rebus quae non possunt in nostris viribus, percutiuntur.

§. XV.

Ex federatis pluribus illi qui instam habet belli causam, siue cum extraneo, siue cum alio federato illi sit negotium, nisi specialiter conventum sit, ne aduersus hunc auxilium praestetur, succurrendum esse, recte asseritur. Si causae utriusque iniustae sint, neutri succurrendum: Ad illicita enim nulla est obligatio. Si federati simul iusta de causa in alium bellum gerant, omnibus succurrendum quantum fieri potest. Si talia fuerint promissa quae omnibus simul praestari nequeant, praefere-

us est cum quo est fedus antiquius. Hoc regulae bonae interpretationis iubent.

§. XVI.

Expirant & finiuntur federa ipso tempore. Nec praesumendum, tacite illud esse renouatum, nisi ex actibus eiusmodi, quae aliam interpretationem non recipiunt. Abrumpuntur etiam akerutrius partis perfidia. Namque si ab vno fuerit violatum, alter quoque minime tenetur, nisi conuentio specialis obstet.

§. XVII.

Ceterum a federibus multum differunt *sponsones*, hoc est, pacta quae a ministro summae potestatis ineuntur, circa negotia ad rem publicam spectantia, sine ipsius mandato.

§. XVIII.

Vbi quidem manifestum est, quod summus imperans eiusmodi sponcione nullatenus obligetur, nec teneatur ad id quod interest, nec ad restitutionem praestandam. Nec sufficit notitia eius et silentium, si sponcio fuerit simplex, (in iis enim quae sub conditione factae sunt, plane sufficit) sed actus aliquis externus, per quem voluntas eius declaretur, requiritur. Quoad sponforum obligationem autem, omnino dispiciendum, accesseritne dolo nec ne: si accesserit, citra controuersiam vt omnes qui alios dolo laedunt, ad restituendum damnatum tenentur. Si non accesserit, saltem tenentur ad id quod interest:
ita

ita quidem ut si fortunae, quas possident, non sufficiant, sponsores ipsi redigi in servitutem possint, ut laesus fiat satis.

§. XIX.

Solent autem federa ut plurimum iniiri opera *legatorum*. De hisce ergo quid naturae leges praecipiant, hic exponendum est. Summa huc redit: *legatos non esse laedendos*. Eorum enim opera et bella finiuntur, et pax, et tranquillitas inter gentes conseruatur. Sed cum lex naturae in genere dicitur, neminem esse laedendum, legati tamen in eo praecipuum quid praeter ceteris habent, quod ne belli quidem tempore, et inter armorum strepitum, laedi debeant. Idque ideo, quia humani generis, gentiumque omnium salus hoc requirit. Deus ergo qui omnia ea praecipit facienda, quae ad hunc finem conducunt, legatos etiam non laedendos praecipit. Qui enim vult finem, media etiam huc ducentia approbare censetur.

§. XX.

Praecipue quidem hoc ad illos legatos pertinet, qui belli aut pacis causa mittuntur. Nec tamen illis qui commerciorum causa, aut ad amicitiam inuendam, vel firmandam, stabilendamque, splendido hoc munere funguntur, sanctitas deneganda. Etenim ut commercia floreat, ut amicitia et concordia foueatur, hominum omnium, gentiumque maximopere interest.

terest. Saltē humanitatis leges palam migraret, qui eiusmodi legatos laederet.

§. XXI.

Laeditur autem legatus, primō si non sine praegnantī causa *admittatur*: deinde, si in corpore, bonis, existimatione, famulis, sanctitas eius *violatur*.

§. XXII.

Quod ad *admissionem* attinet, possunt aliquando non admitti, si praegnant hoc iubeat ratio: qualis est: si mittens callida legationis simulatione nos ante hac decepit, et nunc similes fraudes metuatur; item, si is qui mittitur perfidia, aut alio crimine atrociori erga eum ad quem mittitur, se obstrinxerit; ut et si constat legatum non venire ut agat id quod praefert, sed ut ad seditiones concitet populum, arcana nostra exploret, prodatur, etc.

§. XXIII.

Admissum non esse laedendum, satis patet. Idque ne iure talionis quidem licet, cum qui legatum admisit, iuri isti, si quod habuit, renunciaffe merito existimetur. Cetera facile definiiri possunt, sed finem et naturam *legationum* attendatur. Ergo tanta est legatorum sanctitas et intiolabilitas, quantam *legationum* finis requirit. Hinc concludo legatum ab eo, ad quem mittitur, non posse puniri. Nunquam enim summus imperans per legatum se alterius imperio subiicit. Per legatum

tum enim ut aequalis cum aequali, non ut inferior cum superiori agere voluit. Atque id natura negotiorum, quae a legatis tractantur, exigunt. Ergo legatis immunitas ab omni imperio, et poena, est concedenda.

§. XXIV.

Quod si ergo deliquerit, non ut eum subdito, sed ut homine alterius imperio subiecto agendum, hoc est, si res tanti sit, ut reparationem damni dati, vel poenam a legato exigi nostra intersit, dominus legati adeundus est, sique is petitioni nostrae satisfacere renuat, ea omnia nobis licent, quae in principem, subditorum delicta punire nolentem, concessa sunt. Quod si res nullam ferat moram, ut hostis capi, custodiri, et pro periculi magnitudine interfici potest. Finis enim legationum neutiquam requirit, ut quidvis a legatis patiamur.

§. XXV.

Nec legatorum sanctitas eorumque se extendit, ut si per territorium hostis ad quem mittuntur, transcant, non debeant violari. Finis enim legationum sine hoc iure obtineri potest. Nec obstat, quod summum imperantem referant. Namque et ipsi summi imperantes ab hoste laedi possunt; ergo multo magis qui eos repraesentant legati, nisi lex specialis, aut conventio, intercedat.

§. XXVI.

Quod de ipso legato dictum, illud certatione

ratione etiam de *comitibus famulisque* eius, est intelligendum. Hi ergo si deliquerint, postulari a legato potest, ut eos dedat: si hoc facere resuat, ipse se crimine obstringit, adeoque locum habebunt, quae antea de legati delicto diximus. Ipse legatus autem eos punire nequit, cum finis et natura legationis facultatem puniendi comites, aut seruos, non requirat, legatoque adeo non concessa videtur ab eo ad quem mittitur. Bona eius per iudiciorum ordinem pignoris causa capi nequeunt, cum hoc arguat vim superiorem, a qua legatum immunem esse, demonstrauimus. Si soluere debita nolit, eodem modo, ut in delictis procedendum.

§. XXXVII.

Vt vero legato ius asylum in aedibus suis constituendi, et quosuis eo confugientes recipiendi concedatur, natura et indoles legationum nullatenus requirit. Quod si autem simile quid concessum fuerit, nullam tamen rationem video, quo minus imperans, si salus ciuitatis suae hoc exigat, istud reuocare possit. Vnde quid de lite inter Galliae Regem, et Romanum pontificem, hac super re agitata, censendum sit, patet. Interim si per consensum imperantium certa iura legatis competant, quorumum et ritus et ceremonias refero, haec sine praegnantia causa illis denegari nequeunt, cum hoc ipso fama et existimatio eorum laedatur.

T. SECRET.

SECT. VI.

de

OFFICIIS ERGA ALIOS HYPO-
THETICIS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

- Quae officia hypothetica vo-
centur, §. I.*
- Sermo quid? eius origo, §. II.*
- Officia circa sermonem ex
eius fine desumuntur, §.
III. IV.*
- Fidiones quomodoque sint lici-
tae: quid veritas, quid
mendacium, §. V.*
- Sermonis firmamentum,
inviandum, §. VI.*
- In quo Deus consideratur ve
index, §. VII.*
- De iure iurando per idola
resque creatas, concepto, et
de execrationibus, §. VIII.*
- De intentione iurantis, §. IX.*
- De obligatione iurandi,
§. X.*
- De eius interpretatione, sine
varietate, §. XI.*
- An remitti a summo impe-
rante possit? §. XII.*
- Sermonem inter instituta
vniuersalia excipit domi-
nium rerum, §. XIII.*
- Dominium quid? et quom-
plex? item de proprietate,
§. XIV.*
- Origo domini, §. XV. XVI.*
- Eius requisita, §. XVII.*
- A quibus acquiri possit, §.
XVIII. (XIX.)*
- Modi acquirendi illud, §.*
- Occupatio quid? et quom-
plex? §. XX.*
- An ferat, pisces, per occupa-
tionem acquirantur? §.
XXI.*
- De acquisitione accessionum,
§. XXII. XXIII.*
- Quo pacto in res alterius
acquiramus, §. XXIV.*
- Modi acquirendi derivatiui:
speciatim successiones ab
intestato, §. XXV.*
- Quis in illis sit observandus
ordo? §. XXVI.*
- De testamentis, §. XXVII.*
- Cur solennitates iuris civilis
in illis sint necessariae?
§. XXVIII.*
- Vsucapio quid? §. XXIX.*
- Eius fundamentum, §. XXX.*
- Officia hominum circa re-
rum dominia, §. XXXI.*
- Tertium institutum vniuer-
sale est pretium rerum: in
quo hoc consistat, quatenus
eius sit causat §. XXXII.*
- Fundamentum pretii vulga-
rio,*

<i>vis</i> , §. XXXIII.	<i>Onerosi</i> , §. XL.
<i>Cur intendatur</i> ; item de pretio legitimo, §. XXXIV.	<i>De contractibus qui aliquid aleae continent</i> , item de pactu adiectu, §. XLI.
<i>De pretio imminenti</i> , seu numero, §. XXXV.	<i>Officia contrahentium generalia</i> , §. XLII.
<i>Eius materia</i> , §. XXXVI.	<i>Specialia</i> , §. XLIII.
<i>Valor definitur a summo imperante</i> , §. XXXVII.	<i>Quo pacto obligationes, quae ex contractibus oriuntur, solvantur</i> , §. XLIV.
<i>Contractus quid? et quotumplex?</i> §. XXXVIII.	<i>Virtutes quae ex his officiis fluunt</i> , §. XLV.
<i>Contractus benefici</i> , §. XXXIX.	

§. I.

Officia hypothetica voco quae factum, aut institutum aliquod humanum, praesupponunt. Eiusmodi instituta vniuersalia, sine quibus humanum genus subsistere non potuit, tria sunt: *sermo, dominium, et rerum pretium.*

§. II.

Sermo est sonus hominis articulatus, per quem animi sui sensa alteri homini significare potest, et quandoque debet: ortus autem videtur post linguae primigeniae obliuionem, ex pacto generali, et quidem tacito, quod certo vocabulo rem certam denotare velint. Sane nullus esset sermonis vsus, si quisque pro lubitu quodlibet vocabulum, ad rem quamlibet denotandam, adhibere vellet. Ad specialia autem signa, quae ex conuentione quorundam hominum speciali pendunt, hic non attendimus.

§. III.

Finis praecipuus sermonis est, ut vita homi-

num

num socialis conseruetur et promoueat: unde sua sponte fluit: *sermone ita utendum, prout natura et ratio socialitatis requirit.* Id quod de aliis etiam signis, quae forte vicem sermonis subeunt, identidem est intelligendum.

§. IV.

Hinc regulae istae speciales fluunt: *quoties aliorum hominum commoda promouere, et damna auertere tenemur, toties etiam tenemur animi nostri sensa, signis liquidis, sermoneque recepto, significari.* Ad prius autem tenemur vel ex pacto, vel ex lege quadam naturali, vel ex praesentis negotii indole. Item: *quoties aliorum non interest nos loqui, vel animi nostri sensa pandere, nostra autem interest tacere, aut signis diuersum quid a cogitationibus nostris indicantibus vis, toties tacere, vel alienis signis vii licet: multo magis autem idem licet, si aut silentium, aut veritatis dissimulatio, in aliorum utilitatem cedunt.*

§. V.

Non omnes ergo fictiones sunt illicitae: sed falluntur qui ex hoc capite asserunt, reum non teneri ad crimen iudici confitendum, cum iudex omnino ius habeat veritatem a reo elicendi. Intelligitur etiam, quid veritas, quid mendacium sit: veritas, scilicet *ethica*, est convenientia verborum aut signorum cum nostris cogitatis, quae alter ex nobis intelligendi ius perfectum, aut imperfectum, habebat. *Mendacium* est discrepantia verborum, aut signorum a nostris cogitatis, quae alter ex nobis intelligendi

gendi ius perfectum aut imperfectum habebat: si nullum ius habuerit, vocatur *falsi loquium*. Ad mendacia etiam pertinent *aequivocationes*, et *restrictiones mentales*, quatenus per eas ius alterius laeditur.

§. VI.

Solent autem homines sermoni, actibusque in quibus sermonis usus sese exerit, firmamentum aliquod addere *iureiurando*. Et istud quidem recte fieri inde probo, quoniam nec leges naturales, nec divinae positivae obstant. Est autem iusiurandum assertio religiosa, qua divinam poenam in nos deposcimus, nisi verum dicamus.

§. VII.

Consideratur itaque Deus in iureiurando, non ut *testis*, sed ut *iudex*, poenam gravissimam inflictorus: quas cum nemo adeo impius credatur ut sua sponte subire velit, verbis nostris inde firmamentum accedit. Necessè itaque est ut iurans sit persuasus, Deum *omniscium* et *omnipotentem* esse, ut intimos hominum recessus habeat exploratos, et viribus polleat profanos puniendi.

§. VIII.

Quae ergo per *falsos* Deos concipiuntur *iureiuranda*, ut et per *genios* etc. *impia* sunt: quin et *irrita* insuper, si iurans ipse nullam divinitatem illi tribuat. Quod si res magni momenti sit, nec alia ratio negotia expediendi sup-

petat, iuransque eum, per quem iurat, verum Deum esse credat, licet istud acceptare, cum aliud haberi nequeat. *Execrationes* etiam quibus rem nobis charissimam deuouemus, omnino ad iureiuranda refero: vtut in iudiciis eiusmodi formulae non sint vtitatae. Ad formale enim iurisiurandi rationem nihil illis deest.

§. IX.

Patet autem, quod ad iusiurandum et *usus rationis*, et *intentionis* requiratur. Ergo qui illo destituntur, iurare nequeunt; nec iurant, qui verba sine animo iurandi recitant. Qui autem obligatus est vt animum intentionemque adhibeat, etiamsi hoc non faciat, nihilominus obligatur, quia ceteroquin nullus iureiurandorum futurus esset usus.

§. X.

Iureiurandum aequam obligationem, nec aduersus Deum nec aduersus homines producere, ex natura obligationis patet. Hinc quantum ad ea quae pactis adduntur, regula haec potest: *ubicunque obligatio in pactis cessat, ibi iusiurandum quoque non obligat.* Quid ergo de iureiurandis per *dotum*, *metum iniustum*, *errorem*, aut super rebus *illicitis* et *impossibilibus* conceptis, censendum sit, hinc iudicari poterit. Sed illud quoque hinc sequitur: haerodem ex iureiurando defuncti eatenus teneri, quatenus ex promisso aut pacto eius obligatur.

§. XI.

§. XI.

Possimus iureiuranda aliquando quidem *stricte* interpretari, ex causis supra allatis, semper tamen respiciendum est ad mentem deferentis. Huius enim causa concipitur: nec posset ceteroquin finis eius obtineri. Qui quidem finis multiplex esse potest: praecipuus tamen est praecidere controuersias, litibusque imponere finem: ad quem accedit, pactorum et promissorum confirmatio. Pro finium autem diuersitate diuersa etiam iureiurandorum solent constitui genera. Hinc alia sunt *promissoria* alia *assertoria*, et haec iterum in *testificatoria*, *purgatoria*, *litis-decisoria* etc. dispesci solent.

§. XII.

Summi imperantes denique, iureiuranda per se valida, irrita reddere nequeunt: interim tamen in iis actibus, qui ipsorum directioni subiacent, cum contra illorum voluntatem suscepti, aut plane illiciti et irriti sint, aut sub conditione, si imperans consenserit, validi, declarare possunt, ipsos actus irritos esse, et adeo iusiurandum illis additum, vi omni destitui.

§. XIII.

Alterum institutum, cui certa officia imitantur, est *dominium rerum*. Res autem, quin ipsa bruta, ab homine non tantum recte possideri, sed destrui etiam et consumi, inde proba, quoniam ceteroquin homo non posset conseruari.

T 4

§. XIV.

§. XIV.

Dominium est ius homini competens, quo aliquis rei substantiam ita sibi vindicare potest, vt eodem modo, in solidum, non pertineat ad alterum. Estque vel *vulgare* vel *eminens*; *plenum* vel *diminutum*; *directum*, vel *utile* etc. In rebus huic iuri respondet partim *proprietas*, partim *communio*. *Proprietas* est qualitas moralis rei, ita ad aliquem pertinentis, vt eodem modo, in solidum, non pertineat ad alium. Hinc quid *res propria* sit patet; quae autem in plurimum dominio est indiuisim, *propria* est in ordine ad alios homines, sed *communis* in ordine ad possidentes. *Communio* est vel *positiua*, vel *priuatiua*; *illa* est qualitas moralis rei ad plures pertinentia, vt in plurimum coniunctim sumptorum dominio sit: *haec* est qualitas moralis rei, quae quoad substantiam nullius est, quoad vsum omnibus patet.

§. XV.

Iam quod ad originem dominii attinet, supponendum est ex historia, Deum primis parentibus a se conditis, concessisse *facultatem*, rebus omnibus ad sui conseruationem vtendi. *Facultatem* inquam: *dominium* enim vix accurate dixeris, cum nondum alii fuerint, qui ab eorundem rerum possessione potuerint excludi: adeoque in rebus nec *proprietas*, nec *communio positiua*, vtraque enim dominium supponit, sed *communio priuatiua* illi respondit; quae sane longe

longe alia est ab ea, quam Grotius, et alii nonnulli hic fingunt.

§. XVI.

Sed ob ingenii humani malitiam, hic rerum status diuturnus esse non potuit. Ergo dominium rerum introducendum fuit; idque hoc ordine factum esse valde verosimile est, ut primo *fructus*, deinde rerum *substantias* inter se diuiserint, addito pacto, ut quae non diuisa essent, illi cederent, qui primus ea sibi asseruisset. Idque cum ad praesentem humani generis conditionem plane necessarium fuerit, Numinis accessisse approbationem, inde colligitur.

§. XVIII.

Ex natura autem dominii patet, duo requiri ut res propria fieri possit, primo ut usum, eumque qui exhauriri possit, praebet. Quae enim inexhausti usus sunt, dominio subicere aut ineptum, aut plane malignum foret, nisi forte cum rebus aliis propriis cohaereant. Deinde, ut ab hominibus apprehendi, et custodiri possit. Ceteroquin enim alii ab eius possessione non possent arceri. Et hinc quid de *dominio maris* sentiendum sit, liquet. Nimirum quatenus usus eius exhauriri, illudque custodiri potest, eatenus dominii est capax: sed quatenus usum inexhaustum praebet, et custodiri nequit, dominium respuit.

T §

§. XVIII.

§. XVIII.

Vt autem actu dominium acquiratur, requiritur in acquirento voluntas, vsusque rationis. Infantes tamen per alios, suffragante lege, qui eos, repraesentant, aliquid acquirere possunt.

§. XIX.

Modi acquirendi vel *originarii*, sunt vel *deriuatiui*. Originario acquiruntur vel *res ipsae*, vel *rerum accessiones*: res ipsae olim acquisite sunt per *diuisionem*: hodie acquiruntur per *occupationem*.

XX.

Occupatio est modus acquirendi originarius, quo res quae sunt nullius, siue nunquam vllius fuerint, siue ab aliis sint derelictae, per actum aliquem externum, vt apprehensionem corporalem rerum mobilium, custodiam, designationem limitum etc. nobis vindicamus. Actus externus ideo requiritur, vt alii intelligant, nos rem istam nobis vindicasse. Est autem alia occupatio per *uniuersitatem*, alia per *fundos*, quae a singulis fit.

§. XXI.

Hinc quid de captura ferarum, piscium, etc. sentiendum sit, liquet. Si enim terra, aut aqua in qua degunt, nullius sint, cedunt occupanti. At vero cum per occupationem, quae fit per uniuersitatem, omnes etiam siluae, flumina etc. occupentur, et vero in singulos haec commode distribui nequeant, nec etiam necesse

cesse fit, penes totam uniuersitatem, et ex eius consensu, penes eum, qui totam uniuersitatem repraesentat, manent. Hinc itaque ferae, pisces etc. in dominio sunt summi Imperantis, et a nemine rite occupari possunt, nisi summo Imperante tacite aut expresse consentiente.

§. XXII.

De acquisitionibus *accessionum* obseruanda est regula: *qui dominus est substantiae, ad eum etiam pertinent accessiones.* Accessionum autem nomine veniunt omnes *fructus* tum *naturales*, tum *industriales*, tum *ciuitiles*. Hinc et foetus pertinet ad dominum matris: plantata et confita in alieno solo, ad dominum soli: quae per alluionem accrescunt, ad eum qui est dominus et possessor agri, nisi constet vnde venerint.

§. XXIII.

Quod si autem ob accessiones duo ad dominum vnus rei concurrant, quam neque diuidere, neque indiuisim possidere possint, aut velint, vni quidam res erit adiudicanda, sed eum hoc onere vt alteri suae partis aestimationem soluat. Vtri autem adiudicanda sit, ex rei praeualentia, domini indigentia, bona et mala fide rem alienam eum sua miscantis etc. erit diiudicandum.

§. XXIV.

Interdum etiam contingit, vt alii sibi ius in res nostras acquirant, aut ex *contractu*, aut alia via. Huc pertinent *ius emphyteuticum*, *ius superficies*,

SECT. VI.

de

OFFICIIS ERGA ALIOS HYPOTHETICIS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

- Quae officia hypothetica vocentur, §. I.*
- Sermo quid? eius origo, §. II.*
- Officia circa sermonem ex eius fine deserviuntur, §. III. IV.*
- Fictiones quomodo sint licitae? quid veritas, quid mendacium, §. V.*
- Sermonis firmamentum, iniurandum, §. VI.*
- In quo Deus consideratur be index, §. VII.*
- De iure iurando per idola resque creatas, concepto, it: de execrationibus, §. VIII.*
- De intentione iurantis, §. IX.*
- De obligatione iniurandi, §. X.*
- De eius interpretatione, sine, varietate, §. XI.*
- An remitti a summo imperante possit? §. XII.*
- Sermonem inter instituta vniuersalia excipit dominium rerum, §. XIII.*
- Dominium quid? et quōtriplex? item de proprietate, §. XIV.*
- Origo dominii, §. XV. XVI.*
- Eius requisita, §. XVII.*
- A quibus acquiri possit, §. XVIII. (XIX.)*
- Modi acquirendi illud, §. Occupatio quid? et quōtriplex? §. XX.*
- An ferae, pisces, per occupationem acquirantur? §. XXI.*
- De acquisitione accessionum, §. XXII. XXIII.*
- Quo pacto ius in res alterius acquiramus, §. XXIV.*
- Modi acquirendi derivatiui: speciatim successiones ab intestato, §. XXV.*
- Quis in illis sit observandus ordo? §. XXVI.*
- De testamentis, §. XXVII.*
- Cur solennitates iuris civilis in illis sint necessariae? §. XXVIII.*
- Vsucapio quid? §. XXIX.*
- Eius fundamentum, §. XXX.*
- Officia hominum circa rerum dominia, §. XXXI.*
- Tertium institutum vniuersale est pretium rerum: in quo hoc consistat, quatenus eius sit causa? §. XXXII.*
- Fundamentum pretii vniuersalis,*

ria, §. XXXIII.
Cur intendatur; item de pretio legitimo, §. XXXIV.
De pretio eminenti, seu numero, §. XXXV.
Eius materia, §. XXXVI.
Valor definitur a summo imperante, §. XXXVII.
Contractus quid? et quotu-plex? §. XXXVIII.
Contractus benefici, §. XXXIX.

Ontofis, §. XL.
De contractibus qui aliquid aleae continent, item de pactis adiectis, §. XLI.
Officia contrahentium generalia, §. XLII.
Specialia, §. XLIII.
Quo pacto obligationes, quae ex contractibus oriuntur, solvantur, §. XLIV.
Virtutes quae ex his officiis fiunt, §. XLV.

§. I.

Officia hypothetica voco quae factum, aut institutum aliquod humanum, praesupponunt. Eiusmodi instituta vniuersalia, sine quibus humanum genus subsistere non potuit, tria sunt: *sermo, dominium, et rerum pretium.*

§. II.

Sermo est sonus hominis articulatus, per quem animi sui sensa alteri homini significare potest, et quandoque debet: ortus autem videtur post linguae primigeniae obliuionem, ex pacto generali, et quidem tacito, quod certo vocabulo rem certam denotare velint. Sane nullus esset sermonis vsus, si quisque pro lubitu quodlibet vocabulum, ad rem quamlibet denotandam, adhibere vellet. Ad specialia autem signa, quae ex conuentione quorundam hominum speciali pendent, hic non attendimus.

§. III.

Finis praecipuus sermonis est, ut vita homi-

T

NUM

num socialis conseruetur et promoueatur: unde sua sponte fluit: *sermone ita utendum, prout natura et ratio socialitatis requirit.* Id quod de aliis etiam signis, quae forte vicem sermonis subeunt, identidem est intelligendum.

§. IV.

Hinc regulae istae speciales fluunt: *quoties aliorum hominum commoda promouere, et damna auertere tenemur, toties etiam tenemur animi nostri sensa, signis liquidis, sermoneque recepto, significari.* Ad prius autem tenemur vel ex pacto, vel ex lege quadam naturali, vel ex praesentis negotii indole. Item: *quoties aliorum non interest nos loqui, vel animi nostri sensa pandere, nostra autem interest tacere, aut signis diuersum quid a cogitationibus nostris indicantibus visi, toties tacere, vel alienis signis visi licet: multo magis autem idem licet, si aut silentium, aut veritatis dissimulatio, in aliorum utilitatem cedunt.*

§. V.

Non omnes ergo fictiones sunt illicitae: sed falluntur qui ex hoc capite asserunt, reum non teneri ad crimen iudici confitendum, cum iudex omnino ius habeat veritatem a reo elicendi. Intelligitur etiam, quid veritas, quid mendacium sit: veritas, scilicet *ethica*, est conuenientia verborum aut signorum cum nostris cogitatis, quae alter ex nobis intelligendi ius perfectum, aut imperfectum, habebat. *Mendacium* est discrepantia verborum, aut signorum a nostris cogitatis, quae alter ex nobis intelli-

gendi

gendi ius perfectum aut imperfectum habebat: si nullum ius habuerit, vocatur *falsi loquium*. Ad mendacia etiam pertinent *equivocationes*, et *restrictiones mentales*, quatenus per eas ius alterius laeditur.

§. VI.

Solent autem homines sermoni, actibusque in quibus sermonis usus sese exerit, firmamentum aliquod addere *iureiurando*. Et istud quidem recte fieri inde probo, quoniam nec leges naturales, nec diuinae positivae obstant. Est autem iusiurandum assertio religiosa, qua diuinam poenam in nos deposcimus, nisi verum dicamus.

§. VII.

Consideratur itaque Deus in iureiurando, non ut *testis*, sed ut *iudex*, poenam gravissimam inflicturus: quas cum nemo adeo impius credatur ut sua sponte subire velit, verbis nostris inde firmamentum accedit. Necessè itaque est ut iurans sit persuasus, Deum *omniscium* et *omnipotentem* esse, ut intimos hominum recessus habeat exploratos, et viribus polleat profanos puniendi.

§. VIII.

Quae ergo per *falsos* Deos concipiuntur *iureiuranda*, ut et per *genios* etc. *impia* sunt: quin et *irrita* insuper, si iurans ipse nullam diuinitatem illis tribuat. Quod si res magni momenti sit, nec alia ratio negotia expediendi suppetat,

petat, iuransque eum, per quem iurat, verum Deum esse credat, licet istud acceptare, cum aliud haberi nequeat. *Execrationes* etiam quibus rem nobis charissimam deuonemus, omnino ad iureiuranda refero: vtut in iudiciis eiusmodi formulae non sint vsitatae. Ad formale enim iurisiurandi rationem nihil illis deest.

§. IX.

Patet autem, quod ad iusiurandum et *usus rationis*, et *intentionis* requiratur. Ergo qui illo destituuntur, iurare nequeunt; nec iurant, qui verba sine animo iurandi recitant. Qui autem obligatus est vt animum intentionemque adhibeat, etiamsi hoc non faciat, nihilominus obligatur, quia ceteroquin nullus iureiurandorum futurus esset usus.

§. X.

Iureiurandum aequam obligationem, neq aduersus Deum nec aduersus homines producere, ex natura obligationis patet. Hinc quantum ad ea quae pactis adduntur, regula huius potest: *ubicunque obligatio in pactis cessat, ibi iusiurandum quoque non obligat.* Quid ergo de iureiurandis per *dotum*, *metum iniustum*, *errorem*, aut super rebus *illicitis* et *impossibilibus* conceptis, censendum sit, hinc iudicari poterit. Sed illud quoque hinc sequitur: haerodem ex iureiurando defuncti eatenus teneri, quatenus ex promisso aut pacto eius obligatur.

§. XI.

§. XI.

Possimus iureiuranda aliquando quidem *strictè* interpretari, ex causis supra allatis, semper tamen respiciendum est ad mentem deferentis. Huius enim causa concipitur: nec posset ceteroquin finis eius obtineri. Qui quidem finis multiplex esse potest: præcipuus tamen est præcidere controuersias, litibusque imponere finem: ad quem accedit, pactorum et promissorum confirmatio. Pro finium autem diuersitate diuersa etiam iureiurandorum solent constitui genera. Hinc alia sunt *promissoria* alia *assertoria*, et hæc iterum in *testificatoria*, *purgatoria*, *litis-decisoria* etc. dispesci solent.

§. XII.

Summi imperantes denique, iureiuranda per se valida, irrita reddere nequeunt: interim tamen in iis actibus, qui ipsorum directioni subiacent, cum contra illorum voluntatem suscepti, aut plane illiciti et irriti sint, aut sub conditione, si imperans consenserit, validi, declarare possunt, ipsos actus irritos esse, et adeo iusiurandum illis additum, vi omni destitui.

§. XIII.

Alterum institutum, cui certa officia imittuntur, est *dominium rerum*. Res autem, quin ipsa bruta, ab homine non tantum recte possideri, sed destrui etiam et consumi, inde probò, quoniam ceteroquin homo non posset conseruari.

T 4

§. XIV.

§. XIV.

Dominium est ius homini competens, quo alicuius rei substantiam ita sibi vindicare potest, vt eodem modo, in solidum, non pertineat ad alterum. Estque vel *vulgare* vel *eminens*; *plenum* vel *diminutum*; *directum*, vel *utile* etc. In rebus huic iuri respondet partim *proprietas*, partim *communio*. *Proprietas* est qualitas moralis rei, ita ad aliquem pertinentis, vt eodem modo, in solidum, non pertineat ad alium. Hinc quid *res propria* sit patet; quae autem in plurimum dominio est indiuisim, *propria* est in ordine ad alios homines, sed *communis* in ordine ad possidentes. *Communio* est vel *positiua*, vel *priuatiua*; *illa* est qualitas moralis rei ad plures pertinentia, vt in plurimum coniunctim sumptorum dominio sit: *haec* est qualitas moralis rei, quae quoad substantiam nullius est, quoad vsum omnibus patet,

§. XV.

Iam quod ad originem dominii attinet, supponendum est ex historia, Deum primis parentibus a se conditis, concessisse *facultatem*, rebus omnibus ad sui conseruationem vtendi. *Facultatem* inquam: *dominium* enim vix accurate dixeris, cum nondum alii fuerint, qui ab eorundem rerum possessione potuerint excludi: adeoque in rebus nec *proprietas*, nec *communio positiua*, vtraque enim dominium supponit, sed *communio priuatiua* illi respondit: quae sane longe

longe alia est ab ea, quam Grotius, et alii nonnulli hic fingunt.

§. XVI.

Sed ob ingenii humani malitiam, hic rerum status diuturnus esse non potuit. Ergo dominium rerum introducendum fuit; idque hoc ordine factum esse valde verosimile est, ut primo *fructus*, deinde rerum *substantias* inter se diuiserint, addito pacto, ut quae non diuisa essent, illi cederent, qui primus ea sibi asseruisset. Idque cum ad praesentem humani generis conditionem plane necessarium fuerit, Numinis accessisse approbationem, inde colligitur.

§. XVIII.

Ex natura autem dominii patet, duo requiri ut res propria fieri possit, primo ut usum, eumque qui exhauriri possit, praebet. Quae enim inexhausti usus sunt, dominio subicere aut ineptum, aut plane malignum foret, nisi forte cum rebus aliis propriis cohaereant. Deinde, ut ab hominibus apprehendi, et custodiri possit. Ceteroquin enim alii ab eius possessione non possent arceri. Et hinc quid de *dominio maris* sentiendum sit, liquet. Nimirum quatenus usus eius exhauriri, illudque custodiri potest, eatenus dominii est capax: sed quatenus usum inexhaustum praebet, et custodiri nequit, dominium respuit.

T §

§. XVIII.

§. XVIII.

Vt autem actu dominium acquiratur, requiritur in acquirento voluntas, vsusque rationis. Infantes tamen per alios, suffragante lege, qui eos, repraesentant, aliquid acquirere possunt.

§. XIX.

Modi acquirendi vel *originarii*, sunt vel *deriuatiui*. Originario acquiruntur vel *res ipsae*, vel *rerum accessiones*: res ipsae olim acquirentes sunt per *diuisionem*: hodie acquiruntur per *occupationem*.

XX.

Occupatio est modus acquirendi originarius, quo res quae sunt nullius, siue nunquam ullius fuerint, siue ab aliis sint derelictae, per actum aliquem externum, vt apprehensionem corporalem rerum mobilium, custodiam, designationem limitum etc. nobis vindicataus. Actus externus ideo requiritur, vt alii intelligant, nos rem istam nobis vindicasse. Est autem alia occupatio per *uniuersitatem*, alia per *fundos*, quae a singulis fit.

§. XXI.

Hinc quid de captura ferarum, piscium, etc. sentiendum sit, liquet. Si enim terra, aut aqua in qua degunt, nullius sint, cedunt occupanti. Ast vero cum per occupationem, quae fit per uniuersitatem, omnes etiam siluae, flumina etc. occupentur, et vero in singulos haec commode distribui nequeant, nec etiam necesse

cesse fit, penes totam uniuersitatem, et ex eius consensu, penes eum, qui totam uniuersitatem repraesentat, manent. Hinc itaque ferae, pisces etc. in dominio sunt summi imperantis, et a nemine rite occupari possunt, nisi summo imperante tacite aut expresse consentiente.

§. XXII.

De acquisitionibus *accessionum* obseruanda est regula: *qui dominus est substantiae, ad eum etiam pertinent accessiones.* Accessionum autem nomine veniunt omnes *fructus* tum *naturales*, tum *industriales*, tum *ciuiles*. Hinc et foetus pertinet ad dominum matris: plantata et confita in alieno solo, ad dominum soli: quae per alluionem accrescunt, ad eum qui est dominus et possessor agri, nisi constet unde res uenerint.

§. XXIII.

Quod si autem ob accessiones duo ad dominium vnus rei concurrant, quam neque diuidere, neque indiuisim possidere possint, aut uelint, vni quidem res erit adiudicanda, sed eum hoc onere ut alteri suae partis aestimationem soluat. Vtri autem adiudicanda sit, ex rei praeualentia, domini indigentia, bona et mala fide rem alienam eum sua miscentis etc. erit diiudicandum.

§. XXIV.

Interdum etiam contingit, ut alii sibi ius in res nostras acquirant, aut ex *contractu*, aut alia via. Huc pertinent *ius emphyteuticum*, *ius superficies*,
ius

ius possessionis bonae fidei, pignus et hypotheca, servitutes, etc. de quibus Romani iuris interpretes agunt.

§. XXV.

Derivatiue dominium transfertur, vel ex *dispositione legis, vel facto prioris domini*. Ad priorum modum pertinent *successiones ab intestato*. Si enim aliquis moriatur, voluntate sua super bonorum suorum translatione non satis declarata, valde verosimile est, eum voluisse, ut is sibi succedat, quem prae ceteris dilexit. Hinc consensus praesumptus nascitur. Sed cum ille improprie consensus sit, succurrit illi *lex naturae*, iubens, ne dominia rerum in incerto sint, et lites nunquam finiendae orientur, ut is succedat, cui iuxta naturae ordinem quisque prae ceteris bene cupere debebat.

§. XXVI.

Ordo autem, quem quisque in aliis diligendis servare debet, et cui adeo ordo successio-
num ab intestato innititur, hic est, ut primum locum teneant *descendentes*, primi et ulterioris gradus, quia his debentur alimenta: secundum *ascendentes* occupent, ob legem gratitudinis: tertium denique *collaterales*, ob ortus communionem, et proximitatem sanguinis.

§. XXVII.

Quae autem facto domini prioris, eiusque consensu expresso, sit translatio, ea aut inter *vivos* fit, aut in eventum *mortis*. Haec *testamentum*

sum vocatur. Est autem testamentum declaratio voluntatis nostrae, circa successiones in bona nostra, post mortem nostram. Vnde sequitur ante mortem testatoris, proprie heredi nullum ius in bona eius competere: testamentum etiam ante mortem mutari posse.

§. XXVIII.

Quemadmodum autem haec translatio multis fraudibus est obnoxia, ita leges civiles merito improborum hominum molitionibus obuiam eunt. Et huc solennitates istae iuris civilis spectant. Quod si alicui de voluntate testatoris constiterit, etsi solennitates iuris civilis non adsint, salua conscientia tamen hereditatem adire potest: aut heres ab intestato alium, quem sciuit testatorem sibi succedere voluisse, ideo quod solennitates non adsint, salua conscientia ab hereditate excludere nequit. Sufficit enim ad bonorum translationem consensus prioris domini.

§. XXIX.

Vsucapionis quoque hic iniicienda est mentio. Est autem vsucapio modus acquirendi, quo is qui bona fide rei alicuius possessionem nactus est, eamque diu quietam, et non interruptam obtinuit, plenam eiusdem rei possessionem nanciscitur, iure prioris domini extincto.

§. XXX.

Nimirum fundamentum vsucapionis consistit in *derelictione*: adeoque haud inepte ad occu-

occupationem reducitur. Derelictio quippe vt actus animi, ex ceteris signis cognosci potest ac debet. Eiusmodi signa animi sunt tum *verba*, tum *facta*, tum etiam *non facta*. Ad non facta pertinet silentium, non quoduis, sed tale vbi aliquis loqui poterat, ac debebat. Quo minus autem aliquis loquatur, et rem suam sibi vindicet, partim ex *ignorantia*, partim ex *metu* proficiscitur. Vtrique causae remedium paratur a tempore. Non autem credibile est, per longum temporis interuallum aliquem aut resciscere non posse, quid sibi debeatur, aut causam metus non expiraturam. Hinc itaque si alia ratione nobis non constet, aliquem res suas dereliquisse, ex temporis magno interuallo, recte hoc colligitur. Accedit vero, quod dominia rerum semper incerta ceteroquin futura essent: vnde a iure naturae usucapionem approbari, recte colligitur. Interim per leges ciuiles ad salutem reipublicae modus usucapionis determinari, et certum etiam tempus ei praefiniri potest.

§. XXXI.

Officia circa rerum dominia huc redeunt: ne alios rerum suarum dominio villo modo *directe* aut *indirecte* priuemus: si vero res aliorum bona fide ad nos peruenerint, caeque adhuc in *nostra* sint *potestate*, quantum in nobis est, efficiamus, vt ad dominum legitimum redeant: quod si autem *consumpta* sint, vt tantum reddat.

reddamus, quantum facti sumus *locupletiores*: hoc enim aequalitatis ratio postulat. Non minus autem de *fructibus*, quam de rebus, hoc est intelligendum. Quae autem moueri solent quaestiones speciales, hinc facile expediuntur.

§. XXXII.

Tertium institutum vniuersale est, *pretium* rerum et actionum. Est autem pretium, quantitas moralis rerum et actionum, quatenus aliquem usum in vita communi habent, atque inuicem comparantur, quo in commercium venire aptae sint. Causa ut introduceretur, identidem humana indigentia est. Post introducta enim rerum dominia, permutatione rerum opus fuit: haec autem commode sine pretio fieri nequit.

§. XXXIII.

Quod rebus, aut actionibus ipsis inhaeret, vocatur *pretium vulgare*: eiusque fundamentum est *utilitas*, quam res aut actiones in vita hominum praebere possunt. Omne autem pretium respiciunt res nullius usus, et quae dominium non admittunt, siue quod per se in commercium non veniant, siue quod omne pretium superent.

§. XXXIV.

Intenditur autem pretium, primo in genere ob *raritatem*, maxime si *necessitas* et indigentia accedat, porro in artificialibus ob *elegantiam* et
(sub-

subtilitatem operis, famam artificis etc. denique ob causam particularem, quare aliquis rem magni faciat, unde *pretium affectionis*. Contraria horum, pretium imminuunt. Definiuntur autem pretia in statu naturali, *contrabentium conventionem*: in statu civili, a *summo imperante*, hinc *pretium legitimum*; aut ex *usu fori*, hinc *pretium commune*. A pretio *legitimo* plus exigendo discedere non licet: *commune* variis de causis mox intenditur, mox remittitur.

§. XXXV.

Cum autem permutatione rerum commercia difficulter procedant, necesse fuit ut pretium *eminens*, siue *nummus* introduceretur. Siue *Tharah*, siue alius nummi inuentor fuerit, receptus sane est apud gentes plerasque, unde et *iura gentium* dicitur.

§. XXXVI.

Materia autem pretii eminentis debet esse rara, utilis, et aestimabilis, substantiae solidae, et compactae, ut non facile usu deteri queat, diminutionem in particulas minutas admittens, custodiae et translationi apta. Aptissima itaque ad hunc usum sunt *metalla nobiliora, aurum, argentum, aes*, habita tamen ratione praestantiae vnus prae alio. In casu necessitatis nummi *plumbei, ferrei*, et similes, aliquando vicem verorum nummorum subeunt.

§. XXXVII.

Summus imperans valorem nummi defini-

re potest, sed ut exterorum etiam habeatur ratio, qui ex quantitate et qualitate metalli eundem aestimant. Hinc et nummi summorum imperantium *imagines*, et alia signa, praefecerunt.

§. XXXVIII.

Actus itaque circa res et actiones in commercium venientes, vocantur *contractus*: qui ad eo a pactis non aliter ac a genere species, differunt. Sunt autem contractus vel *veri*, vel *quasi contractus*: illi, vel *nominati* sunt, vel *innominati*: nominati sunt vel *reales*, vel *consensuales*, vel *verbales*: innominatorum plures sunt species, praecipue tamen quatuor solent constitui: *do ut des, dare facias, facio ut facias, facio ut des*. Sunt etiam contractus vel *bilateros*, vel *unilateros*: item vel *benefici*, vel *onerosi*: et denique vel *simplices*, vel *mixti*.

§. XXXIX.

Iuuabit vilitiores, et praecipuas contractuum species paucis delibare. Et ad *beneficos* quidem pertinet *mandatum*, hoc est contractus quo quis gratis alterius negotia, eodem requirente et committente, expedienda suscipit: *commodatum*, quo rei nostrae usum gratis alicui concedimus: *depositum*, quo rem nostram, aut ad nos quocumque modo spectantem, alterius fidei committimus, ut eandem gratis custodiat.

§. XL.

Ad contractus *onerosos* pertinent: *emptio et venditio*

venditio, hoc est, contractus quo pro certa pecunia, rei alicuius dominium, aut ei aequipollens ius, acquiritur: *locatio et conductio*, hoc est contractus quo pro mercede alteri usus rei, aut operae, addicitur: *mutuum*, quo alter alteri rem fungibilem ea lege dat, ut accipiens post intervallum, idem genus reddat, in eadem quantitate et qualitate: *societas*, hoc est, contractus quo duo pluresve inter se pecuniam aut operas conferunt, eo fine, ut quod inde redditus lucri, inter singulos pro rata dividatur, et si quid damni capiatur, id simili modo a singulis pro rata feratur.

§. XLI.

Sunt etiam quidam contractus qui ab eventu quodam fortuito pendent, et hinc *aliquid aleae* continere dicuntur: quorum pertinent: *sortis litigiosa, sponsio, ludorum varia genera, lotaria, olla fortunae, assicuratio*. Quin et pacta quaedam *accessoria* contractibus addi solent: haec vero duplicis generis sunt: aut enim contractibus prioribus aliquid addunt, vel demunt, eorumque naturam uterque mutant: aut saltem sunt quaedam contractuum firmamenta. Prioris generis sunt pacta illa *adiecta*, quae v. g. contractui emptio- nis et venditionis adduntur, ut: *additio in niem, lex commissoria, retractus* siue *pactum de reovo- vendenda, venditio per auersionem, autisio, emptio spei* &c. posterioris generis sunt: *fideiussio, vadium, pignus, hypotheca, pactum anticrescos, lex commissoria* etc.

§. XLII.

§. XLII.

Officia contrahentium huc redeunt: *seruanda est in omnibus contractibus aequalitas*. Et in beneficis quidem haecenus seruatur aequalitas, si opera detur, ne quis ex iis sentiat damnum. Hinc regulae speciales, quae passim circumferuntur, facili negotio deduci possunt. Sed in onerosis tumprimis accurate aequalitas obseruanda: idque respectu *actuum praecedentorum*, si vitia rei de qua agitur indicentur, siue caueatur, ne metu volendi libertas tollatur: respectu *actus principalis*, ne plus exigatur quam par est: respectu *eius de quo agitur*, ne retineatur, quod plus esse ex re apud nos, licet sine culpa nostra, deprehenditur.

§. XLIII.

In specie in contractu *emptionis et venditionis*, legibus contractus accurate standum. Id quod etiam de pactis *adiectis* censendum, modo nihil iniqui contineant. *Monopolia* exercere non erit nefas, si hoc non cedat in aliorum detrimentum. In contractu *locationis et conductionis*, tantum mercedis dare conductor tenetur; quantum se daturum promisit: si merces non fuerit definita, ad usum communem et conductoris aequitatem, est recurrendum. Praeterea ut locantis est, praestare ut res quam locat, usum quem praebere debet, praebere possit: ita conductoris, ea ita ut decet uti, nisi per ipsius culpam aliquid perdat, illud res-

stitueretur. Cessante opera cessat merces, et vice versa. In contractu *mutui* tantum reddendum, quantum accipimus. Nec illicitum accipere *vsuras*, modo, per eas nemo laedatur: aut contra officia humanitatis peccetur. Ita enim nulla lex naturae obstat: adeoque hoc licitum est. In contractu *societatis*, et lucrum pro rata parte diuidendum, et damnum pro rata parte ferendum. Qui operam contulit ex sorte nihil, ex lucro tantum, quantum ipsius opera aestimata fuit, participat: si societas nihil lucri fecit, ipsi opera quoque sua inutilis fuit.

§. XLIV.

Obligationes quae ex contractibus pactisque fluunt, solvuntur: per *expletionem* eius, de quo fuit conuentum: per *compensationem*; per *condonationem*; *mutuo dissensu*; per *statu mutationem* si in eo fuerint fundatae; ipso vero tempore expirant, si a quodam temporis puncto earum duratio fuerit suspensa; porro solvuntur *morte*, si in alicuius *persona* fuerint radicatae; item per *delegationem*: per *novationem* ex parte solvitur obligatio, si posterior a priori differat, et minus contineat; non tam solvitur, quam abruptitur pactum alterius partis *perfidia*.

§. XLV.

Quod ad virtutes, quae ex officiis hactenus commemoratis fluunt, attinet, ex sermocinantium quidem officiis exurgit *veracitas*, a veritate ethica, ut habitus ab actu, distincta, quae *veracitas*

tas iustitiana dici solet, ut ab *homiletica* discernatur. Ex iurantium officiis efflorescit *religiosa fidelitas*, quae iuristurandi leges accurate observat. Ratione dominii, inter virtutes locum occupat *abstinentia a rebus alienis*. Denique, quae circa contractus occupatur virtus, generali nomine *iustitiae* designari solet: eiusque duae species celebriores sunt, *commutativa*, et *distributiva*: haec in contractu societatis potissimum: illa in ceteris etiam conspicitur.

SECT. VII.

de

OFFICIIS GENTIVM ERGA GENTES
HYPOTHETICIS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

- | | |
|--|---|
| <i>Applicatio horum officiorum ad integras gentes, §. I.</i> | <i>An imperium quoque praescriptione acquiratur? §. VIII.</i> |
| <i>Quoad sermitatem, §. II.</i> | <i>De contractibus summorum imperantium, §. IX.</i> |
| <i>Quoad rerum dominium: qui modi acquirendi dicantur iuris gentium, §. III.</i> | <i>Quod in iis etiam observanda sit aequalitas, §. X.</i> |
| <i>Occupatio quo sensu dicatur iuris gentium, §. IV.</i> | <i>De contractibus quos tutores imperantium inveniunt, §. XI.</i> |
| <i>Occupationis species, §. V.</i> | <i>De monopolio, §. XII.</i> |
| <i>De accessione et specificatione, §. VI.</i> | <i>Quomodo summus imperans teneatur ex pacto antecessoris sui, §. XIII.</i> |
| <i>De praescriptione, §. VII.</i> | |

§. I.

ET ita quidem ut hastenus dictum, inter singulos homines res se habet, iam quae horum officiorum, quae hypothetica diximus, inter integras gentes ratio sit, edisserendum est.

§. II.

Et ad sermonem quidem quod attinet, quod de officiis singulorum hominum diximus, eodem prorsus modo de gentibus intelligi potest. Quid autem tempori belli, quoad sermonem aliaque signa liceat, deinceps explicabitur.

§. III.

De rerum dominio observandum est, quod vulgo quatuor modi acquirendi, qui *iuris gentium* dicuntur, constitui soleant, *occupatio* scilicet, *accessio*, *specificatio*, et *traditio*. Quemadmodum autem traditio citra dubium ad ius civile pertinet, et iure naturae peculiarem acquirendi modum non constituit: ita ceteros acquirendi modos, ad ius naturae, quatenus tum ad singulos homines, tum ad integras gentes pertinet, revocare nullus dubito.

§. IV.

Nimirum *occupationem* a singulis quoque hominibus, idque lege nature, rite fieri, constat. Sunt quidem qui contendunt, *occupationem* eo sensu *iuris gentium* dici, si res, quae in dominio vel imperantis vel priuatorum esse desierunt, permissu imperantis cedant occupanti,

ti, quae aliis propter occupationem quae fit per vniuersitatem, ad imperantem pertinuissent. At vero si vel maxime concedam, eiusmodi res ad dominium imperantis pertinere, eo ipso tamen dum imperans iuri suo renunciat, res istae pro derelictis habentur, et adeo iure naturae tum a singulis hominibus, tum ab integris gentibus occupantur.

§. V.

Species huius occupationis, quae iuris gentium dicitur, tres constitui solent, *venatio, inuentio, et acquisitio bellica*. De vltima suo loco dicetur. Per venationem, si silus aut regio nullius sit, quilibet occupare bestiam potest: si dominum habeat, iam non cuiuslibet venari licet, sed tum demum, si dominus vel imperans hoc concesserit, adeoque feras bestias velut pro derelictis habeat. Consentur autem bestiae nullius esse, quando a nemine custodiuntur, et quando versantur in loco, qui nullius est. Si alterutrum horum secus se habeat, aut si saltem signa dominium praesentia circumferant, a nemine occupari possunt. De *inuentione*, ex haecenus dictis iudicium ferri potest.

§. VI.

De *accessione* autem, quorsum et *specificatio* pertinet, res dubio caret. Namque naturae lege accessoria sequitur suum principale, et qui est dominus substantiae, ad eum quoque per-

tinent fructus, idque tum quoad singulos homines, tum quoad integras gentes.

§. VII.

Praescriptio, ut nunc ad alia digrediar, siue *usucapio*, cum iuris naturalis sit, et recte pro specie occupationis reputetur, itidem ab integritate gentibus rite usurpatur. Quod qui negant, et hunc acquirendi modum iuri civili vindicant, in manifesto versantur errore.

§. VIII.

Ceterum licet inter *dominium* et *imperium*, tum alias, tum quoad modum acquirendi magnum intercedat discrimen: per praescriptionem tamen summum imperium acquiritur, si ex diuturnitate temporis consensus tum eius qui imperium sibi vindicare poterat, tum etiam subditorum, praesertim in regnis non patrimonialibus, intelligatur. Atque istud tum in diuersis rebus publicis, tum in eadem republica procedit, ita ut summum imperium hoc modo amitti, ac vel a rege vel a populo seorsim acquiri, aut etiam inter eos diuidi possit. Vbi quidem ad determinationes legum ciuilium non attendendum esse arbitror, potest enim et debet ista res tantum ex legibus naturalibus aestimari.

§. IX.

Quae de *contractibus* illorum, qui summum imperium habent, disputari solent, in duplici posita sunt discrimine. Vel enim cum *subditis*, vel

vel cum *aliis gentibus*, et qui eas repræsentant, summis imperantibus, illis res est. Si priori modo spectentur, cum totam gentem non repræsentent, sed reuera privati sint, illorum contractus huc non pertinent. Interim illud satis clarum est, in hisce contractibus imperantes summos, non tantum *naturaliter*, sed et *ciuilitè* obligari, licet obligatio ciuillis vim suam coactiuam in his exferere nequeat: cetera etiam quæ ad contractus essentiam pertinent, vt determinationem pretii in emptione et venditione, et in iis locum inuenite.

§. X.

In contractibus itaque gentium, et qui eas repræsentant, summorum imperantium, accurate quoque obseruanda est *æqualitas*. Quod si autem aliquis enormiter fuerit læsus, neutiquam obligatur. Et hoc est, quod dici solet, summos imperantes se ipsos in *integrum restituere* posse. Hoc sensu enim restitutio in integrum neutiquam requirit auctoritatem superioris, nec tantam iuris ciuillis, sed naturalis est, per quod omnes eiusmodi contractus illiciti sunt et irriti. Fabulas autem et commenta narrant, qui talem restitutionem à monarcha quodam vniuersali fieri debere, contendunt.

§. XI.

Quos autem per *tutores* legitime inierunt contractus summi imperantes, ab iis, eo quod fuerint *minores*, neutiquam discedere pos-

Sunt. Tutoribus enim per ipsam naturae legem tanta potestas competit, quanta ad eiusmodi actus requiritur.

XII.

De *monopoliis* obseruandum, quod gens una ab altera per pactum hanc facultatem sibi comparare possit, ut illa sibi soli fructus vendat, qui alibi non nascuntur: nec refragatur lex naturae, quamdiu eos fructus vendendo, alias gentes enormiter non laedit.

§. XIII.

Quaeri quoque solet, an ex contractu regum, illorum successores teneantur. Quod quidem in regnis *parrimonialibus* dubio caret. Quin et in legitimis non secus se res habet. Obligatur enim per summum imperantem ipsa ciuitas: per ciuitatem rursus summi imperantis successor. Nimirum cum summo imperio imperanti etiam confertur facultas ciuitatem obligandi, eo quod ad eius administrationem hoc sit necessarium, non tamen in infinitum, sed in quantum salus, et utilitas ciuitatis, hoc requirit. Si ergo contractus per se et directe, non ex causa superveniente, in ciuitatis perniciam tendat, imperans tale quid fecisse existimandus est, ad quod nulla gauius est potestate, adeoque talis contractus et illicitus est, et irritus.

SECT. VIII.

de

OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS
QVAE OBLIGATIONEM IMPERFE-
CTAM HABENT.

Σύνοψις.

*Quaenam officia habeant
obligationem imperfe-
ctam? §. I.**Quod imperfecta obligatio
quandoque mutetur in
perfectam, §. II.**Cur ad officia humanitatis
obligemur, §. III.**Quod aliorum commoda**moventur vel indefinita,
§. IV.**vel definita, §. V.**De officiis innocuae utilita-
tis, item de beneficiis, §.
VI.**De antro grato, §. VII.**Quas hinc suant virtutes,
§. VIII.*

§. I.

Qvae homo erga alium praestare tenetur of-
ficia, aut ita comparata sunt, ut magna quae
inter omnes homines intercedit societas, nullo
modo sine iis consistere possit, unde obligatio
perfecta fuit: aut ut consistere quidem, sed non
satis commode possit, imperfectamque adeo ob-
ligationem secum vehunt. De prioribus hacten-
us egimus: de posterioribus nunc dispiciendum
est.

§. II.

Ceterum de obligatione observandum, quod
imperfecta, in perfectam saepius mutetur, &
quidem in statu naturali, si necessitas, accedat.
Ad omnia enim ea, sine quibus societas sal-
va esse nequit, perfecte obligati sumus: ergo
et

et ad officia humanitatis, si necessitas summa accedat. In statu civili autem ex iussu imperantis perfecta obligatio oriri potest.

§. III.

Praeter socialitatis rationem communis etiam quae inter omnes homines intercedit cognatio hoc suadet, ut officia humanitatis sibi inuicem praestent, et commoda sua mutuo promoucant.

§. IV.

Promouent autem homines commoda aliorum vel *indefinite*, si quis eam vitae rationem sequatur, ex qua ad alios commodum redundare potest, conatusque illorum, qui aliis inservire possunt et cupiunt, omni ratione provehat: unde et consequitur, artem utilem, quae aliis prodesse queamus, addiscendum esse etc. vel *definite*, si in specie huic vel illi homini commodum aliquod praestent.

§. V.

Posterius multiplici ratione fieri potest: vel ratione *mentis*, si aliquem erudiamus, aut cultemus ut ad notitiam sui et Dei, veramque felicitatem perueniat, ut vera religione imbuatur, errores dimittat &c. vel ratione *corporis*, si aut consilio, aut opera aegrotos sanitati restituamus, aut aliis eis conferamus, quae ad corporis conseruationem pertinent: vel ratione *opum*, si pauperes pecunia, aliisque rebus, quibus indigent, subleuemus, vel denique ratione *famae* et *existimatio-*

mationis, si operam demus ne eius quis faciat
iacturam, aut si fecerit, ut eam recuperet.

§. VI.

Sed certi hic possunt constitui *gradus*, prout
nobis magis, minusve, haec praestatio fuerit mo-
lesta. Primus gradus est, si res quae accipienti
profunt, praestantem non grauant, et hinc *inno-*
xtiae utilitatis vocantur, aliis non denegemus.
Alter autem gradus est, si tale quid gratis in alte-
rum conferamus, quod impensa aut opera labo-
riosa constat, ut ipsius necessitatibus subuenia-
tur, vel utilitas quaedam inde ad illum redun-
det: *beneficium* ceteroquin dici solet. Circa cur-
ius collationem quae moneri solent, ad duo re-
vocari capita possunt; primo ut nostrae condi-
tionis habeamus rationem, deinde ut dispiciamus,
quam et quopusque nostrae opis indigus sit, in-
quem beneficium conferimus.

§. VII.

Ut vero homines ad officia haec humani-
tatis exercenda eo magis excitentur, in acci-
pientibus vice versa requiritur *animus gratus*;
hoc est, ut is qui beneficium accepit, ostendat,
hoc sibi gratum fuisse, dantiqve, eam ob cau-
sam se fauere, seque ad paria reponenda esse
paratum. Huius officii, ut ceterorum huma-
nitatis officiorum, quoad obligationis modum,
eadem est conditio. Accedit, quod omnis
grati

grati animi gratia expiratura esset, si ad eum testandum homines cogi possent. Interim ingrati animi crimen merito pro turpissimo habetur, cum per illud alii a beneficiis conferendis, deterretur.

§. VIII.

Virtutes, ex hisce officiis fluentes, *charitatis* nomine designare placet. Nihil enim viciatius, quam a *iustitia* discernere *charitatem*, quod hoc sensu admitti potest. Idem nomen generale in specie etiam tribuitur iis officiis humanitatis, per quae aliorum commoda indefinitè promovemus. Altera horum officiorum classis, varias habet iterum virtutes, ex quibus quae beneficia rite dispensat, vocatur *liberalitas*, quatenus alios respicit. Quod si hanc vocem extendere placeat ad reversionem utilitatis, ea virtus, quae beneficia confert, *benefolentia* vocari posset. Inter varias liberalitatis latius acceptae species, eminet *hospitalitas*. Quae denique beneficia rite accipit, *gratitudo* appellatur.

SECT. IX.

OFFICIUM GENTIVM ERGA GENTES
 QUAE OBLIGATIONEM IMPERFECTAM HABENT.

Quod sit officium gentium erga gentes officio obligatas. De officio gentium erga gentes officio obligatas. Exercitium, s. 17.

De iure *ſcapulae*, §. V.

De iure *ſcizigalium*, §. VI.

De recipiendis exteris §. VII.

An alteri genti facultatem, quod vult emendi apud nos, concedere teneamur? §. VIII.

An facultatem ſua apud nos vendendi, §. IX.

De libertate matrimoniorum, §. X.

An quae vni concedimus, omnibus concedere teneamur? §. XI.

Quod ſepultura etiam pertineat ad officia humanitatis, §. XII, XIII.

Nec obſtat quod mortui nihil ſentiant, §. XIV.

Quid ſepulturae nomine his nobis veniat? §. XV.

Quoꝝ per ſepulturae demogationem aliquis puniri poſſit, §. XVI.

Nec tamen iure belli genti ſepulturam demogare poſſit, §. XVII.

§. I.

Est et integrarum gentium haec conditio, ut quaedam officia ad communem quae inter eas intercedit ſocietatem, absolute ſint neceſſaria, et adeo obligationem perfectam a Numine ſibi adiunctam habeant, quaedam autem minus neceſſaria ſint, et adeo imperfectam ſaltem obligationem pariant. Haec ceteroquin *officia humanitatis* vocantur.

§. II.

Poſſunt eiusmodi officia identidem vel *indefinite*, vel *definite* praestari. Inter illa tamen quae definite praestantur, ea eminent, quae accipienti proſunt, praestantem non adeo gravant. Huc pertinet primo *transitus hominum*, non temere alicui denegandus. Et quidem ſingulorum hominum *transitum*, ſi nullum inde nobis inferatur *damnum*, concedendum eſſe.

esse, extra habitationem positum esse arbitror.

§. III.

De *magnorum exercituum transitu*, non admitter omnes conuenit. Vt plurimum enim magnum inde periculum illis imminet, per quorum territoria transeunt. Respiciendum ergo est primo ad *causam*. Etenim si bellum et iustum, et necessarium sit, et aliter geri nequeat, quam ut transitus per territoria in eum concedatur, omnino, si ceterae conditiones conspirent, ad eum concedendum obligatus sum, idque eo magis, quoniam et alia naturae lege ut iniuste oppressis succurramus, obligati sumus. Sed tamen consideranda quoque sunt *pericula*, quae probabili quadam ratione inde ad nos redire possunt, v. g. ut sedes belli in nostrum transferatur territorium, si hosti itidem transitum petenti eundem denegauerimus etc. Neque enim ut cum nostra perniciis aliorum commoda promoueamus, obligati sumus. Adeoque nostro metu alterius ius omnino tollitur, quin in hoc rerum statu nullum ius illi competat. Quod si hic metus plane esset, et insuper ab ipsis transiuntibus nobis nullum periculum immineret, tunc deum lex ista vim suam exeret, et transitum nullo modo denegare possumus.

§. IV. Quod ad mercium transitum attinet, dispendium,

endum, an merces ad gentis alterius conseruationem sint necessariae, an vero saltem ad voluptatem, luxum, lucrum sint comparatae. Si prius sit, tantum abest vt transitus denegari queat, vt ad eum concedendum iure perfecto obligati sint imperantes. Si posterius, rursus videndum, an forte transitus eiusmodi rem publicam nostram insigni quodam commodo, aut luero, priuet. Si non priuet, inhumanum foret, eundem petentibus denegare. Sin priuet, et certa spes fit, me transitu denegando, insignne commodum in meam rempublicam deriuare posse, non puto aliquem ad eum concedendum obligatum esse. Licet enim ius perfectum ad eiusmodi lucrum nemo habeat, nemo tamen obligatus est, alterius commoda potius, quam sua, promouere. Quod si vero videam transitus denegatione, et meam rempublicam, et alteram gentem lucro et commodo priuatum iri, rursus inhumanum est alteri inuidere, quod nos impetrare non possumus.

§. V.

Vice versa autem, vt officia humanitatis eum, aduersus quem praestantur, obligant ad animum gratum declarandum, a transeuntibus commerciorum causa, si necessitas absit, iure imperfecto exigere possum, vt tantisper in meo territorio subsistant, et merces suas venales praebent. Atque hinc oritur *ius stapulae*, quod ius consuetudine, aut pactis, in ius perfectum eualescere potest.

X

§. VI.

§. VI.

Ex eodem officio humanitatis reciproco, fluunt *uestigalia*. Sane ubi transitus nihil oneris alicui affert, uestigal exigere inhumanum puto. Ast ubi imperanti, vt exteri eo commodius transire possint, sunt sumptus faciendi ad muniendas vias, ad ripas arcibus, munimentis, praesidiis, instruendas etc. non modo nihil iniqui illum committere arbitror, qui uestigal exigat, sed et ab animi ingrati crimine eum absolui non posse credo, qui istud denegat. Namque non minus ad officia humanitatis praestanda, quam ad eadem grato animo agnoscenda, iure naturae obligati sumus, cuius maximum documentum est, vt sumptus quos alius in nostrum commodum fecit, refundamus.

§. VII.

Ad exteros sedibus suis pulsos, promiscue *recipiendos*, nullam gentem obligari arbitror, cum talis receptio cum recipientis perniciæ coniuncta sit. Quod si ergo pauci sunt qui recipi cupiunt, sique agri nostri tanta sit fertilitas, vt eos alere possit, praeterea si ea religione, iis moribus sint, vt nullum inde nostrae reipublicae immineat periculum, lex naturae omnino iubet, vt recipiantur. Quid de illis, qui ad *littus accedunt*, vt valetudinis, aquandi, aut alia de causatantis per apud nos commorentur, sentiendum sit, ex haecenus dictis obscurum esse nequit.

§. VIII.

§. VIII.

Si etiam gens aliqua a nobis ea *emere* cupiat, sine quibus mortales vitam degere nequeunt, ut alimenta, vestimenta etc. et nobis tanta earum rerum suppetat copia, ut partem iis concedere queamus, commerciorum facultatem illis denegare nefas erit. Si iisdem rebus ipsi indigeamus, secus est pronuntiandum.

§. IX.

Nec tamen exteris itatim concedendum, ut sua apud nos *vendere* possint, praesertim si exinde damnum aliquod nostrae civitati afferri possit. Quod si rebus quibusdam gens abundet, aliis autem ad vitam necessariis indigeat, et has, nisi illis venditis, sibi comparare nequeat, saltem non impedienda est, quo minus aliis eas vendere possit, si rerum nostrarum haec sit conditio, ut permittere nequeamus, quo minus apud nos eas vendat.

§. X.

Referrī huc etiam solet *libertas matrimoniorum*. Quod tamen caute capiendum. Nimirum, si qui matrimoniorum libertatem expetunt, iisdem nobiscum utantur sacris, nec scelestum vitae genus sectentur, aut aliis vitiis status huius indoli aduersis laborent, saluo humanitatis iure, illis non potest dari repulsa. Quod si necessitas insuper accedat, populusque virorum, quippe qui vnus saltem aetatis est, ceteroquin periturus esset, iure perfecto hoc a nobis exigere queunt.

X a

§. XI.

§. XI.

Ceterum, quod nonnullis populis concedimus ius, illud non statim omnibus concedere tenemur. Aut enim quibusdam saltem istud concedimus, et quidem vel precario, vel per modum pacti, et alius non sine impudentiae crimine, idem expetere potest, cum praegnantis nobis ratio esse possit, cur vni denegemus, quod indulgemus alteri; aut, si promiscue alicuius rei usum omnibus concedimus, possunt tamen res nostrae aliam induere faciem, ut nostra magno opere referat, non amplius id concedere, quod concessimus hactenus.

§. XII.

Tandem ad officia humanitatis referre nullus dubito *sepulturam*. Video quidem non omnes idem de ea sentire, aliis ad ius gentium a iure naturae distinctum, aliis ad ius naturae, aliis ad ius diuinum posituum prouocantibus. Ego vero illis plane subscribo, qui eam ad ius naturae referunt, quod quatenus ad integras gentes pertinet, ius gentium vocatur.

§. XIII.

Nimirum licet post mortem corpus nihil sentiat, adeoque perinde esse videatur, quicquid ei eueniat: nihilominus sufficit, quod homines dum viuunt horrore quodam percellantur, si intelligant, corpora sua insepulta abiectum iri. Adeo; ut recte nonnulli per sepulturae delegationem puniuntur, ita per eius concessio-

cessionem humanitas exercetur. Contrariorum enim contraria est ratio. Accedit, quod moribus et consuetudine hominum, in sepultura signum et monumentum honoris positum sit. Qui ergo honorem, quem iure, licet imperfecto, ab aliis exigere poterat, alicui denegat, citra dubium naturae leges migrat.

§. XIV.

Nec obstat, quod regeri potest, hominem mortuum non sentire, si hac ratione laedatur. Neque enim, ut aliquis in iuribus suis laedatur, necesse est, ut hoc sentiat, aut intelligat, aut vindicare possit. Namque et infantibus nondum natis, et furiosis iniuriam inferri posse, si iuribus quibusdam priuentur, etiam si hoc non sentiant, aut intelligant, apud omnes in confesso est. Accedit vero, quod cognati et amici defuncti eius vices velut sustineant, et adeo ius habeant, hoc officium si forte denegetur, exigendi.

§. XV.

Ast ne cavillationi locus sit, haud praetermittendum, in sepulturae voce in latiori ambitu uti, pro officia, quae cadaveribus praestari solent, siue hoc per cremationem, siue per humationem, siue alia ratione fiat. (id enim vniuersimodum a moribus gentium pendet) denotat. In hanc enim praecipua ista ratio, quod sit honoris nobis debiti declaratio, quadrat.

§. XVI.

Quemadmodum autem saepius contingit, ut aliquis iure, ceteroquin sibi competente, priuari possit, ita etiam in sepultura se res habet. Et in ciuitatibus quidem, ut dominio, dignitatibus, simplici existimatione, ita et sepultura aliquis priuari potest per modum poenae. Quod in omnibus quidem delictis atrocioribus procedit, maxime tamen in *atroxibus* crimine quam rectissime usurpatur. Cum enim ultimum poenae humanae gradum, mortem, ipsi occupauerint, adeoque nulla alia ratione puniri possint, hoc vnicum in magistratus visibus, ut plura simili scelere deterrantur, adhuc est positum.

§. XVII.

In statu naturali, cum poenas ibi non inueniant locum, nec bellicum ius obtet, nunquam licet genti mortuorum sepulturam denegare. Etenim et in bello, ut deinceps docebitur, cuncta ex fine sunt metienda. Ad finem autem belli nihil facere videtur, si cadauera insepulta abiiciantur. Ergo barbaram flagitium gentium crudelitatem, merito detestantur saniores, quae adeo nullas rationis leges in bello admittere voluerunt, ut in mortuos etiam iram furoremque suum effunderent.

SECT. X.

de

OFFICIIS CONIUGVM.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Status hominum vel naturalis est, vel aduentitijs, §. I.

De statibus aduentitijs quid generatim obseruandum?

§. II.

Quid matrimonium secundum leges naturae? §. III.

Quod ut inueniendum matrimonium homines obligentur, §. IV.

Quando haec obligatio cesset, §. V.

Matrimonii necessitas, §. VI.

Absoluitur consensu, §. VII.

Polygamia & diuortium an iuri naturae repugnent?

§. VIII.

An naturaliter imperitiam sit pones maritum? §. IX.

De gradibus consanguinitatis, et affinitatis, quid censendum? §. X.

Quo pacto matrimonium se habeat secundum leges diuinas positas vniuersales, §. XI.

Quod hodie coniuges ad eandem matrimonii formam ex pacto obligentur, §. XII.

De matrimoniorum effectibus civilibus, §. XIII.

Officia et virtutes coniugum, §. XIV.

§. I.

STatus hominum vel *naturalis* est, vel *aduentitijs*. Aduentitii ideo introducendi fuerunt, quod sine iis homo aut plane non, aut non commode viuere possit, vnde et approbante et iubente Numine, hoc factum esse, recte inde colligitur. Sunt autem eiusmodi status aduentitii quatuor; *coningalis, paternus, herilis, civilis*.

§. II.

De hisce in genere est obseruandum, primo omnem

omnem statum ex societate particulari provenire, quae aut pactis, aut legi naturali innititur: deinde officia hominum in statu quodam viuentium, ex natura et indole, praecipue ex *suu* istius status, esse metienda. Hoc enim nisi esset, frustra eiusmodi status essent introducti.

§. III.

Matrimonium itaque, unde societas et status *coniugalis* provenit, secundum *leges naturae* consideratum, pactum maris et foeminae, de corpore mutuo praebendo, procreandas sobolis causa.

§. IV.

Hocce pactum statim ab aliis in eo differt, quod homines ad istud ineundum, quandoque obligentur. Cum enim omnes status et societates minores, ad humani generis conservationem tendant, dubium non est, quin huc etiam *status matrimonialis* spectet. Per hunc enim genus humanum propagatur. Deus ergo eius auctor est, et omnino iubet, ut homines matrimonium ineant. Accedunt stimuli non frustra a natura mortalibus inditi.

§. V.

Hoc tamen, cum sit *praecipuum affirmativum* ita capiendum, ut illi qui tum ob rationes *physicas*, tum *morales*, ad contrahendum matrimonium non sunt idonei, eodem minime obligari, censeantur.

§. VI.

§. VI.

Equidem sunt qui putant, *finem* istum matrimonii etiam citra tale pactum, et statum, obtineri posse: sed falluntur. Summa enim omnium rerum confusio oritura esse, si quilibet ex qualibet suscipere liberos vellet: quae ut communem totius humani generis perniciem secum esset tractura; ita naturae hominum sociali non potest non repugnare.

§. VII.

Cum vero omne pactum requirat consensum, sequitur, quod sine *consensu* nullum possit esse matrimonium. Et hic quidem consensus ad matrimonium sufficit: minimeque necesse est, ut corporum commixtio ad eius complementum accedat.

§. VIII.

Finis etiam huius pacti, sobolis procreatio, cum obtineri possit, etiam si *vnus* vir *pluribus* jungatur foeminis, quin lege naturae istud licitum sit, nullus dubito. Ast de matrimonio vnus foeminae cum pluribus viris, secus est sentiendum. Quin nec, ut *perpetuum* hoc pactum sit, necesse est: licet ad sobolis educationem hoc valde conducat. Praeterea, ut cetera pacta, ita et matrimoniale dissolui potest mutuo dissensu: aut si alterutra pars tale quid committat, quod legibus pacti aduersatur, quorsum etiam mores asperos et inconditos refero. Quod si tamen ea lege matrimo-

nium initum sit, ut sit perpetuum, et ut viro non liceat plures foeminas ducere, omnino sancte isto pacto standum est. Et hoc sensu omnis *polygamia simultanea* et *diuortium*, extra casum adukerii et malitiosae desertionis, iuri naturae repugnant.

§. IX.

Nec finis huius societatis requirit, ut *imperium* sit penes *maritum*: ut ratio dicitur, hoc esse consultius. Ergo si ex lege naturae tantum matrimonium spectemus, coniuges aut aequales esse, aut uxori imperium tribui potest. Interim penes quemcunque sit imperium, limites eius non ultra extendi decet, quam finis matrimonii requirit.

§. X.

De gradibus consanguinitatis, et affinitatis, vehementer disputari solet. Ego ita sentio: *ascendentium* et *descendentium* matrimonia in tantum iuri naturali repugnant, in quantum inde confusio obligationum diversae naturae oritur. Quoad matrimonia fratrum et sororum, et ceterorum collateralium, haecenus nullam rationem videre potui, qua rite probari possit, ea iuri naturae aduersari.

§. XI.

Longe alia autem matrimoniorum est conditio, si secundum leges diuinas potestas vniuersales considerentur. Secundum eas enim requiritur, vnus viri et vnus foeminae coniun-

coniunctio: et quidem perpetua, nec quorumlibet, sed eorum qui in gradibus lege diuina prohibitis, se mutuo non attingunt, talis denique coniunctio, in qua imperium semper sit penes maritum: quia et finem nouum hae leges addunt, mutuuum auxilium. Secundum haec leges positiuas itaque definiri matrimonium potest, quod sit legitima, et indissolubilis vnus viri et vnus foeminae coniunctio, dinitus ad liberorum procreationem, et mutui auxilii causa, instituta.

§. XII.

Cum vero hodie inter illos, qui christianam doctrinam profitentur matrimonia ex praescripto legum diuinarum tum naturalium, tum positivarum ineantur, patet eodem pacto coniuges ad vtrasque obseruandas, obligari, adeoque *polygamiam simultaneam, diuortium etc.* hodie semper, non tantum legibus diuinis positivis, sed indirecte etiam ipsis naturalibus aduersari.

§. XIII.

Habent autem matrimonia cum aliis pactis id quoque commune, vt per leges ciuiles certa requisita illis addi possint, quae si obseruata non fuerint, in foro ciuili pro validis non habentur. Vnde patet matrimonium legitimum dici non posse, nisi haec summorum imperantium iussa accurate fuerint obseruata. Huc pertinet *benedictio sacerdotalis etc.* Coniugia autem ad *morganaticam*, et id genus alia, omnino vera

vera et legitima sunt matrimonia, licet quibusdam effectibus civilibus destituantur.

§. XIV.

Officia coniugum secundum leges tum naturales, tum positivas diuinas, sunt vel *generalia*, vel *specialia*. Generalia sunt, ut omnes qui ad matrimonium ineundum idonei sunt, illud incontinent: unde vagi concubitus, scortationes, et id genus alias impuræ commixtiones a iure naturæ damnantur: præterea ut matrimonium iis legibus contrahatur, quæ aut a Deo, aut a summo imperante, sunt præscriptæ: porro ut fides in matrimonio data sancte seruetur: et denique ut debita coniugalia utrinque præstentur. Officia specialia sunt: maritus uxorem diligit, eam prudenter regat, nutriat, defendat, etc. uxor autem in rebus ad familiam spectantibus, marito obtemperet, eum diligit, honore debito prosequatur, eodem cum illo utatur domicilio, mutuum auxilium tum in educanda sobole, tum in curanda re familiari præstet. Officia generalia producant virtutes huic statui proprias, *fidelitatem*, et *castitatem matrimonialem*: specialia, ex parte mariti, *iustitiam rectoriam matrimonialem*: ex parte uxoris, *obsequiositatem matrimonialem*.

SECT. XI.

de

OFFICIIS PARENTVM ET LIBERORVM.

Σύνοψις.

*Alter status aduentitius est paternus, §. I.**Societas paternae verum fundamentum, §. II. III. IV.**Ex fine huius societatis finit imperium parentum, & obsequium liberorum, §. V.**Cur imperium praecipue penes patrem sit, §. VI.**Eius limites, §. VII.**An se extendat vsque ad ius vitae et necis? §. VIII.**An vendi filius a patre possit? §. IX.**Quamdiu imperium pater-**num duret? §. X.**An omnes liberorum alius imperio parentum sint obnoxii? §. XI.**An liberi sub imperio paterno constituti, sibi aliquid acquirere possint? §. XII.**Quo pacto societas paternae dissoluatur? §. XIII.**De adoptione, §. XIV.**Consensus parentum an necessarius sit, ad matrimonia liberorum, §. XV.**Officia parentum, & liberorum, §. XVI.*

§. I.

Alter status aduentitius est paternus, qui fundatur in societate inter parentes et liberos, et ad horum educationem ab hominibus, approbante et iubente adeo Numine, institutus est. Necessarius autem plane fuit, cum, nisi homines ad vitam socialem educerentur, miserrimam totius humani generis faciem inde oriri necesse est.

§. II.

Fundamentum huius societatis ex lege naturae,

turae, quae praecipit, vt aliis *humanitatis officia* exhibeamus, rectissime petitur. Esti enim ista lex obligationem imperfectam saltem secum vehat: attamen si necessitas accedat, accedit autem in infantibus, in obligationem perfectam mutatur.

§. III.

Nimirum cum *infantes* omnium, saltem saniorum philosophorum consensu, homines sint, non video quare non et eadem officia erga illos praestare debeamus, quae adultis exhibere tenemur. Maximum autem quod illis praestari potest, quodque suo iure ab aliis exigunt, *humanitatis officium*, hoc est, vt alantur, et honeste educantur.

§. IV.

Praeterea totius hominum generis interest, cum in infantibus res nullam ferat moram, vt certis hominibus munus haec officia *humanitatis* exercendi, imponatur. Ad quod subendum cum nulli aptiores sint, quam ipsi parentes ob naturalem erga liberos amorem, merito inde colligitur, eos lege naturali, vt hanc curam in se suscipiant, obligari.

§. V.

Vt vero in ceteris societatibus, ita et in *paterna*, modus et limites obligationis, quam *rectissime* ex sine societatis derivantur. Finis autem huius societatis cum sit *nutritio et educatio sobria*, is vero obtineri nequeat sine *imperio*,

perio, sua sponte inde quivis intelligit, parentibus *imperium* competere, a liberis autem *obsequium* exigi.

§. VI.

Hoc autem imperium, si ex lege naturali rem metiaris, penes eum praecipue erit, qui ex pacto in societate matrimoniali et paterna superior esse debuit: ex lege diuina positiva autem, primario penes *patrem*, secundario penes *matrem* est.

§. VII.

Vt vero limites imperii paterni accuratius constituantur, dispiciendum, an parentes in statu *naturali*, an vero in statu *civilis* vivant. In priori omnino maior potestas et auctoritas ad regendam familiam requiritur, quam in posteriori. Namque ut totius civitatis interest, quo pacto liberi educantur: ita duriores castigationes, quae *poenae* rationem habent, merito sibi reseruat.

§. VIII.

In neutro tamen statu imperium paternum ad *ius vitae et necis* sese extendit. Namque hoc ad finem huius societatis non requiritur. In statu naturali tamen, si periculi magnitudo hoc exigat, licet filium ut hostem occidere: in civilitatem, saepius patres ex concessione legum hac potestate gavisos fuisse, novimus, eoque ipso summorum imperantium sustinuerunt vices.

§. IX.

§. IX.

Vendi filium a patre posse non arbitror. Saltem vi imperii paterni hoc facere nequit. Interim urgente necessitate recte permittit, ut filius se alteri in servitutem addicat, cum melius sit servire alteri, quam fame perire: quae permissio, etiam si forte intercedat pretium aliquod, proprie loquendo tamen, non est venditio.

§. X.

Ceterum durat imperium paternum, quamdiu societas illa durat. Hac enim exspirante, filioque novam familiam constituyente, et imperium patris, et obsequium filii desinunt. Sublata enim causa, tollitur effectus. Interim lex humanitatis postulat, ut filius maxima beneficia in se colata, grato animo semper agnoscat, quod tum factis, tum verbis, tum quavis *reuerentia* significatione, fieri potest.

§. XI.

Durante societate, omnes quidem actiones liberorum imperio paterno subsunt: in iis tamen actionibus, quae praecise ad societatem istant non pertinent, maior libertas illis tribui solet, si iam usu rationis polleant, quam si eodem adhuc fuerint destituti. Atque huc referri possunt, quae de *aetatis intervallis* a Grotio, aliisque, differuntur:

§. XII.

Diudicari hinc potest, quod quaeri solet:

an

an liberi sub imperio paterno constituti, sibi aliquid acquirere possint? Enim vero, si iudicio polleant, et propria industria aliquid adquirant, omnino sibi adquirunt. Imperium enim paternum facultate acquirendi, qua per naturam gaudent, eos priuare nequit. Interim si parentes indigi sint eorum, quae liberi adquisuerunt, aequitas postulat, vt in iis concedendis haud sint difficiles. Quod si autem ex rebus parentum aliquid adquirant, non sibi, sed parentibus adquirunt, cum fructus ad dominum rei pertineant, et industria liberorum, alimentis pensetur. Ast quod liberis vsu rationis destitutis donatur, liberorum est. Parentes enim in acceptione illorum vices sustinent, et nulla ratio suadet, vt liberi eodem priuentur.

§. XIII.

Dissoluitur haec societas, si liberi ob delictum e familia eiiciantur. Inde *exhaereditatio*, aut *abdicationis* sequitur, per quam tamen an alimenta liberis denegari possint? nonnulli dubitant. Sed cum alimentorum subministratio ex societate paterna fluat, hac per exhaereditationem sublata, non video quo pacto ad illam teneantur parentes.

§. XIV.

Tollitur etiam haec societas, si parentes permittunt, vt liberi ab aliis *adoptentur*. Quod quin licite fiat, dubitari nequit, cum, modo

Y

• hone-

honeste liberi educantur, perinde sit, a quo demum istud fiat. Usitatissimus autem modus hanc societatem dissolvendi est, si liberi, consentientibus parentibus, ex familia exeant, quod parentes sui commodi causa impedire nequeunt. Finis enim huius societatis hoc non permittit.

XV.

Hinc diiudicari potest, quousque parentum *consensus ad matrimonia* liberorum sit necessarius. Sane pietas et reverentia iubet, ut illorum consensum requirant, quem si denegent, idque ex causis iustis et praegnantibus, liberi illum insuper habentes, sine dubio magno crimine se obstringunt: interim si simul ex familia exeant, societasque paterna adeo dissolvatur, matrimonium non erit irritum. Non amplius enim sunt sub imperio paterno. Quod si autem alere uxorem nequeant, familiamque adeo paternam augere hoc matrimonio velint, et hinc societas paterna adhuc subsistat, iure naturae non tantum *illicitum*, sed *irritum* quoque eiusmodi matrimonium esse arbitror.

§. XVI.

Officia parentum, quae sub *iustitia rectoria paterna* comprehenduntur, ut ex haecenus dictis colligitur, sunt: sobolem nutrire, in cognitione Dei, bonis moribus, artibusque, aut scientiis instituere, vel curare ut ab aliis in iis instituantur, ut aliquando pro generis, fortunae, et in-

et indolis ratione, vtile euadat humanae societatis membrum. Officia liberorum, quae sub *obsequio fratre filiali* comprehenduntur, in eo consistunt: vt obsequium in omnibus quae legibus diuinis, aut humanis, non repugnant, parentibus exhibeant: si vero societas iam dissoluta sit, gratum animum, factis, verbisque, demonstrare non desinant.

SECT. XII.

de

OFFICIIS DOMINORVM ET SERVORVM, ET ALIIS SOCIETATIBVS MINORIBVS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Status societatisque herilis fundamentum, §. I.

Quod huius statui non obstat aequalitas naturalis, §. II.

Imperii herilibus limites, §. III.

Quid de seruis bello captis censendum, §. IV.

Et de illis qui ex eiusmodi seruis nati sunt, §. V.

De seruitute poenali, §. VI.

Quo sensu seruitus in impensam et perfectam dispescatur, §. VII.

Officia dominorum et seruorum, §. VIII.

De familia quatenus minores societates complectitur, §. IX.

De familia quatenus plurimum hominum per consanguinitatem aut affinitatem coniunctionem, denotat, §. X.

De reliquis societatis minoribus, §. XI.

§. I.

Tertius status est *herilis*, qui innititur societati inter dominum et seruum initaе, vi

Y 2

cuius

enius hic illi seruire tenetur. Fundamentum autem huius societatis est pactum, quod inter dominum et seruum intercescit. Tale vero pactum iuri naturæ non repugnat, cum alteri obedire et seruire, naturæ humanæ non aduerfetur. Quin potius cum hac ratione serui se conseruent, quod ceteroquin forte aut plane non, aut non commode facere possint, approbante et consentiente Numine, hæc societas initur.

§. II.

Nec obstat æqualitas naturalis. Hæc enim tamdiu saltem obtinet, quam diu per pacta, aut aliam naturæ legem, non imminuitur. Quod autem nonnulli dicunt, quosdam *natura* seruos esse, *de aptitudine et potentia, non autem de actu* intelligendum est.

§. III.

Limites imperii herilis ex societatis huius *sine* sunt aestimandi. Finis autem consistit in eo, *ut res familiaris domini promoveatur, et simul seruus sustentetur.* Ad hunc finem facultate castigandi et emendandi seruum, minime autem iure vitæ et necis opus est. Sed nec facultas seruum abalienandi, ad hunc finem requiritur. Vnde colligo, seruum, etiam cum qui in perpetuam seruitutem se addidit, nulla ratione a domino posse vendi.

§. IV.

Solent etiam et bello capti, in perpetuam serui-

seruitutem, sed duriores redigi. Vbi tamen itidem *consensus*, aut expressus, aut tacitus requiritur; ex cuius lege dominus ad vitam serui conseruandam, seruus autem ad quaeuis opera seruilia obstringitur. Et haec ipsa seruitus videtur priori occasionem dedisse.

§. V.

Qui ex eiusmodi seruis nascuntur, dominorum esse censentur, partim quod vitam suam ob seruos parentes dominis imputant, partim quod ex dominorum bonis nutriti sunt, et educati. Sed perperam. Quamdiu enim in seruitutem non consenserunt, domino nullum in eos imperium competit. Et licet ob beneficia a domino in eos profecta, obligati sint ad animum gratum, ex eo tamen non sequitur, quod subire seruitutem debeant. Eo minus itaque vendi possunt, quod homines non sint in commercio. Praeterea humanitas iubet, ut semper cogitemus, eos quoque homines esse: praesertim vero mitiorem conditionem promerentur, qui ex eiusmodi seruis nati sunt, cum praeter culpam suam in huncce statum deueniant.

§. VI.

Quae per modum *poenae* quibusdam imponitur seruitus, huc non pertinet: cum finis eius primarius non sit commodum aut domini aut serui, sed ut summo imperanti fiat satis.

§. VII.

§. VII.

Solent ceteroquin seruitus in *perfectam* et *imperfectam* dispesci. Vbi si per *imperfectam mercenariam*, per *perfectam* autem ea quae ex captivitate oritur, intelligatur, res ex haecenus dictis manifesta est. Sin autem ea, quae perpetua est, *perfecta* vocetur, dubium non est, quin per consensum quilibet ad eam, ut et graviora nonnulla onera, sese obstringere possit.

§. VIII.

Officia domini, quae ex *iustitia* *racloria* *bevilii* fluunt, haec sunt, ut alimenta, et quaecumque seruo promittit, illi praebeat, item ut imperio in seruos moderate et prudenter utatur. Seruorum officia, quae sub *obsequio* *seruili* continentur, haec sunt: ut quaecumque a dominis illis demandantur, bona fide exequantur, commodumque dominorum pro viribus promoveant; ut eosdem amore, et honore debito prosequantur; ut increpationes et castigationes dominorum, quamuis iniustas, patienter ferant. Hinc etiam sequitur, quod fuga sibi consulere nequeant, nisi sacuitia domini consueque progressa fuerit, ut naturae et indoli huius societatis plane repugnet.

§. IX.

Ex societatibus haecenus consideratis, tandem constituitur *familia*. In qua tamen non alia sunt officia, quam quae haecenus sunt indicata. Familia autem erga familiam, eadem obser-

obseruabit officia, quae homini erga hominem praestanda sunt.

§. X.

Aliquando tamen vox *familiae* denotat coniunctionem plurium hominum, iure sanguinis, aut nuptiarum, se inuicem attingentium. In qua duplex adeo vinculum est: *consanguinitas*, et *affinitas*: consanguinitatis duae species sunt, *agnatio*, quae per mares, et *cognatio*, quae per foeminas exoritur. Officia hominum tali vinculo iunctorum inter se sunt; vt arctiori amore se complectantur quam alios, et si priuilegia quaedam toti familiae competant, nemo alterum in eorundem vsu et exercitio turbet, vna quoque familia erga alteram leges naturae accurate obseruet. Huc spectant pacta, vt vocantur *confraternitatis*.

§. XI.

Sunt et aliae societates, praeter haecenus commemoratas, vt *academiae*, *collegia episcopum* etc. sed haec a societate ciuili dependent, et ab eadem diriguntur; nec extra ciuitates reperiuntur, aut esse possunt: quare non necesse est vt sigillatim considerentur, cum officium illorum qui in iis viuunt, a lege ciuili et praescripto summorum imperantium definiatur.

SECT. XIII.

de

OFFICIIS SVMMORVM IMPERANTIVM
ET CIVIVM.

Svvoq; sic.

Civitas, quid? §. I.*Eius finis,* §. II.*Quid requiratur ut hic finis
obtinere queat,* §. III.*Civitatis structura;* §. IV.*Summum imperium quid?*
§. V.*Est potestas summa,* §. VI.*Adeoq; et sancta ac inno-*
labilis, §. VII. VIII.*An hoc de iurisperitoribus quo-*
que ac usurpatoribus in-
teligendum? §. IX.*Quod haec potestas ad o-*
mnia se extendat, §. X.*Summi imperii auctor Deus*
est, §. XI.*Summum imperium tantum*
penes imperantem, non
autem penes populum est,
§. XII.*Interdum tamen per leges*
fundamentales circum-
scribitur, §. XIII.*An inaequaliter federatis et*
vassallis competat? §. XIV.*Quo modo voluntas civitatis*
per imperantem declara-
tur? §. XV.*Summi imperii partes seu*
intra manifestata, §. XVI.*Illorum divisio,* §. XVII.

XVIII.

De iure circa sacra praemo-
nita, XIX.*Eius fundamenta,* §. XX.*partes,* §. XXI.*Rationes quibus probatur,*
quod summa imperanti
competat, §. XXII.*De iure ferendi leges civiles*
§. XXIII. XXIV.*De iure iudiciorum,* §. XXV.*Poenarum,* §. XXVI.*De iure stricte sic dicto,*
§. XXVII.*De iure constituendi magi-*
stratus et ministros, §.

XXVIII.

Est imponendi tributa, §.

XXIX.

De iure piscationis, venatio-
nis, etc. §. XXX.*De iure conferendi dignita-*
tis, §. XXXI.*De iure commerciorum et quae*
huc pertinent, §. XXXII.*De imperio et dominio emi-*
nenti, §. XXXIII.*Forma reipublicae est vel re-*
gularis, ea quo iterum tri-
plex, §. XXXIV.

Vel irregularis, §. XXXV.
 Status quoque reipublicae vel
 rectus est vel corruptus, §.
 XXXVI.

Modus acquirendi imperium
 vel extraordinarius est,
 scilicet bellum §. XXXVII.

Vel ordinarius, ut successio,
 quae aliter in regno legi-
 timo se habet, aliter in
 patrimoniali §. XXXVIII.
 XXXIX.

Itemque vel hereditaria est,
 vel linealis, §. XL.

Ubique primogenitorum po-
 sior est conditio, §. XLI.

Quae ratio sit electionis, §.
 XLII.

Modus perveniendi ad impe-
 rium in aristocratta, et
 democratia §. XLIII.

Quo modo imperium desi-
 nat, §. XLIV.

Civis quis et quotuplex, §.
 XLV.

Quo pacto aliquis civis esse
 desinat, §. XLVI.

De mutatione et corruptio-
 ne rerum publicarum, §.
 XLVII.

Officia imperantium pariter
 ac civium, §. XLVIII.

§. I.

Restat quartus et praecipuus status, scilicet
civilis, et officia, quae hinc fluunt. Est autem
civitas societas multorum hominum, per pacta ar-
 ctissime inter se, tum quoad voluntates, tum quo-
 ad vires, unitorum, ad communem omnium so-
 curitatem, comparata. Vocatur etiam *respubli-*
ca: licet per hanc vocem aliquando sola forma
 essentialis, denotetur, quemadmodum vice versa,
 vocabulum *civitatis* nonnunquam pro materia
 eius sumitur.

§. II.

Finis civitatis duplex est, *primarius* alius,
 alius *secundarius*. Primarius est *securitas*, hoc
 est, ut ad ductum rectae rationis contra alio-
 rum iniurias se defendere possit, unde et quo
 pacto a coetu latronum civitas differat, patet:
 secundarius, vitae maior commoditas. Ut de

Y §

postea

posteriori nemo temere dubitauerit: ita de priori, quod scilicet *securitas* sit finis ciuitatis prae-
cipuus, hominum malitia, et in contemnen-
dis naturae legibus proteſtina, nos certiores
reddit.

§. III.

Hic finis vt obtineri poſſit, neceſſe eſt pri-
mo, vt tanta adſit hominum multitudo, quan-
ta ad vim aliorum propulſandam ſufficit: de-
inde, vt iſti rite inter ſe coniungantur, ne diſ-
ſidentes, exteris in praedam cedant.

§. IV.

Coniunctio haec fieri aliter nequit, quam
per *pacta*. Et quidem cum in homine duo
vitia comprimis ſunt, quae vitae ciuili repu-
gnant, procliuſitas ab aliis diſſentiendi, et a-
uerſatio vitro faciendi quae eſt totius vniuer-
ſitatis ſunt: priori quidem obuiam itur per
unionem voluntatum, poſteriori, per *unionem*
virium. Vt voluntates vniantur, non ſufficit
pactum, quo conciuſes ſunt, ſed requiritur in-
ſuper *decreetum* de certa regiminis forma, quia
plurium hominum voluntates vniri neque-
unt, niſi voluntati vnus perſonae, ſiue phy-
ſicae, ſiue moralis, ſubdantur. Virium autem
vnio, per quam poſteriori vitio obuiam itur,
fit per *nouum pactum* inter imperatorem, et ci-
ues, quo ille quidem ad curam communis ſe-
curitatis et ſalutis, hi autem ad obſequium ſo-
bſtringunt, et ſimul virium ac facultatum ſu-
arum

arum vsum, ad securitatem et salutem totius ciuitatis illi deferunt. Haec philosophia de origine ciuitatum docet: ceterum si historiam consulamus, vix vllum.prehendere exemplum licebit, ciuitatis, quae regulariter et per eiusmodi pacta expressa, coaluerit.

§. V.

Vt itaque ciues *materiam*: ita summum imperium *formam*, sed essentialem, ciuitatis constituit. Et hoc quidem iuxta haecenus dicta, definiri potest, quod sit summa vbique in ciuitate potestas. Vocatur alias *maiestas*.

§. VI.

Nimirum *summa* dicitur haec potestas, quia a superiore homine in his terris non dependet, vnde et actus eius a nemine irriti reddi possunt. Hinc vero et consequitur eandem nec legibus humanis esse obnoxiam, nec ad rationes reddendas posse obstringi. Haec omnia enim superiorem inferunt. Et talem quidem potestatem finis ciuitatis requirit.

§. VII.

Sed vero et *sacrositas ac inuolabilitas* summorum imperantium, hinc consequitur: eamque eadem voce connotamus. Finis autem ciuitatis illam iuculenter requirit. Interim si summus imperans leges fundamentales palam trahat, et vt paucis omnia dicam, hostilem erga ciuitatem animum induat, adeoque imperans esse desinat, quo minus illi resisti queat, non video

video quid obftet. Hoc vero minime ex ſententia quorundam ciuium ; praefentem rerum ſtatum aegre ferentium, diiudicandum eſt, ſed hoſtilis imperantis animus ita ſe prodere debet, vt nemo amplius de eo dubitare poſſit: Interim in hoc caſu, vt recte Hugo Grotius monet, *perſonae imperantis parcendum eſt*, cui merito maietas, quam habuit, peculiarem venerationem conciliare cenſetur.

§. VIII.

Sed ſi imperans non tam totam rempublicam, quam vnum, aut plures ciues laedat, omnino nefas eſſe arbitror, violenta erga eum deſenſione vti, aut alia ratione vim illi inferre. Supra enim probatum dedimus, crimine non carere violentam deſenſionem, quae plurimum aut totius rei publicae perniciem ſecum vehit. Accedit, quod imperans per iniuſtum aliquod facinus, neutiquam ſummum imperium amittat. Nec obſtat, quod nonnulli regerant, hac ratione ſtatum ciuilem deteriorem fore ſtatu naturali, cum in hoc ſine deſenſione pereundum ſit, quae tamen in illo concedatur. Raro enim in ciuitate tale periculum alicui imminet, quod tamen etiam per fugam, aut alia ratione, aliquando euitare licebit: cum contra in ſtatu naturali aut ſimile, aut maius periculum, et aeque certum, longe etiam frequentius futurum eſſet, ſi ſinguli in eodem viderent.

§. IX.

IX.

Inuasoribus autem, quin ut hostibus resisti possit, dibio fere caret. Interim si consensus civium accedat, ex iis fieri possunt legitimi imperantes. De *usurpatore* itidem dispiciendum, an aut omnibus, aut plerisque consentientibus imperet? Hoc si sit, ei ut legitimo imperanti, omnino est obediendum.

§. X.

Dicitur porro in definitione, *ubique in ciuitate*, ut innuatur, hanc potestatem ad omnia ea quae in ciuitate sunt, et ad eius salutem et conseruationem pertinent, ita se extendere, ut tum homines, et eorum actiones, tum res et bona illorum eius directioni subiaceant. *Potestatis* autem nomine, indico qualitatem moralem a-ctiuam in alios homines, eorumque res et actiones, alicui competentem.

§. XI.

Ceterum licet supra a nobis assertum sit, summam hanc potestatem per pactum imperantibus deferri, hoc ipso tamen non negamus, quod *Deus* eius potestatis sit *auctor*. Quaecunque enim hominum consensu constituuntur, et ad totius humani generis salutem et felicitatem pertinent, ea *Deus* comprobare haud immerito censetur. Concurrit tamen *Deus* etiam speciali quadam ratione, voluntates civium dirigendo ut in hunc hominem, in hanc fami-

familiam, etc. summam istam dignitatem conferant. Qui autem putant, summum imperium immediate a Deo conferri, in manifesto versantur errore. Naturae enim entium moralium hoc plane repugnat; ut taceam *a terra*, quae ex ista sententia fluunt.

§. XII.

Confert itaque populus summum imperium, sed *privative*, non *cumulative*, hoc est, nihil potestatis in imperantem sibi reservat. Hoc finis civitatis requirit. Unde patet quam inepte philosophentur, qui duplicem maiestatem, *realem* et *personalem*, fingunt. Praeterquam enim quod secum pugnet, maiestatem, hoc est, summam potestatem alicui conferri, quae tamen non sit summa, dum aut alteri subiicitur, aut saltem ab altero in suis operationibus impediri potest; finis civitatis, unde potestatis huius limites diiudicandi sunt, duplicem hanc maiestatem nullo modo admittit.

§. XIII.

Dum vero haec potestas imperantibus confertur, interdum conditiones quaedam adiici solent, siue pacta specialia, quibus summus imperans, ad certam regiminis formam et modum adstringitur. Haec pacta ceteroquin *leges fundamentales* dicuntur. Per quas quidem summum imperium omnino saluum esse puto, nisi talia promiserit, quae non tantum actum aliquem summae potestatis impediunt, sed etiam

iam facultate hunc, aut illum aut aliquot summi imperii actus, exercendi, cum priuant. Si leges istae animo hostili et tyrannico violentur, subditi non quidem punire imperantem, sed obsequium tamen ei denegare, et a pacto discedere possunt.

§. XIV.

Sic et an *inaequatiter foederati*, et *vasalli* summum imperium habeant, simili fere distinctione adhibita, quam rectissime diiudicatur. In genere etiam summum imperium, non ex nominibus, aut externis institutis, similibusque documentis, sed exercitio iurium maiestaticorum cognoscendum est.

§. XV.

Tandem nec illud praetermittendum, cum *voluntas* imperantis pro voluntate ipsius ciuitatis habeatur, diuersimode tamen pro formarum accidentalium diuersitate, eandem sese exerere. Et in illis quidem rebus publicis, ubi summa rerum collata est in *concilium*, id pro voluntate ciuitatis habetur, quod *maior pars* hominum, ex quibus concilium componitur, stauerit: nisi legibus ciuilibus secus fuerit cautum.

§. XVI.

Afferuimus antea, summum quae imperantibus competit potestatem, circa omnia quae in ciuitate sunt, versari. Pro diuersitate itaque

que *obiectionum*, diuerfas sortitur denominationes. Vnde a nonnullis vt *totum* aliquod *potestatiuum* concipitur, cuius partes *iura maiestatica*, itemque regalia vocari solent.

§. XVII.

Possunt quidem tot iura maiestatica constitui, quot sunt obiecta, circa quae summa haecce potestas versatur. Sed misis aliorum sententiis, considerato reipublicae *sine*, et *termino ad quem* actiones summi imperii praecipue tendunt, cuncta ad duo capita reuocari posse, censeo. Nimirum aut cum *exteris*, aut cum *subditis* imperanti negotium intercedit. Si illud sit, oriuntur inde regalia, quae vocantur *aequiparantiae*, quae cum finis reipublicae hoc requirat, citra dubium soli imperanti summo competunt, sed limites horum iurium ex iure gentium sunt constitutendi, vnde et de iis iam supra dictum est. Sin hoc sit, oriuntur inde regalia, quae *disquiparantiae* vocantur, de quibus hoc loco agendum.

§. XVIII.

Si finem itaque reipublicae, et quo pacto imperans erga subditos se gerere debeat, consideremus,prehendimus; actiones ciuium per regulas quasdam generales dirigendas esse, hinc *facultas legislatoria*: easdem leges rite ad actus singulorum esse applicandas, hinc *facultas iudiciaria*: immorigeros autem poenis coercendos, hinc *facultas puniendi*; cumque ipse sum-

mus

mus imperans hisce muneribus semper fungi nequeat, alios constituendos esse, qui vices eius sustineant, hinc *ius ministros et magistratus* creandi: sed et cum etiam ciuitas aliquando contra hostium inuasionem sit defendenda, ciues ni sua sponte velint, ad defensionem patriae cogi posse, hinc *imperium* stricte sic dictum: praeterea, quia ad alendos ministros et opera publica magni requiruntur sumptus, eos summo imperanti esse subministrandos, hinc *ius tributa* imponendi, item vsus earum rerum, quae commode inter singulos non potuerunt diuidi, et adeo *ius venationis, piscationis* etc. deprehendimus quoque e re ciuitatis esse, vt virtutes et praeclara ciuium facta praemiis et dignitatibus compensentur, hinc *ius conferendi dignitates*: et vt commercia, et id genus alia ad salutem ciuitatis dirigantur, hinc *ius constituendi ea quae ad auctoritatem ciuitatis faciunt*, vt *ius monetae, commerciorum*, etc. denique maxime ad salutem ciuitatis pertinent, vt religio, quae et vera sit, et adeo ciuitatis conseruationi non aduersetur, in ea floreat, hinc *ius circa sacra*. Nonnulli satis concinne omnia ad tria capita, *regimen, imperium, dominium*, reuocant.

§. XIX.

De singulis nunc pauca delibabimus. Initium faciemus ab ultimo, quod praecipuum est, *iure scilicet circa sacra*. Sed vt rite intel-

Z

liga-

ligatur, quousque summo imperanti hoc competat, duo sunt obseruanda: primo imperantem tum absolute *ut imperantem*, tum *ut imperantem christianae religioni additum* posse considerari, sed in ipsa reipublicae administratione, haec debere esse coniunctissima: deinde religionem christianam quoad *externa*, directione quadam opus habere; sed hanc directionem ita instituendam esse, ne indoli et naturae huius religionis aduersetur. Haec adeo clara esse arbitror, ut a nemine in dubium vocari possint.

§. XX.

Hisce praemissis, assero, primo summum imperantem obligatum esse ut impediatur, ne religio talis introducatur, quae statum ciuitatis euertere, aut tranquillitatem per se turbare possit: multo minus itaque *atheismo* locum concedet, cum hic palam saluti ciuitatis aduersetur: deinde summum imperantem *ut christianum*, obligatum esse, ad salutem aeternam suorum ciuium promouendam, et hunc in finem illi omnem operam nauandam esse, ut vera religio floreat: sed per vim eam propagare nequit, cum natura verae religionis hoc non exigit, nec permittat, interim impedimenta, quae obstant quo minus floreat, aut in integritate sua conseruetur, recte remouere potest: non autem summi imperantis est, *praedicare verbum, administrare sacramenta* etc. namque nec

nec natura reipublicae, nec officium summi imperantis, nec indoles christianae religionis hoc requirunt.

§. XXI.

Haec cum satis manifesta sint, haud difficulter quibus partibus ius maiestatis circa sacra, absoluat, intelligitur. Nimirum, summus imperans curare debet, ut idonei *ministri* constituantur, sed ita ut inuitis nemo obstrudatur, nisi manifesta sit auditorum malitia: summus imperans corruptam ecclesiam quoad mores, et quoad dogmata, *reformare* potest: summus imperans ad religionem quandam amplectendam neminem cogere potest: si noua *haeresis* ingruat, prohibere doctoribus potest, ne noua dogmata disseminent, nisi forte pacta specialia obtent, quod si nihilofecius id faciant, punire eos potest; quidni enim hanc malitiam ut cetera delicta, rempublicam turbantia, punire posset? *seductos* in quibus nulla est malitia, punire nequit, praesertim si error per se rempublicam non turbet, omnem tamen operam nauare debet, ut in rectam viam reuocentur: summus imperans *ceremonias* et *ritus sacros* praescribere potest, in quantum cum ipsa religione non pugnant, huc et pertinet *indictio festorum* etc. summus imperans recte conuocat *concilia*, eadem dirigit, iisdem praest, et illorum decretis vim obligandi civilem addit; *disputationibus* quoque de rebus sacris modum, limites

et formam praescribere potest: qui sacris operantur, omnino summo imperanti sunt subiecti, hoc enim requirit reipublicae salus: ad summum imperantem pertinet administratio suprema *bonorum ecclesiasticorum*, constat enim quod bona ecclesiastica reuera sint publica, adeoque summi imperantis, ad certos saltem usus destinati, hinc et urgente necessitate ea abalienare, aut in alios conuertere usus, potest. Qui autem temere hoc facit, animum Numinis et religionis contemptorem palam prodit. Denique et constitutio *fori ecclesiastici* huc pertinet: de ceteris autem ex haecenus dictis iudicium ferri potest.

§. XXII.

Ita ergo cum intelligatur, quatenam iuris huius sint partes, nunc quod soli imperanti hoc competat, probo, primo quia natura ciuitatis requirit, ut omnium rerum et negotiorum suprema administratio sit penes summum imperantem: deinde, quia nec natura religionis, nec ecclesiae christianae requirit, ut penes alium quam supremum imperantem sacrorum sit dispensatio; et denique quia exemplis, et auctoritate veteris ecclesiae, idem comprobari potest.

§. XXIII.

De *legibus ciuilibus*, quos ferre summi imperantis est, nihil fere nunc addendum, cum, quae de legibus in genere dicta sunt, hic quoque

que militent. Requisita legis ciuiliſ vel generalia ſunt, quod ſcilicet debeat eſſe *honeſta, poſſibilis, utilis, vel ſpecialia*, quod loco et tempore debeat eſſe conueniens.

§. XXIV.

Ciuilium legum nomine autem veniunt etiam *leges naturales*, quatenus ciuilem obligationem habent. Vis huius obligationis in eo praecipue ſe exerit, vt poena ciuiliſ legem naturae migrantibus, ſtatuetur. Subueniunt vero leges ciuiles naturalibus et alia ratione, dando ſcilicet facultatem *actionem* inſtituendi, ſiue per ſe leges naturales obligationem perfectam habeant, ſiue e re ciuitatis ſit eam illis addere. In actionibus etiam a lege naturae non exacte definitis, *tempus, locum, perſonas*, aſſignant, aut certam *formam* negotiis praefcribunt. Legibus autem hiſce, vt et particularibus ſummorum imperantium iuſſis, tum demum obtemperandum, ſi legi diuinae non repugnent.

§. XXV.

Facultas iudiciaria, quae ab aliis *iurisdictione* vocatur tum ab ipſo imperante, ſed *independenter*, tum a magiſtratibus inferioribus, ſed *dependenter*, exercetur. Vnde et ſequitur, quod tantum a magiſtratibus inferioribus, non autem a ſummo imperante, prouocari ad alium iudicem poſſit. Vt autem iudicium rite procedat, ratio poſtulat, vt primo adſit *accuſatori*.

perinde autem est, siue accusatio fiat a laeso, siue ab illis, qui publica auctoritate ad hoc sunt constituti. Deinde ut accusato concedatur *defensio*: ne non auditus damnetur. Huc pertinent *Aduocati*. Praeterea si causa non sit liquida, ut instituat *inquisitio*. Haec autem instituat per *testes*, *iusiurandum* etc. *Tortura* ut vocatur, non tam ad inquisitionem, quam ad delicti confessionem est comparata. Denique *sententia* feratur, et quidem secundum *acta* et *probata*. Si conscientia iudicis repugnet, iterum, et quidem accuratori studio, inquisitio instituat.

§. XXVI.

Ad *poenas* autem quod attinet, itidem quae de poenis in genere dicta sunt, maximam partem ad poenas civiles etiam pertinent. Saltem in his sequentia adhuc sunt obseruanda: in poenis civilibus semper ad *utilitatem*, cum primis totius reipublicae, est respiciendum. Ideo enim imperanti facultas puniendi concessa est, ut ad utilitatem, et salutem reipublicae, eadem vteretur. Nec *omnes actus* prauisubditorum puniri possunt, sed illi saltem, qui ut puniantur, ciuitatis interest. Quoad proportionem inter poenam et delictum, cum primis etiam respiciendum ad *damnum*, quod inde redundat ad totam ciuitatem, ut quo maius hoc sit, eo grauius etiam puniatur delictum.

licitum. Praeterea summus imperans tum demum *ueniam* impertire potest, si utilitas et ratio ciuitatis hoc suadeat, aut permittat, nec poena legibus diuinis vniuersalibus sit definita. Denique in poenis ciuilibus alius pro alio puniri aequit, eum praecipuus eorum finis hac ratione obtineri sequat.

§. XXVII.

Potest vero summus imperans vitam ciuium etiam ob patriae defensionem, vi *imperii* stricte sic dicti, magnis periculis exponere. Hoc enim finis et conseruatio reipublicae exigit. Vnde sequitur, quod ciues militiam detrectantes, si nullam habeant causam de iustitia belli dubitandi, cogere possit, itemque quod possit eos obsides dare, etc.

§. XXVIII.

Ministri summorum imperantium in duplici discrimine sunt constituti. Alii enim ad negotia reipublicae administranda adhibentur cum *imperio* quodam, sed *dependente*, alii sine *imperio*. Illos in specie *magistratus* dicere moris est: his nomen generale *ministorum* haeret. Possunt autem magistratum et ministrorum tot species constitui, quot sunt obiecta, circa quae occupantur. Sic alii de totius reipublicae administratione solliciti esse iubentur, vt *consiliarii intimi*, alii iudiciis praesunt, vt *iudices*, *assessores*, *consiliarii iustitiae*, alii aerarum curam gerunt, alii sacra, alii feuda, dirigunt,

nonnullis bellicae res demandatae sunt, huc et belli *duces*, *praefecti*, etc. spectant, alii denique ad alios imperantes, ad negotia reipublicae tractanda, mittuntur, ut *legati*, quorum iterum varii sunt ordines. De omnibus in uniuersum ratio dicitur, ut tanta illis potestas et auctoritas concedatur, quantum functio illis demandata, postulat.

§. XXIX.

De *tributis* hoc saltem addendum, *omnibus* quidem *subditis* ea imponi posse, nisi praegnans ratio et utilitas reipublicae suadeat, quosdam eximere. *Rebus* etiam omnibus imponi tributa possunt, nisi itidem certa ratio obstet, ut in *sacris*, & *sordidis*. Quoad *modum* tributa colligendi hic optimus est, in quo quam accuratissime seruetur proportio: proportio inquam, non *arithmetica*, sed *geometrica*. Huc pertinet *contributio*, ut vocant, secundum *aes et libram*. Finis autem tributorum alius esse nequit, quam ut publicis necessitatibus subueniatur. Nonnulli addunt, *agnitionem summi imperii*, quam semper adesse puto, licet non semper finis tributorum sit. De *vectigalibus*, iam supradictum est.

§. XXX.

De iure *venationis*, *piscationis*, similibusque, ita censet, summis imperantibus itidem ex consensu totius civitatis, illa competere. Cum enim haec non commode inter singulos diuidan-

dantur, permanferunt in prima occupatione penes totam ciuitatem. Haec imperantibus, quod ceteroquin non sine ingentibus sumptibus reipublica administrari poffit, illa concessit. Hinc et prohibere venationem, aut aliis eam concedere poffant. Ratio tamen iubet, vt hocce etiam iure ad salutem et felicitatem reipublicae vtantur. De iure *fluminum mineralium*, etc. eadem ratio ne est existimandum.

§. XXXI.

Quod ad *ius conferendi dignitates* attinet, obseruandum, existimationem aliter in statu naturali, aliter in statu ciuili considerari poffe, & hanc vel *simplicem*, vel *intensiuam* esse. Per *simplicem* aliquis pro honesto viro et bono ciue reputatur, eaque tum per status viliiores, tum per delicta, siue tolerentur publice, siue infamiam comitem habeant, imminuitur. *intensiuam* autem existimatio, et talis quidem quae *ius perfectum* det, in statu ciuili a solo imperante conferri potest, vtut virtutes & facta praeclara eiusdem sint fundamentum. Hoc rursus ex fine reipublicae pendet. Varietas autem dignitatum pro rerum publicarum diuersitate, fere infinita est. In Europa inter dignitates eminent *nobilitas*, tum *superior*, tum *inferior*. Sic aliae quoque sunt dignitates quae *militibus*, aliae quae *sacri ordinis viris*, aliae quae *literatis* conferri consueverunt.

§. XXXII.

Denique inter ea quae ad *αὐταρχεῖας* civitatis faciunt, eminent *commercia*. Hisce civitatem minime carere posse, experientia docet. Summi autem imperantis est dispicere, ne civitas inde aliquod detrimentum capiat. Hoc autem fit, si legibus caveat, ne eiusmodi res temere invehantur, quae ad luxuriam subditos irritare possunt, ne cum eiusmodi gentibus *commercia* instituantur, quorum mores nostram civitatem corrumpere, aut inficere possunt, et denique ne exportentur res, quarum ipsa civitas indiga est. Huc etiam pertinet *ius dirigendi civium contractus*, circa quod observandum; *monopolia* non temere esse concedenda, ob magna quae secum vehunt incommoda; *rescripta moratoria* caute, et non nisi ad inhumanitatem creditorum compescendam, debitoribus esse impartienda; cum primis *usurae* certos terminos limitesque constituendos. *Ius definiendi rerum pretia*, *ius monetae*, *ius stapulae*, *ius nundinarum*, et id genus alia, itidem huc pertinent. In quibus omnibus quid salus reipublicae exigat, non temere quinquam fugit.

§. XXXIII.

Exercitium horum iurium, quae haecenus recensuimus, duplex est, vel *ordinarium*, vel *extraordinarium*. Ordinarium vocatur, quod semper a summo imperante, ad finem siue utilitatem

tem reipublicae vsurpatur: extraordinarium autem, quod urgente demum summa et inevitabili necessitate, frequentare licet. Hoc maxime conspicuum est in *imperio*, et *dominio eminenti*. Hoc consistit in potestate summi imperantis extraordinaria, circa bona civium, quae inuitis etiam, urgente summa et inevitabili necessitate, ad salutem et conservationem civitatis, eripere potest. *Imperium* autem *eminens* voco potestatem extraordinariam summi imperantis, circa personas civium: qua v. g. si hostis ad finem per se non illicitum, civem sibi tradi cupiat, eundem etiam inuitum tradere potest. Vtriusque, tum imperii, tum domini eminentis, limites et conditiones, ex haecenus dictis facile intelligere licet.

§. XXXIV.

Ceterum subiectum summi imperii proprium non semper vno eodemque modo se habet. Et hinc forma istae rerumpublicarum, quas accidentales vocant, oriuntur. Sunt autem istae formae vel *regulares*, vel *irregulares*. Regulares sunt, quando summum imperium aut penes unum hominem est, ut in *monarchia*: aut penes concilium ex selectis civibus constans, ut in *aristocrazia*: aut penes concilium ex univrsis patribus familias compositum, ut in *politia* sive *democratia*. Singulae istae formae et commoda et incommoda sua habent: *monarchiam* tamen ceteris iure praeferrere arbitror.

§. XXXV.

§. XXXV.

Sed interdum contingit, vt summum imperium diuidatur (verbis Grotii vtor) per *partes potentiales*, hoc est, vt diuersae personae non coniunctim, sed seorsim simul *subiectum proprium* summi imperii constituent. Et inde adeo resultat forma *irregularis*, quam alii minus accurate *mixtam* vocant, cuius varii modi iterum esse possunt. Quod si autem plures ciuitates arctissimo quodam federe inter se colligentur, vt vnum corpus constituere videantur, *Systemata ciuitatum* vocari solent.

§. XXXVI.

Sunt et certi rerumpublicarum *morbi*, quorum alii ex ipso statu prauo ciuitatis, alii ex vitiis imperantium resultant. Ex his qui proueniunt, nomina peculiaria rerumpublicarum pariunt, vt corrupta monarchia vocetur *tyrannis*, corrupta aristocratia *oligarchia*, corrupta politia, *ochlocrasia*. Sed non temere hic quicquam pronunciandum: praesertim vero tyrannidos nemo arguendus est, nisi palam confiterit, eum animum hostilem erga rempublicam induisse.

§. XXXVII.

Modus acquirendi imperium monarchicum vel *extraordinarius* est, vel *ordinarius*. Extraordinarius est *bellum*, de quo obseruandum, quod tum demum hic acquirendi titulus vim suam exerat, si consensus tacitus aut expressus, populi de victi accesserit.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Ordinarius autem modus acquirendi regnum est vel *successio* vel *electio*. Et successio quidem alia est in regno *patrimoniali*, alia in regno *legitimo*, siue non patrimoniali. *Patrimoniale* autem regnum vocatur, quod iure belli aut absoluta deditioe aliquis acquisiuit, vt adeo pro lubitu istud abalienare possit. *Legitimum* est, quod a populo in certam familiam translatum est. In patrimoniali itaque successio semper instituitur secundum voluntatem antecessoris, siue expressam, siue tacitam. Tacita autem voluntas ita interpretanda est, vt talem successionem approbasse credatur, quae ad regni et familiae conseruationem maxime est accommodata. At in regno legitimo successio dependet ex voluntate populi, quae si non per legem fundamentalem fuerit expressa, partim ex consuetudine, partim ex eo colligitur, quod populus semper talem succedendi rationem approbare credatur, quae ad regni conseruationem est aptissima.

§. XXXIX.

Maxime autem ad regni conseruationem facere videtur, vt regnum non diuidatur; vt illi succedant qui a primo rege descenderunt; et quidem qui nati sunt secundum patriae leges; ita quidem vt in pari gradu masculi praeferrantur foeminis, maiores natu minoribus.

§. XL.

XL.

Cum vero praeterea successio vel *haereditaria* sit, vel *linealis*, multis gentibus placuit hanc illi praeferre: nec immerito. Cum enim in illa lites inexplicabiles oriri possint haec ad regni conseruationem longe conuenientior esse videtur. Si ab ea excludantur foeminae, *agnatica* siue *Francica*, sin admittantur, sed ita ut tum demum ad eas regressus fiat, si mares in priori aut pari gradu defecerint, *cognatica* siue *Castellana* appellatur.

§. XLI.

In omnibus hisce succedendi modis *primogenitorum*, si plerarumque gentium mores spectes, potior est conditio. In patrimoniali quidem regno, si voluntas antecessoris expresse declarata non obstat: in legitimo itidem, si expressa populi voluntate non aliter fuerit constitutum. Idque non sine ratione. Ita enim lites de successione facile euitantur: familiae et regno consulitur. Accedit, quod qui aetate praestat, iudicio etiam et petitia regnandi, ceteris praestare credatur.

§. XLII.

In regnis electiuis ius eligendi Regem populo, aut quibus a populo est concessum, competit. Quod si autem *electio* cum *successione* contendatur, utraque sua commoda pariter ac incommoda habet: successionem tamen electioni praefarendam esse, vel ex eo conficitur, quod

quod semper maiorem regni curam gerat, qui nouit filium suum sibi successurum, quam qui aliis regnum est relicturus.

§. XLIII.

In forma *aristocratica* electio duplici modo fieri consuevit: aut enim ipsi optimates ius surrogandi in loca vacantia nouos collegas habent: aut populus vniuersus per ciues eminentiores, nouos senatores eligit. In *democratia* autem hoc ipso quo aliquis ciuis fit, illis qui coniunctim imperium habent, associatur.

§. XLIV.

Definit imperium *familiae* per totius familiae interitum. *Personae* autem, per mortem, per abdicationem spontaneam, quae tum demum licita est, si salua republica fieri possit, per depositionem tyranni.

§. XLV.

De *ciuibus* denique addendum, quod hoc nomine non omnes subditi, sed primario patres familias, qui aut ipsi in societatem ciuilem coierunt, aut in illorum successerunt locum, denotentur. Definiri itaque *ciuis* potest, quod sit homo liber, qui securitatis causa, cum aliis in ciuitatem sub summo aliquo imperio coaluit. Solent in *originarios* et *adscitios*, *nobiles* et *plebeios*, diuidi.

XLVI.

Definit autem aliquis ciuis esse *consensu* ciuitatis expresso aut tacito, si scilicet aut expellatur,

latur, aut emigrare non impeditur. Nimirum omnino, si ciuitas consentiat, emigrare ciuibus licet. Quod si autem haec emigratio cum magno ciuitatis damno fiat, e. g. si cateruatim discedant, minime consentire ciuitas censetur, adeoque illicitum est.

§. XLVII.

Vt vero corpora naturalis, ita et ciuitates, *mutationi et corruptioni* sunt obnoxiae. Mutantur, cum alia regiminis forma inducitur, vt cum ex monarchia fit aristocratia. Intereunt autem tribus potissimum modis. Vel enim ipsum corpus plane extinguitur, vel fit pars alterius, vel denique in varia imperia dissoluitur. Corpus ipsum tollitur, cum populus aliquis separatim imperium constituens, extinguitur, cum abducitur in seruitutem; cum imperium aliquod in anarchiam degenerat; cum ita dissoluitur, vt ciues eius in varias spargantur oras. Pars alterius ciuitatis fit cum in aliam ciuitatem adscita particeps redditur iurium et priuilegiorum istius ciuitatis; cum imperium aliquod in formam prouinciae redigitur; cum populus liber adsciscitur in aliam ciuitatem, pluribus ordinibus constantem, ita vt pari cum illis sit iure; cum in statu irregulari ciuitas libera ita adsciscitur, vt vsus quorundam iurium maiestaticorum illi concedatur. In plura diuiditur imperium, si in plures haeredes diuidatur, quorum quilibet summa potestate

teltate gaudeat, aut si vi bellica in varias partes, quae sui iuris sint, disiliat, aut denique si mutuo consensu discedant, qui antea vnum corpus constituebant.

§. XLVIII.

Imperantium officia, quae sub *iustitia rectoria civili* comprehenduntur, huc redeunt: quaecunque ad securitatem et salutem ciuitatis conducunt, ea sunt facienda, omittenda autem, quae ei repugnant. Officia autem ciuium *vel generalia* sunt, *vel specialia*. Generalia, quae sub *obsequiositate civili* comprehenduntur, huc redeunt: imperantibus reuerentiam, fidelitatem, obsequium, exhibeant; salutem totius ciuitatis propriis commodis praeferant; erga ceteros ciues amice et pacifice se gerant. Specialia ad ministros reipublicae, tum sacros, tum ciuiles, tum militares pertinent. Summa autem huc redit; ne quis vllum in republica munus affectet aut suscipiat, ad quod se ineptum deprehendit; et vt quisque munere suo summa fide et industria fungatur.

CAP. V.

de

MEDIIS, QUIBUS AD OBSERVANDAS
LEGES HOMINES INDVCVNTVR.

SECTIO I.

de

POENA TVM DIVINA TVM HVMANA.

A a

Σύνο.

Σύνοψις.

Ut homines ad leges obseruandas adducantur, acrioribus quandoque remediis opus est, §. I.

Quo nomine poena, et bellum veniunt, §. II.

Vtrumque remediorum genus ad hominum felicitatem comparatum est, §. III.

Imo, pro praesenti humani generis conditione, necessarium est, §. IV.

Poena quid? §. V.

Cur dicatur malum passivum, item quod infligatur ob malum actionis, §. VI.

Infligitur poena tantum ab imperante, §. VII.

Et quidem necessario, §. VIII.

Finis poenae quis? et quotuplex? §. IX.

Quid requiratur, ut finis externus obtineri queat? §. X.

An omnia delicta puniri queant, §. XI.

An delictorum quandoque concedi possit venia, §. XII.

Ut proportio in poenis obseruetur, spectanda est delictorum grauitas, quae ex circumstantiis et causis aestimanda, §. XIII.

Item conditio patientis, §. XIV.

An quis puniri possit ob delictum alterius, §. XV.

De receptione delinquentium, item iure asylorum, §. XVI.

An ab uniuersitate semper poena exigi possit, §. XVII.

Monita quaedam, cum obseruanda, quando quis ob alterius delictum puniri videtur, §. XVIII.

Poena est vel diuina, vel humana, illa totuplex, quotuplices leges diuinae, §. XIX.

Poena iuris naturalis quid? et quotuplex? §. XX. XXI.

§. I.

VT medici, si regulas dieteticas homines migrando, eam corporis dispositionem contrahant, quae facile in grauissimos morbos, ipsamque mortem erumpere queat, remedia acriora quandoque adhibent, vitionem videlicet, se-

ctio.

tionem, ceteraue cum insigni quandoque molestia coniuncta: ita et si sua sponte homines eas non obseruent leges, quae ad illorum vnice comparatae sunt salutem, quod omnes tamen, qui virtuti verae operantur, faciunt, grauioribus quibusdam ad haec compellendi sunt remediis.

§. II.

Hoc vero praecipue illorum quidem est officium, qui aliis regendis praesunt, vti post Deum omnes imperantes: sed necessitas quandoque postulat, vt et illis, qui in alios imperium non habent, a supremo imperante, maxime autem a Deo ipso facultas concedatur, ad sui conseruationem, cum violentia quadam aliorum iniurias atque insultus repellendi. Vnde duplex oritur remediorum genus, quibus ad legum obseruantiam homines compelluntur, prius *poenae*, posterius autem *belli* nomine venit.

§. III.

Vtrumque remediorum genus ad hominum felicitatem est comparatum. Licet enim tum per bellum, tum per poenam, quandoque singuli homines destruantur pereantue penitus, ratio ipsa tamen docet, tum a Deo tum ab imperantibus in ciuitate, magis ad totius societatis, quam singulorum hominum salutem ac conseruationem iure meritoque respici.

§. IV.

Nimirum Deus nihil magis cupit, quam vt homines singuli ex miseris suis eluctantes, verae et aeternae felicitatis reddantur participes,

quorum moralis doctrina nos ducit. Ast cum in paucissimis hic finis obtineatur, qua est benignitate, serio cupit, uti externam saltem suam felicitatem, et tranquillitatem, leges naturae obseruando, conseruent ac promoueant. Quod ut fiat, cum non huius aut illius, sed omnium inter sit: hinc praeter eas poenas, quae vitia per naturalem quandam necessitatem consequuntur, aliis omnino coërcitionibus, quibus praesentissimum malum impediretur, opus est, per quas hominum generi externa sua felicitas constet. Proinde merito ex eo colligitur, quod non tantum in ciuitatibus, ius poenae imperantibus recte competat, sed quod aliis quoque in statu naturali uiuentibus, facultas, cum aliorum destructione se conseruandi, sit concessa.

§. V.

De poenis itaque ut initio agamus, recte definiri poenam existimamus, per malum passionis, quod a superiori seu imperante, ob malum actionis alicui infligitur.

§. VI.

Per malum passionis, intelliguntur etiam *actiones*, quatenus *molestae* sunt. Sed necesse est, ut praecedat malum actionis. Quae enim non inuitis aut sine iussu imperantis, aut saltem sine delicto antegresso alicui infliguntur mala, poenae rationem non habent.

§. VII.

§. VII.

Causa efficiens est superior seu imperans, siue is Deus, siue homo sit. Poena sequitur legis migrationem: qui ergo leges fert, punire etiam potest.

§. VIII.

Imperantes autem necessario exigunt poenam: homines quidem, quia ad hoc lege naturae obligati sunt: Deus, quia divinae iustitiae repugnat, non punire peccantes, imo quia hoc amori Dei repugnat, per quem Deus non potest non velle, ut a miseria sua quouis modo retrahantur homines. Pertinetque adeo poena ad *iustitiam rectoriam*, cuius haud ignobilis species est, *iustitia vindicativa*.

§. IX.

Finis poenae vel *internus* est vel *externus*: internum satisfactionem iustitiae constituunt, quem Deus praecipue intendat, sed caute tamen et modo Deo conuenienti hoc est intelligendum, ne in diuinam perfectionem simus iniurii. Externus respicit aut utilitatem integrae alicuius societatis, aut huius et illius hominis: et quidem vel illius, qui peccauit, ut emendetur; vel eius, qui laesus est, ut securitati eius consulatur; vel aliorum quorumlibet, ne simile quid aut faciant aut patiantur.

§. X.

Ut finis externus obtineatur, necesse quandoque est, ut delinquens vel plane e medio

tollatur, saltem vt aut voluntas aut vires nocendi illi adimantur.

§. XI.

Humanae poenae haec quidem est conditio vt omnia delicta puniri nequeant: ast in diuina secus se res habet. Omnia delicta a Numine puniri possunt: etiam ea, quae ob deprauatae naturae conditionem, hodie euitari nequeunt. Ipsi enim in culpa sumus, vt in hoc statu versemur.

§. XII.

Sic et homines, vt supra demonstratum est, recte quandoque delictorum veniam impertiant, est vt felix sit, qui Deum non amat, fieri nullo modo potest, apertamque inuoluit contradictionem. Aliunde quoque edocemur, Deum, si satisfactio non intercedat, delictorum veniam non concedere. Accedit vero, quod etiam causae, quae id hominibus permittant, hic plane cessent.

§. XIII.

Delictorum grauitatem, quae poenam intendit, metiri decet, ex obiecto, ex effectu, ex proposito prauitate, ex causa, quae peccantem impulit, aut retrahere debuit, ex agentis ad euitandum delictum aptitudine, ex vitio animi accessorio &c. Atque haec maximam partem in foro diuino quoque militant.

§. XIV.

Spectanda etiam in poenis humanis est conditio

ditio patientis : in diuinis enim, saltem iis, quae post hanc vitam infligentur, hoc locum non habet, sed et illud ad humanas saltem pertinet, quod de poenis pro diuerso reipublicae statu mitigandis aut exasperandis, praecipitur solet.

§. XV.

Ob delictum alterius nemo puniri potest, nisi ut causa moralis eius fuerit particeps. Hinc quousque singuli ob delictum vniuersitatis, communitas ob delicta singulorum, imperantes ob delicta subditorum, et vice versa, teneantur, patet.

§. XVI.

Quin etsi vnus imperans alium in poenae executione impediatur, v.g. delinquentem recipiendo, peccat, quo nomine asyla, quae quibusuis, etiam non subditis, patent, detestor: licet ceteroquin aliquis eorum vsus esse possit.

§. XVII.

Ab vniuersitate autem non semper poenam exigi posse arbitror. Licet enim pereuntibus indiuiduis semper durare videatur: merita tamen ex eorum genere sunt, quae vniuersitati non primo, et per se, sed quatenus insunt singulis, competunt.

§. XVIII.

Duo hic diligenter sunt obseruanda: primo a poena proprie sic dicta distinguendum esse

damnum, aut incommodum, quod occasione delicti ab altero perpetrati, nobis subeundum est: deinde damnum aliquando dari occasione peccati alterius, sed ex causa propria. Hinc facile intelligitur, quo pacto Deus posteros ob delicta maiorum punire dicatur, si vel maxime propria illorum non accesserint delicta. Non ergo necesse est dominium aliquod Dei absolutum hic fingere.

§. XIX.

Poena vel diuina, vel humana est: illa totplex est, quotuplices sunt leges diuinae. Posituae vniuersali responder poena capitalis homicidii: particulari, poena excidii &c.

§. XX.

Poenae iuris naturalis, vel temporales, vel aeternae sunt. Ad illas refero morbos, paupertatem &c. et alia mala, quas improbis obueniunt. A Numine haec iis immitti, prouidentia eius docet: ob delicta immitti, ex iustitia eius euincitur. Nec obstat, quod haec mala per naturalem quandam necessitatem vitia consequantur: eo minus enim uitabilia esse hinc intelliguntur, contra vero et maior virtutis et probitatis necessitas, sua quippe praemia naturae quodam ordine secum vehentis, inde apparet.

§. XXI.

Adeoque nec externa impiorum felicitas quenuquam morabitur. Haec enim non impedit

pedit, quo minus sint maxime miseri, sicuti et vir probus inter calamitates externas suo modo beatus dici potest. Accedit quod vel hinc documentum securitatis vitae, in qua bene sit bonis, malis autem male, capere queamus. Qua de re cum non sine magna probabilitate ratio quaedam ostendat, longe tamen certius ac evidentius haec ex diuinis litteris edocemur.

SECT. II.

de

BELLO IN GENERE, SPECIATIM DE
CAUSIS BELLI.

Σύνοψις.

<i>Bellum unde et quid sit?</i>	<i>sunt vel iustificas vel suasoriae, §. X.</i>
<i>§. I.</i>	
<i>An bellum gerere liceat? §. II. III.</i>	<i>Suasoriae cum vere iustificas coincidere debent, §. XI.</i>
<i>Bellum est vel defensuum vel offensuum, §. IV.</i>	<i>Quotuplici ratione bellum iniustum esse possit, §. XII. XIII.</i>
<i>Bellum punitiuum non datur, §. V.</i>	<i>De causis iustificas iniustis, §. XIV.</i>
<i>Causas bellorum speciales, variae, §. VI.</i>	<i>De causis dubiis, §. XV.</i>
<i>Limites et conditio belli defensionis, §. VII. VIII.</i>	<i>An bellum utrinque iustum esse possit? §. XVI.</i>
<i>Offensionis, §. IX.</i>	<i>De bello, quo l pro alio suscipitur, §. XVII.</i>
<i>Causas quoque bellorum</i>	

§. I.

Alter modus cogendi homines ad obseruantiam legum naturalium est bellum. E-

A a §

renim

tenim cum gentes integrae, in statu quippe naturali constitutae, communem iudicem non habent. omnium tamen salus legum naturalium observationem requirat, Deusque ipse ut se ipsam quaelibet conseruet, velit, nihil aliud superest, quam ut vim illis opponant, qui migratis naturae legibus vi eas opprimere aggrediuntur. Est itaque bellum status gentium per vim certantium, qua saluum.

§. II.

Quod vero bellum gerere liceat, sic evinco: conseruatio sui non minus singulis hominibus, quam integris gentibus a Deo est praecepta. Instinctus naturalis, quo quaelibet res ad sui conseruationem fertur, idem evincit. Si itaque per aliorum malitiam non aliter quam violenter nos conseruare queamus, cessat obligatio legis, quae alios laedere vetat, Deusque adeo bellum, sine violentam conseruationem permittere censetur, idque primo quia cum utriusque legi satisfieri nequeat, et gentes inter se sint aequales, nulla ratio adest, quare gens alteram potius quam se ipsam conseruare debeat; deinde quia Deus non praesumitur homines gentesque obligare voluisse ad istud patiendum, quod communi rerum omnium instinctui repugnat; et denique quia miserrima totius humani generis inde oritura esset facies, si probi improborum iniuriis essent expositi, et impune ab illis in perniciem dari possent. Adeoque

que tantum abest ut bellum naturae hominum sociali repugnet; ut potius ad improbos omnique honesti contemptores in officio continendos nulla efficaci sit ratio, quam si vim vi repelli, et iniustos insultus propulsari videantur.

§. III.

Accedit, quod ipse Deus in diuinis literis bellapassim approbet, quod euidensissimum nobis documentum praebet, iure naturae bellum gerere neutiquam nefas esse. Quae autem in contrarium afferri solent, aut de vindicta priuata, iure naturae quoque illicita, aut de bellis iniustis intelligenda sunt, aut eiusmodi admittunt sensum, qui nostro asserto nullo modo repugnet.

§. IV.

Conseruatio autem violenta supponit laesionem. Vnde sequitur, bellum tum demum rite geri, si gens ab alia *laedatur* aut *laesa fuerit*. Si laedatur et statim huic laesioni violenter obuiam eat, vocatur *defensio*: sin laesa fuerit, et restitutionem damni dati, non nisi armis obtinere queat, dicitur *iniuriae illatae reparatio*.

§. V.

Hugo Grotius addit *poenam*. Sed poenam non nisi a superiori siue imperante infligi posse, iam obseruatum est. Gentes autem cum inter se sint aequales, manifestum est, vnam gentem alteram punire non posse. Taceo infinita

finita mala et turbas, quae ex hac sententia fluere possent.

§. VI.

Omni^o vero hic repetendum, quod de variis modis, quibus gens aliqua laedi possit, supra docuimus. Ad tot enim classes bellorum causae speciales commode referri possunt. Saltem de existimatione addendum, tum demum belli iustam causam nobis subministrari, si quis aut simplicem, aut intensiuam, ad quam ius perfectum habemus, nobis deneget aut imminuat. Praeterea de omnibus iis, quae iure imperfecto nobis debentur, obseruandum, si casus necessitatis accedat, ius imperfectum mutari in perfectum, adeoque causam belli iustam inde enasci.

§. VII.

De *defensione* nunc porro istud neutiquam nobis praetermittendum est, quod magnum intercedat discrimen inter defensionem, quae in statu naturali ab integris gentibus, et quae in statu ciuili a singulis hominibus, cessantibus iudiciis, instituitur. Nimirum cum gentes non habeant communem iudicem, pluribus et maioribus periculis expositae sunt, quam singuli homines, et in armis omne securitatis suae praesidium collocare necesse habent. Hinc cum quarumuis rerum, cuiusuis iuris, quod aliquod momentum vehit, iactura, plura mala possit secum trahere, et hostis si videat, primos ausus feliciter sibi cessisse, ad

ad plura et maiora audenda possit allici, quam rectissime pro quarumvis rerum et iurium, quae aliquod momentum habent, defensione bellum suscipitur. Id quod in defensione eorum, qui in statu ciuili viuunt, secus se habet.

§. VIII.

Praeterea cum gentes ad pericula auertenda, nullum implorare iudicem possint, minusque consultum sit, hostis insultus expectare, possunt defensionem suam instituere, quam primum certiores factae sint, alteram gentem hostilia erga se moliri, eique et animum et vires esse, se opprimendi. Eandem quoque eousque, continuare possunt, donec sibi fuerit satisfactum, suaeque securitati ita cautum, vt in posterum similes insultus metuere non necesse habeant. Quae itidem in statu ciuili secus sunt comparata.

§. IX.

In *reparatione* eodem fere modo sese res habet. In statu ciuili a iudice haec obtinetur, in naturali per arma. Singuli in statu ciuili praeter reparationem iniuriae nihil exigere possunt: ast gentes securitatis suae, quam ciuibus iudex praestat, habent rationem.

§. X.

Solent causae belli, et recte quidem, in *iustificas* et *suasorias* dispesci. Ipsum enim principium belli non nisi valde improprie ad belli cau-

causas referri potest. *Iustificae* sunt, quibus efficitur, ut bellum iustum sit, aut tale videatur. *Suasoriae*, quibus impelluntur ad bellum suscipiendum.

§. XI.

Si itaque bellum iustum esse debet, necesse est ut non tantum causa *iustifica* sit etiam *vere iusta*, sed et ut cum *causa suasoria* coincidat, hoc est, ut nulla alia de causa bellum geramus, quam quoniam ratio dicitur, salva iustitia nos nostra defendere, aut reparationem iniuriae acceptae ab aliis exigere posse.

§. XII.

Multiplici ergo ratione, si causas species, bellum iniustum esse potest: primo si nec *iustifica* nec *suasoria* causa adsit, qualia bella recte *ferina* vocantur: quamquam dubitem, an ullum eiusmodi belli exemplum afferri possit: deinde si tantum *suasoriae* causae, nullae autem *iustificae* adsint, quae bella a *latrocinis* non differunt: porro si *iustificae* quidem adsint, sed quae si accuratius examinentur, *iniustae* sint, et denique si *iustificae*, eaeque *iustae* adsint, sed belligerans alias habeat *suasorias*, et non tam ob iustas causas, quam ob *suasorias* bellum gerat.

§. XIII.

Ex hisce iniustorum bellorum speciebus, *tertia*, et *ultima*, sunt vltimatissimae: cum non temere vlla gens tam barbara sit, quae sine
omni

omni causa iustifica bellum intulisse videri velit. Quod autem ad quartam attinet, vtur longe frequentissima sit, accurate tamen loquendo per eam non tam ipsum bellum *iniustum* redditur, quam *iniuste* geritur. Difficile quoque est huius criminis aliquem convincere, cum causae suasoriae vt plurimum lateant, saltem summo studio et industria a plerisque mortalium occultentur.

§. XIV.

At tertia species, vt non minus frequens est, ita facilius eiusmodi bellorum iniustitia detegitur. Possunt autem ad eam referri: *iniustus metus ex potentia vicini*, aut, si vicinus tale quid molitur, quod nobis quidem metum incutit, sed nondum vlllo documento certiores facti sumus, cum decreuisse nos inuadere aut opprimere. Saepius enim eiusmodi metus nos fallit, adeoque, qui ex mera suspicione alterum pro hoste reputat, sine dubio illi iniuriam infert. Porro *spurius acquirendi dominii aut imperii titulus* e. g. inuentio eorum, quae ab aliis licet barbaris et impiis, possidentur, it. donatio ab illis facta, qui non habent facultatem donandi, it. si quis ingentem ideo sibi imperium vindicet, quod cum ingenio et vsu rerum non valeat, illi conducatur, a praestantioribus regi &c. Denique *falsus iuris titulus*, quando scilicet aliquis contendit, alterum sibi aliquid iure perfecto debere, quod tamen

iure

iure saltem imperfecto debet. Huc pertinent qui ob denegatum transitum extra casum necessitatis, it: ob denegatam matrimoniorum libertatem in magna foeminarum copia, aut alia officia humanitatis ex illorum sententia non exhibita, statim arma arripiunt. Huc refero etiam studium se in libertatem vindicandi. Quamquam enim libertas naturalis est, postquam tamen semel esse amissa, sine consensu eius, qui imperium in nos habet, illam recuperare non possumus.

§. XV.

Quod si causa belli *dubia* sit, adeoque haesitemus, sitne bellum iustum an iniustum: aut si quis per errorem bellum iustum putet, quod iniustum est, et vice versa, aut ex utraque parte se ostendant argumenta probabilis, eadem obseruandae sunt regulae, quas de conscientia dubia, scrupulosa, erronea, probabili etc. tradidimus.

§. XVI.

Quaeri etiam solet, an bellum utrinque iustum esse possit? quod si de causae iustitia intelligatur, citra controuersiam negandum est. Facultas enim moralis non datur ad contraria, idque per ipsius rei naturam. Interim contingere potest, ut alter quidem habeat causam iustam, alter per ignorantiam inuincibilem nesciat, se habere causam iniustam, et adeo uterque *iuste* bellum gerat, cum ignorantia in-

uinci-

uincibilis non permittat, ut haec actio pro iniusta reputari possit. Rarò admodum tamen tale quid evenire posse, persuasus sum, cum qui bellum suscipere volunt, omnes causas summa industria excutere et soleant, et debeant.

§. XVII.

Neque tantum pro nobis, sed et pro *aliis* licite quandoque arma capimus. Quòd imperantes pro subditis hoc facere et debeant et possint, nemo inficiatus fuerit. Pacto ad hoc obstricti sunt. Eadem ratio militat in sociis et federatis. In iis, qui iisdem nobiscum imbuti sunt sacris, accedit ipsius religionis vinculum, eiusque cõservatio, ad quam quilibet obstrictus est. Succedunt amici, qui ex lege amicitiae hoc a nobis exigunt: quin omnes homines a nobis contra aliorum iniurias defendendi sunt, si sine nostro periculo hoc fieri possit. Eadem enim lex naturae, quae aliorum commoda promouere iubet, multo magis aliorum defensionem iniungit, ita quidem ut si necessitas accedat, iure perfecto ad hoc obligati simus. Pro aliorum subditis tum demum recte arma sumere licet, cum ipsi aduersus imperantem insurgere, eiusque iugum excutere possunt.

SECT. III.

de

VARIIS BELLI SPECIEBUS CVM PRIMIS
DE REPRESSALIIS.

Bb

Σύνο-

Σύνοψις.

<i>Bellorum Varietas, § I.</i>	<i>Item def. Belli mediis ordi-</i>
<i>Est bellum vel publicum, vel</i>	<i>nariis ius nostrum conse-</i>
<i>privatum, §. II.</i>	<i>quendi, §. VIII.</i>
<i>Quid de bellis inferiorum er-</i>	<i>Repressaliarum modus et li-</i>
<i>ga superioris censendum?</i>	<i>mites, §. IX.</i>
<i>§. III.</i>	<i>An omnes promiscue homi-</i>
<i>Est quoque vel imperfectum</i>	<i>nes per repressalias capi</i>
<i>vel perfectum, §. IV.</i>	<i>queant? §. X.</i>
<i>Repressaliae quid? §. V.</i>	<i>Repressaliarum effectus, §. XI.</i>
<i>A quo exerceri possint? §. VI.</i>	<i>Officia illorum, qui repres-</i>
<i>Requirunt causam liqui-</i>	<i>salias exercent, XII.</i>
<i>dam, et quae momentum</i>	<i>Earum iustitia, §. XIII.</i>
<i>tribuat, §. VII.</i>	

§. I.

Varie bellum dispescitur. Ratione *causae* aliud *iustum*, aliud *iniustum* est: utrumque vel *defensivum*, vel *offensivum*. Quoad ritus et variarum gentium mores vel *solenne*, vel *minus solenne* est: et illud quidem, sed minus accurate *iustum*, hoc, *iniustum* appellatur.

§. II.

Si autem ipsos belligerantes species, primo in *privatum* et *publicum* diuidi solet: non male quidem, si vocabulum *belli* in significato generalli accipere liceret. Namque et privati siue singuli homines, tum coram iudice, se accusando et defendendo, tum cessantibus iudiciis per vim certare possunt. Sed usus repugnat, quem penes est et ius et norma loquendi, ex cuius adeo praescripto, quod publicum est, et summorum imperantium, *bellum* appellatur.

§. III.

§. III.

Nonnulli etiam a bello, quod summi imperantes inter se gerunt, discernunt quod *inferiores erga superiores* gerunt. Ast vero inferiores aut iustam causam habent arma contra superiores capessendi, aut non habent. Si non habent, *rebellio* potius quam bellum vocabitur. Sin habeant (habere autem tum demum possunt, cum imperantes animum hostilem erga rempublicam induunt, et adeo imperantes esse desinunt,) non amplius cum superioribus illis res est, sed potius inter se aequales, et in statu naturali positi cense-ri debent. Cessat enim ibi omnis ratio imperii.

§. IV.

Tandem et in *imperfectum*, et *perfectum* bellum diuidi potest. *Perfectum* voco, quod ita geritur, ut pax plane abrumpatur, et status hostilis, et vniuersalis laedendi licentia, in eius locum succedat. *Imperfectum* autem est, quod a summis imperantibus, aut a subditis ex illorum concessione ita geritur, ut certi tantum actus bellici vsurpentur. Et huc pertinet illa belli species quam Graeci *ἐνερχυσιασμόν*, recentiores barbare *repressalias*, nonnulli minus accurate *pignoratitiam* dixerunt.

§. V.

Possunt autem *repressaliae* describi, quod sint bellum imperfectum, quod a summis imperantibus, aut subditis, summis imperantibus con-

sentientibus geritur, et quo ob denegatam vel malitiose protractam iustitiam, alterius reipublicae ciuem, aut res, capiunt, easque detinent, ut illi qui prius laesus est, satisfiat. Nonnulli huc referunt ἀνδροληψίαν, Graecis quondam maxime frequentatam, quā alterius ciuitatis homines propter homicidam nec deditum, nec punctum capiebant, et detinebant, donec alterutrum impetrarent.

§. VI.

Vnde quidem patet, *repressalias* non posse exerceri nisi a summo imperante, aut eius auctoritate. Est enim species belli. Praeterea cum facile in bellum plenum transire possint, quin ut plurimum sint quaedam belli pleni praeludia, omnino totius reipublicae interest, ne sine summi imperantis consensu aliquis tale quid audeat.

§. VII.

Necesse quoque est, ut causa *liquida* sit et momentum trahat. In causa dubia aut non satis clara, vel re nullius momenti, alterius reipublicae magistratum iniquitatis arguere, et belli pleni, inde forte secuturi, periculum subire, imprudens non minus ac illicitum est. Ut vero intelligatur iustitiam denegari, aut malitiose protracti, necesse est, ut laesus aut eius magistratus, auxilium magistratus, qui laedens subest, implora-uerit, et aut plane non fuerit auditus, aut auditus quidem, sed lis ita tractata, ut omnibus inde constet,

constet, magistratui illi non esse *omnium*, utem finire, aut accusanti ius reddere.

§. VII.

Sed requiritur insuper, ut nullum *medium ordinarium*, illud quod nobis debetur, consequendi supersit. Hinc si per compensationem nobis satisfieri possit, aut a magistratu inferiori saltem denegata sit iustitia, et adeo ad superiorem adhuc provocare liceat, nondum fas est ad repressalias proficere. Necessesse quoque est, si quis iuste *repressalis* uti velit, ut laesi magistratus ipse laedentis magistratum ad litem decidendam sollicitet, et fundamenta ac rationes, quibus laesus innixus satisfactionem postulet, per legatos, aut alia ratione luculenter proponi curet.

§. IX.

Quod si ergo laesus hac ratione nihil obtinere queat, tum demum licebit *repressalias* usurpare, ita quidem ut alterius reipublicae civis capiat, si ipse subditi in altera civitate detineantur, bona autem, si bona fuerint prius capta: si bona haberi nequeant, nihil obstat, quo minus ipsi homines capiantur. Interficere autem eos directe non licet, cum finis repressaliarum hoc nec requirat, nec permittat.

§. X.

Sed quod de subditis dictum, de *uris* et *perpetuis*,

petuis, eorumque bonis, est intelligendum, minime autem de temporariis, hoc est illis, qui aut transeundi, aut exiguae morae causa in ciuitate aliqua viuunt. Inter hosce enim, et ciuitatem, quae nos iustitiam denegando laedit, non est eiusmodi nexus, ut ab ipso, qui restitutionem vel satisfactionem nobis debet, ea exacta esse, existimari possit. *Legati* etiam hinc merito eximuntur, cum et in bello pleno inuiolabiles sint. *Foeminas* autem, clericos, literisque operantes &c: nisi forte per pacta illis fuerit prospectum, ius naturae non eximit.

§. XI.

Effectus repressaliarum hic est, ut homines capti tamdiu retineantur, donec aut ipsi, aut illorum amici, satisfactionem a laedente, aut eius magistratu, impetrauerint. Si impetrare nequeant, videntur instat obsidum habendi. Bona autem, si tempus ad satisfaciendum exspirauerit, aut laeso dari, aut vendi etiam iusto pretio possunt, ut inde solutio fiat; ita tamen ut deductis impensis, quod superest, priori domino reddatur. Is autem, cuius bona hac ratione capta sunt, aut a ciuitate sua, aut illo, qui huic damno occasionem dedit, restitutionem exigere potest.

§. XII.

Ceterum natura *repressaliarum* et ipsa ratio clarissime docet, repressalias non esse extenden-

dendas ultra damnum passum; in executione quoque non esse discedendam a praescripto concedentis; porro nihil licentius in personas captas committendum, nec res negligentius custodiendas, priusquam tempus ad satisfaciendum destinatum, effluxerit. Quae omnia ex hactenus dictis intelliguntur.

§. XIII.

Solent quidem a nonnullis repressaliae damnari ex hoc capite, quod nemo teneatur ex facto alieno. Enim vero, si accurate rem metiaris, hic ex facto alieno nemo tenetur. Factum enim magistratus, pro facto proprio cuiusvis civis, non quidem *immediate*, sed *mediate merito* habetur, cum vnusquisque, qui in aliquam societatem civilem intrat, tanquam membrum se tacite obliget. et corpore, et bonis, pro factis istius civitatis. Accedit quod civis, qui ita laeditur, per magistratum suum indemnitas praestari debeat, adeoque reuera non laedatur.

SECT. IV.

de

IIS QVAE BELLVM ANTECEDVNT.

Σύνοψις.

<i>Non licet etiam ob causam iustam statim arma ca- pere, §. I.</i>	<i>In grauioribus etiam tentan- da prius amica composi- tio, per colloquia, §. III.</i>
<i>Praesertim in rebus lenioris momenti, §. II.</i>	<i>per arbitros, §. IV. V. per sortem, §. VI. VII.</i>

Bb 4

Bellum

<i>Bellum quoque rite indicendum est, §. VIII.</i>	<i>An post indictionem bellum statim inchoandum? §. XII.</i>
<i>Idque ex iure naturae, §. IX.</i>	
<i>Indictio belli vel absoluta est vel conditionata, §. X.</i>	<i>Cui bellum indicendum sit? §. XIII.</i>
<i>In bello defensiuo superuacanea est, §. XI.</i>	<i>Forma indictionis, §. XIV.</i>

§. I.

Licet gentes inter se non habeant communem iudicem, non tamen statim, etiam si causa iusta adsit, arma corripienda sunt. Etenim cum bellum infinitam malorum cohortem secum trahat, omni studio euitandum, et omnia prius tentanda sunt, quam suscipiatur.

§. II.

Non minus ergo prudentia quam lex naturae iubet, ut leuiores damna et iniurias dissimulemus, praesertim si grauiora mala ex bello secutura sint, eorumque patientia defungentes maiora pericula et incommoda declinemus.

§. III.

Quod si res maioris momenti sit, ne tum quidem statim ad arma prouolandum est, sed annitendum potius, ut partium amica disceptatione lis componatur. Hunc in finem recte a nonnullis commendantur *colloquia*, siue inter ipsos imperantes, siue inter eorum legatos instituantur.

§. IV.

Si hoc pacto non proficiatur ad pacem, succedat altera ratio lites amice componendi, per

COM-

compromissum, hoc est, eligatur communi consensu arbiter, qui instar iudicis litem arbitrio suo decidat. Stare autem partes ligantes sententia ab arbitro lata tenentur, ob pactum quod inter illas et arbitrum intercessit. Arbitrarius contra omni effectu procul facessere iusso pronunciare debet, quod sibi aequum videbitur, idque ex lege naturali, quae omnes homines pro aequalibus agnoscendos esse iubet.

§. V.

Modus iudicandi per rationis dictamen alius esse nequit, quam ut rationes et momenta controuersiae utrinque luculenter proponantur; hinc probationes per instrumenta, testes fide dignos, iusiurandum etc: adhibeantur, et tum sententia ab arbitro feratur; quod si alterutra pars sententiam stare contra datam fidem nolit, nec manifestum sit, arbitrum munere suo minus recte functum esse, executio contra renitentes armis expedienda.

§. VI.

Denique et, si natura negotii hoc ferat, partibusque placeat, per *sortem* etiam litibus imponi finis potest. Per quam neutri parti iniuriam inferri inde constat, quod utriusque consensus praecedat. Atque huc refero etiam *certamina singularia* siue *bella*, ut vocari solent, *repraesentatitia*, si scilicet duo aut plures, ad litem finiendam armis certare parati sint, ne to-

tus populus malis grauissimis, quae bellum comitantur, implicetur. Tale certamen non modo recte permittitur. sed et recte a certaturis suscipitur. Fit enim auctoritate publica, adeoque est bellum. Perinde autem est: siue pauci, siue plures, quod in iusto praelio fit, dimicent. Habent insuper eiusmodi certamina haec commoda, ut multorum hominum sanguini et vitae partatur.

§. VII.

Bene quoque Hugo Grotius monet, licet omnes obstricti sint, ad bellum, quantum possunt, euitandum, ad hoc tamen potius obligatum esse eum, qui petit, quam qui possidet. Namque et ratio dicitur, in pari causa possidentis meliorem esse conditionem. Necessè quoque est, ut qui alterum possessione depellere cupit, claris et luculentis documentis instructus sit, quibus euincat, alterum iniustum esse possessorem. Quam diu enim aliquis persuasus est, se iustum esse possessorem, illi vitio verti nequit, si sua strenue defendat.

§. VIII.

Ceterum si spes omnis euanuerit, aut nunquam adfuerit, amice lites componendi, ille, qui se laesum putat, aliter adhuc semel monere debet, ut sibi satisfaciat, sin hoc renuat, bellum expectet. Atque hoc est, quod *indictionem belli* vocant, nonnulli etiam *ius feciale*, sumpta voce in significato angustiori, appellant.

§. IX.

§. IX.

Non ergo a moribus gentium, aut ficto quodam gentium iure, sed ab ipso *iure naturae*, quatenus ad integras gentes pertinet, bellica indictio est arcessenda. Hoc enim cum praecipiat, ut omnia prius ad lites amice componendas tentemus, quam arma arripiamus, sine dubio etiam praecipit, ut alter, quem ut hostem inuadere constituimus, hac de re certior reddatur, ut hoc quoque modo illi occasio, bellum euitandi subministretur. Atque cum omnes res bellicae ad summum imperantem spectent, ab eo quoque indictionem fieri debere, nemo inficiatus fuerit.

§. X.

Estque haec belli indictio, vel *conditionata*, quae cum rerum repetitione est coniuncta, et alias *clarigatio* dicitur, et tum maxime locum habere videtur, cum nihil antea de litibus amice finendis actum fuit, vel *pura*, qua simpliciter alterius amicitiae et societati renuntiamus, eumque hostem nostrum declaramus, quae et speciali quadam ratione et per eminentiam, *indictio* dicitur.

§. XI.

Habet autem *indictio* siue *denunciatio* saltem locum in bello, quod vocant *offensuo*, in quo semper, etiam cum legati fuerint violati, usurpanda est. In *defensuo* autem superuacua videtur, cum ibi res ipsa doceat, inuasorem constitu-

situisse armata manu, ius quod se habere putat, prosequi. Cum indictione, tamen non confundenda est belli *promulgatio*, qua subditis significatur, hunc vel illum a nobis pro hoste haberi, et nihil nisi hostilia nos ab eo expectare posse. Sed nec in repressaliis, indictione opus esse arbitror, cum repressaliae exerceri nequeant, nisi iam certo nobis constet, laedentis magistratum nobis satisfacere nolle.

§. XII.

Et potest quidem bellum post indictionem tum demum inchoari, si denuo certiores facti fuerimus, alterum vim armatam expectare malle, quam amice rem componere. Etenim si statim post denunciationem arma mouerentur, indictio et sine, et omni careret effectu.

§. XIII.

Dum imperanti bellum indicitur, omnibus etiam eius subditis indictum censetur, eo quod unam *personam moralem* constituent: quin etiam sociis eius et federatis, qui post indictionem ad partes eius accedunt, cum non aliter quam ut causae instrumentales et accessoriae, considerari possint. At si finitio bello priori, sociis oblatum auxilium seorsim bellum inferendum, sine dubio noua opus est indictione, quia bellum nouum est, nec pro accessione prioris haberi potest. Sed *exteri* merito excipiuntur, nisi facta illis discedendi copia, discedere

dere noluerint, tum enim sponte hostibus nostris accessisse censentur.

§. XIV.

Forma indictionis in eo consistit; ut summo imperanti, quocum nobis res est, nostrum consilium et propositum innotescat. Adeoque perinde est, siue indictio per legatos fiat, siue per literas, item, siue ipsi imperanti siue subditis eius indicatur bellum, modo ita fiat, ut non possit non imperanti innotescere. *Ritus* autem pro gentium varietate varii esse possunt, et à libero cuiusvis gentis arbitrio pendent, adeoque perinde est, quo pacto vnaquaeque in hisce sese gerere velit.

SECT. V.

de

IIS QVAE BELLVM COMITANTVR.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Circa modum gerendi bellum rationis etiam praescripta sequenda, §. I.

Quae ex fine belli intelliguntur, §. II.

An hostis non tantum factis, sed et verbis laedi queat? §. III.

An et quousque liceat hostem interficere? §. IV.

An ubique hoc liceat, §. V.

Captivi, supplices, et qui su-

am hosti probarunt fidem, an interfici possint? §. VI.

An veneno hostem interficere liceat? §. VII.

An liceat in eum mittere percussores? §. VIII.

Quod res hostium, etiam sacrae et religiosae vastari queant, §. IX.

Non tamen pro lubitu, sed quousque finis belli hoc requirit, §. X.

S. I.

§ I.

VI bellum *iuste* geratur, non sufficit ea accurate obseruasse, quae hactenus tradita sunt, sed requiritur insuper, vt in ipso modo belligerandi, rationis praescripta sequamur.

§. II.

Nimirum vt omnis facultas agendi ex fine limites suos accipit, ita et bellici iuris limites ex fine sunt constituendi. Tantum ergo in bello licet, quantum finis belli permittit. Sed finis non ex solo belli principio est aestimandus, sed etiam ex causis subnascentibus. Idem etiam eousque extendendus est, vt nonnulla, quae aliquando bellum necessario consequuntur, et extra istam causam neququam iuste fieri possent, in bello tamen iuste fieri censeantur. Namque si isti effectus, qui saepius praeter belligerantis propositum ex bello fluunt, illi imputari possent, nullum profecto bellum iuste et licite geri posset. Quin et innocentissimae ceteroquin actiones iniustae vocari possent, cum praeter intentionem et propositum agentis, aliquid mali inde consequi queat.

§. III.

Hinc nunc porro colligo, si finis belli hoc requirat, tum factis, tum verbis aliisque signis, hostem et laedi, et decipi etiam posse. De factis, quae vim apertam secum coniunctam habent, nemo temere dubitauerit. De illis autem, quae hostem decipiunt, quorsum et verba, et cuncta
signa

signa spectant, nonnulli dubitant. Ast vero cum iam alibi euidum sit, neminem obligatum esse semper signis verbisque ita uti, ut cum mente et cogitatis conueniant, nisi socialitatis ratio hoc exigit, et vero hostes, non in statu sociali, sed bellico versentur, in quo omnia officia et obligationes iuris naturalis, quae socialitatem supponunt, tantisper cessant, nullam rationem video, quare hostis non minus verbis factisque fictis, et adeo dolo non illicito laedi possit, quam vi aperta. Atque hinc intelligitur, quid de *iuro firmiter gematum* sit sentiendum.

§. IV.

In specie nunc ex hisce colligo, quod in bello liceat hostem *interficere*. Finis enim belli ceteroquin obtineri non posset. Non tamen in infinitum excurrit haec interficiendi licentia. Namque si finis belli, defensio, aut reparatio iniuriae illatae, sine ista coede, obtineri potest, sine dubio est illicita. Nec mores gentium illi patrocinantur. Non enim videndum, quid gentes faciant, sed quid facere debeant. Concludo itaque, quod nec *infantes*, nec *foeminae*, nec *saptiui*, nec *supplices*, nec qui *seipfos dedunt*, per se interfici possint, nisi forte exinde singulare aliquod momentum ad finem belli conferatur. Quia omnis vis, quae corpori infertur, in quantum huc non facit, plane illicita est. Unde et nunquam sine horrendo, et inexpliabili

li scelere, supra inferri foeminis possunt, cum ad finem belli, nulla ratione hoc quicquam faciat, et a plus quam barbara libidine procedat.

§. V.

Qui autem iuste interfici possunt, recte interficiuntur in *solo* proprio, hostili, nullius: neutquam autem in territorio tertii, quo cum nihil nobis est negotii, propter ius, quod illi in suum territorium competit.

§. VI.

Captivi et supplices nec per modum talionis, nec per modum poenae interfici possunt. Talio enim exercenda est in eum, qui deliquit. Poena non habet locum nisi inter imperantes et subditos. Multo minus itaque aliquis propter pertinax studium in partes, aut strenuam defensionem, interfici potest, cum laudandus potius sit ob fidem et fortitudinem, tantum abest, ut ob crimen puniri queat.

§. VII.

Veneno an hostem interficere liceat, non adeo expeditum videtur, certe moribus quarundam gentium hoc repugnat. Naturae tamen lege permissum est hosti quocumque modo nocere, modo finis habeatur ratio. An ergo et spicula, et fontes, et aquas veneno inficere liceat, hinc itidem est definiendum.

§. VIII.

Quoad *percussores*, omnino cum Hugone Grotio distinguo inter eos, qui fidem expressam, vel
taci-

tacitam violant, et qui eam non violant. Tales percussores, qui hosti nullo modo sunt obstricti, immittere, haud prorsus illicitum videtur, cum perinde sit, siue pauci, siue plures hosti noceant. Ast de illis, qui fidem violant, secus est sentiendum. Nec tantum peccant qui manum admovent, et percussorum munere funguntur, sed et qui eorum opera vtuntur. Sane cum huius facinoris causa moralis sit, qui iubet, aut eiusmodi hominum opera vtitur, effectus ipsi non imputari nequit.

§. IX.

Si vitam hostium corpusque laedere, multo magis *res* vastare, eisque eripere licet. Nec excipio *res sacras* aut *religiosas*, quippe quae eius sunt, qui summum imperium habet, et saltem ob certum finem vsunque, sacrae et religiosae appellitantur. Qui autem *res sacras*, quibus diuinitatem inesse putat, corrumpit, ideo peccat, quod contra conscientiam agit.

§. X.

Nec tamen et in rerum vastatione ultra limites progrediendum. Si enim rerum vastatio ad finem belli, pacemque accelerandam nihil conferat, eam iure naturae illicitam esse, omnino assero. Stultum sane non minus ac impium est, nullo sup bono nocere alteri. Quorum rerum vastatio itaque nobis nec necessaria, nec villo modo utilis est, eam intermitte-

Te ratio iubet. Sic cum raro admodum necessarium sit templa, statuas, aedificia tum publica, tum priuata, post victoriam corrumpere, iisdem parcere naturae leges iubent.

SECT. VI.

de

IIS QVAE BELLVM CONSEQVNTVR,
SIVE DE EFFECTIBVS BELLICIS,
ITEMQVE DE IIS QVI IN BEL-
LO MEDII SVNT.

Σύνοψις.

- | | |
|---|--|
| <i>In effectibus bellicis diiudicandis, itidem ad legem naturae respiciendum,</i> | <i>ticularis, eiusque fundamento, §. IX.</i> |
| <i>§. I.</i> | <i>Imperium in captos tantum summo imperanti acquiritur, §. X.</i> |
| <i>De acquisitione rerum, eiusque fundamento, §. II.</i> | <i>An bello capti in seruitutem redigi, aut interfici queant? §. XI.</i> |
| <i>An res exterorum iure belli acquirantur? §. III.</i> | <i>De posteris seruorum bello captorum, §. XII.</i> |
| <i>De acquisitione rerum ab ipsis hostibus iure belli acqvisitarum, §. IV.</i> | <i>Cum imperio in captum etiam iura eius incorporalia acquiri, §. XIII.</i> |
| <i>Omnia imperanti, nihil minus acquiri, §. V.</i> | <i>Diuersi effectus belli iusti et iniusti quoad imperium in captos, §. XIV.</i> |
| <i>Ex consensu imperantis militibus etiam quaedam acquiruntur, §. VI.</i> | <i>De captiuorum redemptione, et permutatione, §. XV.</i> |
| <i>Quod socis etiam ad praedae partem admittendi sint, §. VII.</i> | <i>Captiuorum redemptio legibus civilibus minus recte probabatur, §. XVI.</i> |
| <i>An ubique res hostium capere liceat? §. VIII.</i> | <i>Ius in captiuum in alterum</i> |
| <i>De acquisitione imperii par-</i> | <i>trans-</i> |

- transferri, item pretium redemptionis, pluribus deberi posse, §. XVII.*
- Conventionem de pretio redemptionis, non posse rescindi, etiamsi captus intelligatur locupletior, §. XVIII.*
- Quid censendum, si post conventionem, sed ante solutionem, mors capti interueniat? &c. §. XIX.*
- De acquisitione imperii vniuersalis, eiusque fundamento, §. XX.*
- Raro admodum iuste imperium vniuersale iure belli acquiri, §. XXI.*
- Quotuplici ratione haec acquisitio fiat, §. XXII.*
- Cuncta hic humanitate et clementia esse temperanda, §. XXIII.*
- Mediante imperio acquiri etiam res et iura incorporalia vniuersitatis, §. XXIV.*
- Postliminiam quid et quotuplex? §. XXV.*
- De illis qui postliminio reuertuntur, §. XXVI.*
- Quidnam isti recuperare, §. XXVII.*
- An res abalienatas, et earum fructus etiam recuperent? §. XXVIII.*
- Quo pacto haec in integris populis se habeant, §. XXIX. XXX.*
- De receptione rerum, §. XXXI.*
- Seruorum et ancillarum, §. XXXII.*
- Quaenam postliminio non egeant: item quid iuris si res postliminii capax, commercio ad tertium peruenerint? §. XXXIII.*
- De priuatorum officiis bellicis erga imperantes, §. XXXIV.*
- Erga hostes, §. XXXV.*
- Neutralitas quid? et quotuplex? §. XXXVI.*
- An quis ad eam cogi possit? §. XXXVII.*
- officia eorum qui medii sunt erga belligerantes, §. XXXVIII.*
- Belligerantium erga medios, §. XXXIX.*

§. I.

IN effectibus bellicis rite diiudicandis, itidem non ad mores gentium, sed ad ius naturae est respiciendum. Omnem enim bellicam acquisitionem, quae iuri naturae repugnat, illicitam

citam et nullam esse arbitror, quantumvis quoad mores gentium, pro licita reputetur.

§. II.

Primus effectus belli est *acquisitio rerum*. Vbi quidem ratio dicitur, ut, si plus ceperimus, quam exigere ab hoste poteramus, habita ratione tum debiti primarii, tum subnascentis, deducit impensis, quod superest, hosti reddamus. Videtur autem acquisitio bellica rerum habere indolem *occupationis*, ita quidem, ut vis dominii, quae in statu sociali tantum se exerere potest, in hostili tantisper suspendatur, et adeo res hostium eousque extra verum dominium positae censeantur, quousque damnum datum est restituendum. Modus itaque acquirendi rem per capturam bellicam, quam rectissime ex modo occupationis definitur. Nimirum ratione aliorum, qui non hostes nostri sunt, sufficit qualiscunque actus externus, sed ratione hostium requiritur, ut res ita in nostra potestate sit, ut eos per vim ab illa arcere queamus. Cum enim quoad hostes status socialis cesset, non sufficit, ut in occupatione, per actum externum mentem possidendi declarasse, quippe quae declaratio nullum habitura esset effectum, sed omnino requiritur, ut rem captam contra eorum insultus defendere queamus.

§. III.

Est *res exterorum*, quae forte apud hostes nostros

fitos deprehenduntur, ita per capturam non acquiruntur. Non enim sunt sine dominio: et causa, quae res hostium extra dominium ponit, in iis plane cessat. Si tamen eo consilio sint ad hostem missae, ut eum iuvent, merito habentur pro hostilibus. Quae in naui hostili deprehenduntur, tamdiu iure pro hostilibus habentur, donec probetur contrarium.

§. IV.

Si res ab ipsis hostibus bello acquisite fuerunt, dispiciendum, fueritne bellum iustum an iniustum. Si fuerit iniustum, prioris domini ius nondum exspiravit, adeoque res illi restituendas puto. Sin iustum fuerit, a nobis, qui in iusti domini locum succedimus, eas repetere nequit.

§. V.

Acquiruntur porro res in bello captae *ipsi imperanti*, cuius auspiciis bellum geritur, non autem militi aut subditis. Milites enim sunt saltem *instrumenta*, et omnia auctoritate summi imperantis agunt, hinc et omnes effectus in illum redundant. Nec admitto illorum sententiam, qui inter actus publicos et priuatos distinguunt. In bello enim priuatus ut priuatus nullam facultatem quicquam gerendi habet, sed necesse est, ut semper publica auctoritas accedat, siue haec ad quosdam, siue ad omnes actus impertiatur. Hinc milites per

se nihil in bello acquirere possunt, nisi hoc fiat ex consensu imperantis.

§. VI.

Consentit autem imperans *duplici ratione*, vel ut in genere cuihbet det facultatem res mobiles capiendi et acquirendi: quod tamen minime consultum arbitror, cum hac ratione, quod hosti infertur damnum, aestimari nequeat, an debitum superet nec ne, quod omnino, ut certi bello limites statuatur, necesse est: vel ita ut res, quae bellico iure acquisite sunt imperanti, deinceps inter milites diuidantur, quae quidem praedae diuisio, ut ex arbitrio imperantis pendet, ita diuersimode institui potest. Consentit porro imperans non semper per modum *donationis*, sed interdum *contractu*, aliquando etiam per praedae distributionem soluitur id, quod debetur, praecclare facta remunerantur, aut sumptus in bellum facti refunduntur. Habet quoque posterior hicce modus plurima commoda, inter quae haud postremum est, quod aequalitas in meritis compensandis in eo rectius obseruari possit.

§. VII.

Socios ad praedae partem admittendos esse, ratio, ut puto, luculenter suadet. Nemini enim officium damnosum esse debet. Et ut gentes obligatae sunt, ut oppressis succurrant, ita illae, quibus succurrunt, vice versa obligatae sunt, ut hoc grato agnoscant animo. Atque

que ad istud semper quidem obstrictae sunt, maxime autem et obligatione quidem perfecta, si contractus aut pactum accesserit. Subditi autem, nisi promissione imperans se obligauerit, tale quid exigere nequeunt, et adeo eius liberalitati rem totam permittere tenentur.

§. VIII.

Ceteroquin capere res hostium *ubique* licet, si discesseris a territorio eius, cum quo nihil nobis est negotii. Istud enim hac ratione turbare, nefas est.

§. IX.

Alter effectus belli est *acquisitio imperii particularis* in bello captos. Vbi si iterum rectam rationem consulimus, ex fine belli cuncta sunt metienda. Nimirum, si illi, quos iure belli capiens interficere poterat, se ipsos dedunt, eo tempore, quo hocce ius in eos exerceri poterat, ea lege, quod seruire velint, si tum eos non interficiat, oritur inde, ex proprio illorum consensu *seruitus*. Et hanc, tum a capto, si morte sua parti, pro qua militat, nullum afferre emolumentum possit, tum a victore, quod ratio dicitur, a caede, quantum fieri potest, vnumquemque se abstinere debere, morti praefendam esse, nemo dubitauerit. Et hinc an et quousque in foeminas, pueros, senes, &c. seruitus bellica cadat, diiudicari poterit.

§. X.

Sed cum milites cuncta publica auctoritate agant, et nihil sibi acquirant, sequitur, quod per captorum consensum imperium in eos non ipsis *capientibus*, sed immediate *illi, cuius auspiciis bellum gerunt*, mediate autem et per imperantis consensum, *militibus*, aliisque acquiratur.

§. XI.

Ex haecenus observatis colligo; servitutem non esse directe effectum belli, sed eandem vnicè ex consensu captorum provenire, et adeo bellum huic servituti saltem occasionem praebere: in iis tamen gentibus, quarum moribus receptum est captos in servitutem redigere, licet consensus non exprimat, tacite tamen capti consentire merito censentur: quod si autem expresse dissentiant, capienti nullum in eos acquiritur imperium, sed in ipso actu capiendi, si belli ratio hoc iusserit, eos interficere potest, aut eos custodire tenetur, donec aut redimantur, aut in servitutem consentiant. Post capturam eos interficere nequit, nisi magnum momentum ad bellum inde conferatur. Cum etiam nemo consentire credatur in eam vitae conditionem, cui mors ipsa sit praefenda, sequitur capienti non quidvis licere in servum. Non potest ergo ipsum interficere, non potest pro lubitu in eum saevire, non potest vestimenta et alimenta necessaria denega-

re &c. Qui ergo hisce legibus repugnant gentium mores, palam iniusti sunt et iniqui.

§. XII.

Quod posteri seruorum bello, captorum ad parentum suorum dominos pertineant, perperam haecenus creditum, nec iuri naturali vllatenus est conueniens. Licet enim seruorum liberi dominis suis vitam debeant, partim ob vitam parentum in bello seruatam, partim ab alimentis, licet etiam nihil habeant, quo haec beneficia compensent, nihilofecius ad nihil amplius, quam ad animum gratum, neutiquam autem ad seruitutem subeundam obligati sunt.

§. XIII.

Qui autem imperium in captum sibi acquisiuit, ad eum etiam *iura incorporalia* capti pertinent, quatenus in capientem transferri possunt. Namque quae v. g. ex singulari personae proprietate fluunt, et adeo alienari nequeunt, huc non spectant. Haec enim, si manere possunt, manent, sin non, extinguuntur.

§. XIV.

Qui bellum *iniustum* gerunt, vt licite neminem interficiunt, aut capiunt, ita nec imperium vllum in captos sibi adquirunt. Licet enim consensus etiam expressus accedat, captus tamen eodem non tenetur, eo quod capiens non habuit ius captum interficiendi, aut promissum ab eo acceptandi. Eiusmodi bellige-

Cc 5

rantes

nantes enim non differunt, saltem in hoc capite, a latronibus. Hinc et qui eiusmodi seruitutem subierunt, aufugere, et bona sua secum auferre possunt, tum durante bello, tum pace iam facta, nisi per pacem nouum seruitutis continuandae accesserit fundamentum, aut seruus oblatam a domino libertatem acceptare noluerit, et adeo nouo consensu, sese domino obligauerit. Qui autem in bello iusto capti sunt, si in seruitutem consenserint, nullo modo aufugere, dominoque se subtrahere possunt: (secus se res habet, si non consenserint) quin, ut omnes serui, domino obsequium debent, adeoque et domino castigatione eos emendaturo, resistere nequeunt.

§. XV.

Ceterum licet dominus imperium in seruum semel rite acquisitum, ob consensum eius retinere possit, humanius tamen est pro pretio non iniquo eos dimittere, quod multo magis in captis non seruis, procedit. Saepius etiam solent iussu summi imperantis captiui vtrinque permutari, quod manifesto quidem documento est, praecipue et primario ipsi imperanti ius in captos acquiri.

§. XVI.

Leges autem ciuiles captiuorum redemptionem prohibentes, non adeo probare possum. Ita enim multi innocentissimi et fortissimi viri, saepius praeter culpam suam libertate priuan-

uantur, vt patria nullum ex illis emolumentum percipere possit.

§. XVII.

Potest etiam *ius* in captiuum in alterum *transferri*, quia ex earum rerum numero est, quae alienari possunt. Sed et istud euenire potest, vt captus pretium redemptionis pluribus debeat, si scilicet ab vno, pretio nondum soluto, dimissus, capiatur ab alio.

§. XVIII.

Conuentio de pretio redemptionis facta ex eo rescindi nequit, quod captus intelligatur locupletior, quam credebatur. Namque error non est circa ipsam pacti essentiam, non adfuit etiam dolus, quia captiuus nulla lege obligatus est, vt capienti indicet, quantas possideat opes. Nec etiam vniuersalis quaedam acquisitio hic locum habet, quia quae quis ignorat, nec ad ea scienda vllum ius habet, nullo modo acquisuisse, dici potest. Naturae occupationis hoc repugnat. Hinc si captiuus pecuniam celauerit, prodesse ei ad pretium redemptionis potest.

§. XIX.

De quaestione an pretium conuentum, et ante mortem non solutum, ab haerede debeatur, recte censet Grotius, *non deberi*, si in captiuitate mortuus sit, nisi ita conuenerit, vt ab ipso contractus momento, pure debeat pretium; *deberi*, si in libertate fuerit mortuus. Recte

cte quoque asserit, eum qui dimissus est, sub pacto, ut faceret dimitti alterum, qui interea mortuus est, non teneri, ut in captiuitatem redeat. Sufficit enim, si praestet aestimationem eius, quod praestari non potest.

§. XX.

Tertius belli effectus est *acquisitio imperii uniuersalis* in victos. De qua tamen idem dicendum, quod de imperio particulari obseruauimus scilicet, quod directe ex bello non fluat, ut ut bellum eius acquisitioni occasionem suppeditet. Nimirum si debitum aut principale aut subnascens tanti sit, ut a populo, quocum nobis res est, eiusque imperante, nullo modo solui possit, et ille in eam a nobis redactus sit sortem, ut non amplius solutionem eius detrectare queat, omnino necesse est, ut eum modum satisfaciendi approbet, quem victor habita ratione debiti et principalis et minus principalis, ut et securitatis suae, praescripserit. Cum vero nihil amplius, ut victor haec omnia consequi possit, superfit, quam ut imperium eius subeat, lege naturae in hoc imperium consentire iubetur. Si consentire nolit, victori licebit, arma ut erga hostem, usurpare; sin consentiat, res expedita est. Nec obstat, quod ut plurimum metus consensum extorqueat, namque metus ille iustus est, et ab habente causam iustam incutitur; habeat quoque sibi, quod cogi debeat.

§. XXI.

§. XXI.

Quae si recte obseruentur, non adeo multa exempla imperiorum rite acquisite, deprehendere licebit. Namque et raro euenit, vt aliquis iustam belli habeat causam, rarius, vt causa belli tanti sit, vt debitum alia ratione, quam imperii cessione, solui nequeat. Hinc bellicae imperiorum acquisitiones merito suspectae sunt.

§. XXII.

Solet autem haec acquisitio imperii vniuersalis non vno modo fieri. Interdum enim populus siue ciuitatem integram, siue partem ciuitatis constituerit, victoris imperio ita subiicitur, vt ciuitas ipsa penitus tollatur, et omnes *seruitutem personalem* subire cogantur. Id quod tum demum fas fuerit, si victor alia ratione suae securitati consulere nequeat, quod tamen rarissime eueniet. Aliquando autem populus personalem quidem libertatem retinet, sed *seruitutem civilem* siue antea sub ea fuerit, siue non fuerit, subire tenetur, idque iterum duplici ratione, vel vt victor ea lege imperium ex consensu populi accipiat, qua Reges in regno *legitimo* illud habent: vel vt absolute imperium sibi vindicet, ita vt regnum in posterum in eius *patrimonio* esse censeatur. Vtrumque vel ita fieri potest, vt *formam accidentalem reipublicae mutet*, quorsum et illud pertinet, si partem imperii sibi vindicet, cetero-
rum

rum iurium administratione populo aut Regi devicto relicta, et ad rempublicam suam instituat, vel ut *forma* maneat, imperante saltem mutato e. g. cum victam rempublicam certo nexu, et vinculo sibi obstringit, tributa, praesidiaque illi imponit &c. Quae omnia ex consensu populi, quem victor pro debiti magnitudine, et securitatis suae ratione exigere potest, pendent.

§. XXIII.

Interim prudentia non minus quam lex naturae iubet *humanitati et clementiae*, quantum fieri potest, relinquere locum, et imperii rigorem temperare, quin victis libertatem et imperium, si summa non obstat necessitas, concedere, aut si hoc fieri nequeat, privilegia, magistratus, consuetudinesque non temere immutare. Cum primis religionis libertas ut illis relinquatur, par est. Saltem si falsa imbuti sint, per vim ad veram amplectendam cogi nequeunt. Hoc enim nec religionis, nec imperii, ratio iubet. Interim ne vera apud eos opprimatur, vi imperii recte impediri potest. Atque hinc patet, quodnam sit *ius victoriae*. Quod autem de *iure triumphi* nonnulli addunt, huc non spectat, gentiumque, multominus solius populi Romani mores, pro legibus reputari nequeunt.

§. XXIV.

Mediante imperio acquiruntur etiam res
et

et iura incorporalia uniuersitatis. Quin et credita pariter ac debita ad victorem transeunt. Qui enim dominus est personarum, dominus etiam est rerum et iurium, quae personis competunt.

§. XXV.

Nunc quid de *postliminio* ratio dicat, pauca edisserendum est. Vocatur autem *postliminium ius*, quod ex reditu in fines publicos, siue nostros siue sociorum et amicorum, qui in bello easdem partes sequuntur, nascitur, ita ut prior ante captiuitatem status reuiuiscat: estque duplex, aut enim *postliminio aliquis reuertitur*, aut aliquid *postliminio recipitur*.

§. XXVI.

Quod ad eos, qui *postliminio reuertuntur*, attinet, ita censeo: si in bello iusto fuere capti, et accedente consensu, in seruitutem redacti, et pactum istud per subsequenter pacificationem non fuit sublatum, ut omnem spem ad priorem statum iterum perueniendi, amittunt: ita cum velut pro mortuis habeantur, iuribus suis excidunt, et adeo post pacem factam illis *postliminium* non competit. Quoad ceteros autem, qui in bello iusto capti, aut nunquam in seruitutem consenserunt, aut si pax nondum sit secuta, secus est pronuntiandum. Perinde autem est, quocumque modo eiusmodi homo ex captiuitate euaserit, cum, ut in ea permaneret, non fuerit obligatus,

gatus, modo adit propositum sua recuperandi. Quando ergo *victi deditique* postliminio non gaudere dicuntur, non aliam inuenire rationem possum, quam quod *pactiones* cum hostibus factae obstant, quo minus sui iuris fieri queant. Interim dissimulare nequeo, me nullam perspicere causam, quare, si consentiente hoste dimittantur, postliminii non sint capaces: quin existimauerim omnes, qui ad sua redeunt, postliminii capaces esse, et licet forte hosti per iniustum discessum obligentur, inde tamen non sequitur, quod suis iuribus, quae ceteroquin sibi vindicare poterant, debeant priuari. Sane ratio clarissime dicitur, ne calamitatem eorum, qui in bello capti fuerunt, iuribus aut bonis eos priuando, augeamus.

§. XXVII.

Recuperat autem, qui ita redit, praeter libertatem, *res omnes*, quas habuerat, omnia *iura* quoque, omnesque dignitates, nisi forte reipublicae ratio postulauerit, vt aliis conferrentur, vbi tamen aequum est, vt compensationem accipiat.

§. XXVIII.

Quod si is, qui interea res istas possedit, eas *alienauerit*, nihil secius postliminii iure recuperari possunt. Id quod tum de *immobilibus*, tum de *mobilibus*, intelligo. In omnibus quippe eadem est ratio. Nec enim, nisi sub conditione

ditione, ut restituerentur pristino domino, alienari potuerunt. De *fructibus* autem consumptis arbitror, quod tantum ultimus possessor debeat restituere, quantum inde factus est locupletior.

§. XXIX.

Quod de singulis hominibus dictum, de *integris populis* etiam intelligi potest. Hi enim si vel propriis viribus, vel sociorum armis, iugum hostile, sub quod sine iusta causa missi fuerant, excusserint, sine dubio libertatem, et statum antiquum recuperant, nisi consensus obstat, aut federe sociali aliter cautum fuerit. Quod si autem aliqua pars bonorum, quae antea ad populum pertinuerant, adhuc sub potestate hostis remaneat, ius ad illam recuperandam retinet, siquidem iniuste illi sit erepta, quamdiu bellum pace nondum fuit compositum.

§. XXX.

Ast si *tertius* aliquis suo nomine hosti subactum antea populum bello eripuerit, dispiciendum, quis habeat causam iustam imperium eius populi sibi vindicandi, et in cuius imperium populus consentiat. Idem quoque de parte alicuius populi est sentiendum. Quod si pars populi vindicetur ab illo populo, a quo per vim iniustam tantisper auulsa fuit, aut istius sociis, antiquo iterum corpori adiungetur, et in pristinum locum ac iura redibit: nisi

Dd

forte

forte pacto, et federe cum sociis inito, aliter fuerit constitutum. Idem et censendum, si propriis viribus in libertatem sese vindicauerit: ad antiquum nimirum redibit corpus, si ciuitas ista iuri suo non renuntiauerit, aut alia ratione istud amiserit.

§. XXXI.

De receptione rerum obseruandum, quod res omnes, tum immobiles, vt agri, loca sacra, religiosa &c. tum mobiles, si luculenter constet, quod nostrae fuerint, iure postliminii recipiantur, sed tum demum, si hosti nullum amplius ius in eas competat, siue nullum vnquam habuerit, vt in bello iniusto, siue alia ratione compensationem fuerit nactus, vel iuri suo renuntiauerit. Nec obstat quoad res mobiles, quod dicitur, eas in praeda esse. In bello enim iniusto nulla praeda recte acquiritur: in iusto tantum praedae quidem acquiritur, quantum debiti magnitudo postulat, quod excedit, iuste acquiri nequit, interim aut iuri suo renuntiare, vel alio modo istud iterum amittere potest.

§. XXXII.

Quod de rebus dictum, de *seruis* etiam et *ancillis* est intelligendum. Et licet illi ab hoste fuerint manumissi, haec manumissio tamen prioris domini ius tollere nequit. Sufficit autem ad eorum receptionem, si a veteri domino aut habeantur, aut facile haberi queant: et a deo

deo perinde est, habeantne serui animum partes nostras sequendi, an non habeant.

§. XXXIII.

Ceterum hinc etiam patet, res quae nunquam in potestate hostis fuere, non etiam egere postliminio. Huc spectant non tantum quae a latronibus aut piratis nobis eripiuntur, sed omnia etiam quae in bello *iniusto*, aut in iusto quidem, sed *iniuste* capiuntur. Quod si res postliminii capax ad tertium commercio peruenerit, sine dubio est restituenda. Interim aequitatis ratio postulat, ut pro ea tantum soluat, quanti ipsi desperatae possessionis recuperatio valitura fuerat. Potest tamen obligatio restituendi temporis diuturnitate exspirare, siquidem derelictio ex ea recte colligi possit. Haec omnia vero, quantum ad ciues vnus eiusdemque reipublicae attinet, per leges ciuiles varie ad ciuitatis utilitatem determinari possunt.

§. XXXIV.

Quae haecenus de officiis bellicis diximus, tum ad ipsas gentes, tum singulos etiam homines, spectant. Horum tamen, ut iam alibi monitum, duplex *oratio* est: alia ad *propriam reipublicam*, alia ad *gentem*, cum qua bellum geritur. Quoad priorem, constat, quod mandatum imperantis, siue generale fuerit, siue speciale, obseruare accurate debeant. Hinc singuli in tantum praedam agere, et sibi aliquid

acquirere possunt, in quantum ab imperante illis hoc est concessum. Ergo, si omnem praedam imperanti reddere tenentur, nihil retinere possunt, &c.

§. XXXV.

Si autem eorum erga hostem officia spectes, nihil omnino priuata auctoritate agere possunt. Publica autem auctoritas, vt nocere hosti possint, plerumque per belli promulgationem, omnibus conceditur. Vbi tamen eadem regula, quae toti vniuersitati a iure naturae est praescripta, singulos quoque obligat. Nimirum tantum licet, quantum finis belli requirit. Peccant ergo, si eos interficiant, quorum vita nemini nocere magnopere poterat: peccant, si praeter necessitatem agros vastent, aedificia incendant; peccant, si praedas agant, quae debiti magnitudinem excedunt, aut quibus non tam hosti, quam hominibus longe innocentissimis nocetur, &c. Quod si quis hac ratione damnum dederit, ad eius restitutionem omnino tenetur.

§. XXXVI.

Status illorum, qui inter gentes bellum inter se gerentes, mediū sunt, barbara voce *neutralitas* dicitur: estque vel *generalis*, cum quis non est socius alterutrius belligerantium, vtut communia officia, quae gens genti debet, vtrique praestare paratus sit: vel *specialis*, vbi pacto, vel expresse, vel tacito, aliquis ad mediam hanc

hanc conditionem se obligavit. Posterius vel ita fit, vt vtraque pars in omnibus aequetur, vel vt certae res, certique actus, excipiantur.

§. XXXVII.

Quando autem quaeritur, an quis vt neutrarum partium sit, cogi possit? distinctione opus esse arbitror. Nimirum aut per modum *imperii* quis cogitur, aut *sine imperio*, solo metu. Priori modo, nemo nisi subditus cogi potest. Ast posteriori modo etiam gentes, quae inter se aequales sunt, se cogere possunt. Praeterea dispiciendum an de *facto*, an de *iure* sermo sit. De *facto* nullum est dubium, si cogens viribus sit superior. Si de *iure* sermo sit, distinguendum porro inter *neutralitatem generalem*, et *specialem*. Ad generalem ab illo, qui habet causam iustam recte quis cogi potest, hoc est, vt non magis hosti fauceat eique auxilia mittat, quam sibi. Ast ad specialem nemo cogi potest, quia vt fedus siue pactum quis mecum ineat, aut plane non, aut saltem iure imperfecto obligatus est.

§. XXXVIII.

Officia itaque eorum qui medii sunt huc redeunt: officia tum absoluta tum hypothetica, siue perfectam, siue imperfectam obligationem habeant, erga vtrumque belligerantium, eodem modo aequaliter praestent: si vni officium humanitatis praestant, alteri id non denegent, nisi causa diuersitatis manifesta sit, et

alter id nullo plane iure exigere potuerit: ad officia humanitatis vni praestanda nemo obligatus est, si videat alterum idem, eodem iure, exigere posse, et si denegot, magnis periculis se expositum iri: ea quae vsum in bello habent, nisi per pactum speciale hoc liceat, neutri subministret; nec ea quae vsum in bello non habent, nisi vtrique ea concedere paratus sit: omnem nauet operam, vt lites componantur, laeso satisfiat, et bello imponatur finis: quod si autem pacto ad actus quosdam particulares sese obligauerit, eodem accurate standum est.

§. XXXIX.

Belligerantes autem erga eos, qui medii sunt, non aliter ac socialitatis ratio postulat, sese gerant. Nihil ergo hostile erga illos moliantur, nec res illorum vastari permittant. Urgente tamen summa necessitate, licebit castrum in territorio eius, qui medius est, occupare, sed ita vt cessante necessitate, non tantum reddatur, sed damnum etiam, si quod datum, restituantur.

SECT. VII.

de

PACTIS BELLICIS VT ET DE PACE.

Σύνοψις.

Hosti quoque seruanda fides, §. I.

Etiā puniti, tyranni, perfidi &c., §. II.

Quid sentiendum, si metum accesserit, §. III.

Quando sine perfidia pacta violare liceat, §. IV.

Quid

Quid pax? §. V.
Eam soli imperantes summi
inire possunt, §. VI.
Super rebus in illorum po-
testate positis, §. VII.
Conditiones pacis, earumque
interpretatio, §. VIII.
Quotuplici modo pax rum-
patur, §. IX.
De reliquis modis bellum fi-
ntendi, §. X.
Ad firmamenta pacis perti-
nent obsides, §. XI. XII.
Et pignora, §. XIII.
Inducias quid? et quotupli-
cas? item quis earum ef-
fectus, §. XIV.
De computatione temporis in
induciis, item initio obli-

gationis, §. XV.
Quinam actus tempore indu-
ciarum illiciti sint, qui-
nam liciti, &c. §. XVI.
Quomodo induciae finian-
tur, §. XVII.
De iure commutatis, §. XVIII.
De fide minorum potestatum
in bello, §. XIX.
Quid si mandati limites
transgrediantur? §. XX.
Super quibus rebus pacisci
possint, §. XXI.
De fide privatorum in bello
publico, §. XXII.
De promissis captivorum, §.
XXIII.
De fide tactis, §. XXIV.

§ I.

Saepeius contingit, ut belligerantes *pacta* inter se incant, et haec quidem sancte servanda esse assero. Licet enim per bellum status socialis cesset, adeoque ad officia ex statu sociali fluentia nemo sit obligatus: nihilosecuius tamen, quoniam, dum cum hoste paciscimur, status hostilis, siue bellicus, tantisper quoad hunc actum tollitur; fides data omnino servanda est. Accedit, quod, si fidem hosti datam migrare liceret, nihil aliud quam diffidentia perpetua, perpetuumque inde sequi possit bellum.

§. II.

Seruanda autem pacta sunt etiam *latronibus* (sed non quatenus ut latrones metum iniustum nobis incutiunt) *piratis, tyrannis, perfidis, transfugis, rebellibus, &c.* Eo ipso enim dum cum iis paciscimur, nobis ipsis adimimus facultatem eos puniendi, si quidem subditi nostri sint, aut saltem quoad hunc actum eos idoneos esse agnoscimus et declaramus, qui ius aliquod aduersus nos sibi acquirere possint.

§. III.

Quod si *metus* accesserit, idem censendum, quod in genere de pactis metu initis dictum. Nimirum si tertius metum intulerit, fides hosti data seruanda: tertius tamen, ad damnum quod inde nobis datum est, restituendum tenetur. Si is ipse quocum nobis res est, metum nobis incusserit, et quidem iustum, seruanda est data fides: quin seruanda est, etiamsi ceteroquin belli causam iniustam habeat, et adeo hoc pacto metus iniustus dici possit. In quo quidem bellicae pactioes, a ceteris pactis multum abeunt, idque ea de causa, quod, ceteroquin nullus inueniri modus possit, bella finiendi, quae tamen ut finiantur, totius hominum generis interest. Interim qui ita consensum nobis extorquet, manet iniustus rerum quas nobis debebat, possessor. At si alio sensu metus iniustus dicatur, potest omnino efficere, ut pactum sit irritum.

§. IV.

§. IV.

Duobus tamen modis contingere potest, ut quis sine perfidiae crimine, promissum violet: primo, defectu *conditionis*, si scilicet alter non impleuerit, quod prius implere debebat: deinde, per *compensationem* rei nostrae aequivalentis, quae est apud alterum, siue alter ex contractu, siue ex alio capite nobis aliquid debeat.

§. V.

Ex pactis quae bellum finiunt, pax progignitur, hoc est status gentium, quo vnaquaeque erga alteram naturae leges obseruat, siue socialiter viuit. Ad pacem pertinet *amnestia*, cui nonnulli *restitutionem*, et *satisfactionem* addunt.

§. VI.

Possunt autem soli *summi imperantes* pacem facere. Vbi quidem in specie quod ad Reges attingit, necesse est, ut facultate consentiendi et paciscendi gaudeant, hoc est, ut sint maturi iudicii, sanae mentis, non in captiuitate, non in exilio &c. In procerum et populi imperio, valent ea, quae supra, de modo, quo ciuitas per summos imperantes, voluntatem suam exerat, dicta sunt.

§. VII.

Habent praeterea eiusmodi pactiones cum aliis pactis hoc commune, quod imperans non possit pacisci super *rebus in sua potestate non positis*.

Dd 5

positis. Quod ut rite diiudicetur, a *patrimonialibus* regnis sunt discernenda *legitima*, repetendum quoque, quod de eminenti dominio, et contractibus summorum imperantium, iam observatum est.

§. VIII.

Conditiones pacis variae esse possunt: de quibus si dubium nascatur, quo pacto intelligi debeant, ad regulas de interpretatione recurrendum est.

§. IX.

Rumpitur autem pax duobus potissimum modis: primo migrando legem socialitatis, ad quam nova pactioe obstricti eramus: deinde migrando conditiones, super quibus in pace tacite aut expresse conventum est. Prius fit, si vis bellica citra novam causam inferatur, vel ab eorum sociis (si pacis legibus ita fuerit cautum) vel ab illorum subditis, consentiente summo imperante: idque ita ut aut subditis nostris, aut sociis in pace comprehensis, ista vis inferatur. Posterius fit, quando caput pacis, maioris aut minoris momenti violatur, nisi *poena conventionis* sit adiecta, aut necessitas alterum impediuerit: ubi tamen si etiam citra necessitatem pax violata fuerit, innocenti integrum est pacem servare. Non minus et tum pax rumpitur, si quis tale quid committit, quod cum pace speciali consistere nequit.

§. X.

§. X.

Potest quoque bellum finire eo modo, quo lites omnes etiam ante bellum in statu naturali componi posse, supra diximus. Vbi tamen ab arbitrio *conciliatoris*, siue ut barbare dicitur, *mediatoris*, distinguenda est deditio, quando scilicet victi victoris arbitrio se permittunt.

§. XI.

Ad firmamenta pacis pertinent *obsides* et *pignora*. Et potest quidem imperans vi imperii eminentis etiam inuitos ciues in obsides dare. Damnum tamen quod illis ita infertur, restituere tenetur ciuitas. Interim interfici nequiquam possunt ab eo cui traditi sunt. Namque nec imperii eminentis tanta vis est, ut directe vita ciui eripi possit, nec ipse obses in suam vitam eam potestatem habet, ut suo consensu facultatem se interficiendi in alium transferre possit. Nec tamen, ut ego opinor, obses fugere potest. Obligatus enim est imperanti summo, qui eum tradidit, obtemperare. Huius autem intentionem fuisse ut obses maneret, nec aufugeret, vel ex eo clarum est, quod ceteroquin tale pactionis firmamentum merum ludibrium futurum esset. Si enim hoc modo pactum firmare voluit, citra dubium etiam voluit ut obses maneret.

§. XII.

Arbitror etiam obsidem in aliam causam retineri posse, ut *subditum*: si alia via iniuriæ illatae

latae restitutionem consequendi, non suppetat. Perinde enim est, siue hunc, siue alium subditum detineamus. Ceteroquin causa, propter quam obses traditur, expirante, ipse etiam obses liberatur. Cessante enim causa, cessat effectus. Sed mortuo Rege, qui obsides dedit, tum demum liberantur, si pactum fuerit *personale*: minime autem si *reale* fuerit, aut si obsides non meram alienae obligationis accessionem, sed partem principalem, tanquam expromissores, constituent.

§. XIII.

Pignorum eadem est ratio ac obsidum, nisi quod res ipsa doceat, in pactis nonnulla aliter de obsidibus, quam de pignoribus interpretanda esse. Potest etiam pignus praescriptione acquiri, si ex documentis consuetis, derelictio prioris domini constet.

§. XIV.

Ad pacta bellica summorum imperantium, quibus bellum non finitur, pertinent *induciae*. Sunt autem induciae status belligerantium, quo manente bello, bellicis actibus ad tempus, ex conuentione abstinendum est. Solent pro diuersitate *temporis et durationis*, item *actuum* a quibus abstinendum &c. variae earum species constitui. Effectus autem illarum est, quod, postquam tempus definitum expirauit, non opus sit noua indictione, sed statim vtraque pars ad arma redire possit.

§. XV.

§. XV.

In *temporis computatione* diem, a quo inducias ordiri placet, excludere, et diem ad quem extenduntur, includere, leges bonae interpretationis iubent. Id quod de mensibus atque annis pariter est intelligendum. Obligare autem induciae incipiunt ipsos contrahentes eo temporis momento, quo in pactione conuentum est, subditos vtrunque, ex quo ad notitiam eorum, per publicationem peruenire potuerunt: ita tamen, vt actus bellici omnes, antequam ad illorum notitiam peruenerint induciae, omni effectu careant, subditi vero a poena merito liberentur.

§. XVI.

Illiciti ergo sunt induciarum tempore omnes actus bellici, tum in homines, tum in res, siue dolo, siue aperto Marte exercentur: sed actus quibus hosti non nocetur, et qui proprie non sunt bellici, omnino liciti sunt, nisi conuentio specialis obstat. Si qui autem praeter culpam suam, et per casum fortuitum, post inducias intra fines hosticos deprehendantur, ad sua reuersuri, ad eos extendere induciarum fauorem, humanitati conueniens esse puto. Casus fortuitus enim nemini imputari potest.

§. XVII.

Finiuntur induciae vt alia pacta, dum *tempus praefinitum exspirauit*, aut *actus ad quem*
con-

concessae sunt, *absolutus* est: itemque *contraria* *pactione*, et *violatione*. Si violatae sint, statim ad arma redire licebit, ea conditione enim eas seruare tenemur, si et alter seruet: nisi poena addita, eaque petita et soluta sit ab eo qui violauit. De priuarorum actibus hostilibus, quoad inducias, ex consensu imperantium est iudicandum.

§. XVIII.

Extra inducias, nullum est ius commeandi, nisi per modum *privilegii*, aut *specialis concessio- nis*, quod et ius *salui conductus* vocari solet, quo aliquis ab omni insultu hostili immunis praestatur. Idque vel *hominibus* vel *rebus* conceditur. Interpretatio eius secundum regulas consuetas est instituenda.

§. XIX.

Quae de fide minorum potestatum in bello disputantur, ex natura *mandati* haud difficulter diiudicantur. Ut ergo qui *mandatum* accepit, tum demum mandantem obligat, si ea faciat, dicatur in quae mandans consentit: ita minorum potestatum pactis summus imperans in bello obligatur, quando id faciunt, quod officii illis demandati ratio postulat, aut quae functio specialis requirit, quae vel publice nota est, vel iis saltem, quorum res agitur, itemque quando consensus summi imperantis pactum ratum habentis, aut tacitus, aut expressus, subsequitur, et denique si summi imperantes ex pacto minorum potestatum, facti sint locupletiores, saltem in hoc casu.

casu ita quaesita, improbando tale pactum, retinere nequeunt.

§. XX.

Etiamsi ministri contra mandata occulta egerint, imperantes tamen tenentur. Sane si hoc non esset, quaelibet pacta irrita reddi possent. Non tenentur, si constet eos nolle ut cum hoc aut illo contrahatur. Potestas autem ministro tanta concessa esse semper creditur, quanta requiritur, ut munere suo fungi queat. In inferiores cuique pro officii ratione ius esse, ut pro imperii dependentis modo eos obligare possit, res ipsa docet. Si mandati fines fuerit transgressus, eodem modo res se habet, ut in sponsione. Vbi autem imperans per ministrum obstringitur, altera quoque pars obligatur.

§. XXI.

Et hinc *obiectum* quoque harum pactioinum est definiendum. Super iis rebus pacisci ministri possunt, quae non requirunt auctoritatem summi imperantis. Ergo inducias aliquando facere possunt, non autem pacem inire. Bello quaesita nemini concedere possunt: nondum quaesita interdum condonare possunt. Interpretatio denique horum pactorum ita instituenda, ut incommodum tum ex parte imperantis, tum ex parte ministri, quantum fieri possit, euitetur.

§. XXII.

Privatos in bello publico inter se semper pacisci posse, statui hostili repugnat: qui ut sola auctori-

toritate publica tantisper cessat, aut plane tollitur, ita tum demum priuatorum pacta valida esse arbitror, si consensus aut expressus, aut tacitus, summorum imperantium accesserit. Quod si lex ciuilis obstet, eam ita interpretandam ratio dicitur; ne tale quid a subditis exigere videatur, quod eorum vires et humanae conditionis modum excedit. Secus de actibus, qui prohiberi potuerunt, censendum est.

§. XXIII.

Captiuorum promissa, e. gr. de reditu in custodiam, item quod non velint fugere, tum demum valida esse arbitror, si patriae et reipublicae, cuius membra sunt, non aduersentur. Ceteroquin vt illicita, ita irrita sunt. Arbitror etiam priuatos vt eiusmodi pacta seruent, a magistratu cogi posse. Cum enim consensu summi imperantis facta sint, status hostilis, quoad hunc actum cessare videtur.

§. XXIV.

Denique de *fide tacita* obseruandum, quod ea non tantum ex silentio cum certis circumstantiis spectato, et negotii natura, non vltra finem tamen extendenda, sed ex aliis etiam signis, quae ex consuetudine significant, peti possit. Hinc et non minus hisce signis, quam verbis expressis obligamur. Ad pactum enim perinde esse videtur quo modo consensus declaratur, modo rite declaretur.

S. D. G.

**PHILOSOPHIAE PRACTICAE
PARS TERTIA**

DE

**ACTIONIBVS HOMINVM
SINGVLORVM ET INTEGRARVM
SOCIETATVM AD PRVDENTIAE
REGVLAS DIRIGENDIS.**



CAP. I.

de

NATURA ET INDOLE PRVDENTIAE CIVILIS.

Σύνοψις.

*A*ctiones hominum quatenus ad nostri status conservationem dirigendae sunt, pertinent ad prudentiam civilem, §. I.

*Q*uid hoc nomine designetur, §. II.

*E*xtendit se ad omnes status §. III.

*S*ed speciatim status societatis domesticae et civilis et illorum, qui hanc administrant, hic in censum veniunt, §. IV.

*Q*uid vulgo per prudentiam civilem et politicam intel-

ligatur, §. V.

*D*e variis significationibus socii politici, §. VI. VII.

*D*e politica architectonica ubi agendum sit, §. VIII.

*Q*uid nobis politici nomine veniat, §. IX.

*P*rudentiam status et politicam esse partem philosophiae practicae, §. X.

*V*triusque obiectum et finis, §. XI.

*N*exus cum ethica et iuris prudentia naturali. §. XII.

*T*ractandi ratio, §. XIII.

§. I.

Actiones hominum duplici ratione, ut suo loco docuimus, considerari possunt, vel prout ad legem componendae sunt, et ita *Iurisprudentia* circa illas occupatur, vel prout ad nostram, statusque nostri conservationem faciunt,

ciunt, et ita ad prudentiam *status*, seu civilem, sumpta voce in ampliori significatione, pertinent.

§. II.

Per prudentiam itaque *status*, seu civilem eam intelligo practicae philosophiae partem, quae actiones hominum dirigit, prout ad cuiusque *status* rite conseruandum pertinent.

§. III.

Extendit itaque se haec ciuilis prudentia ad omnes cuiuscunque conditionis homines, pariter ac ad omnes societates, regulasque praescribit, quas qui obseruant, illi se suumque *status* rite conseruare possunt. Applicationem tamen ad omnes *status*, aut singulorum hominum, aut integrarum societatum instituere, res infiniti negotii foret, et insuper superuacaneum.

§. IV.

Nihilofecius cum inter omnes societates emineat domestica et ciuilis, et inter singulos homines illi, qui rempublicam administrant, aut ad eius administrationem aliquid conferunt: de hisce, horumque *status* ad regulas ciuilis prudentiae componendo, paulo specialius agere, conueniens omnino fuerit.

§. V.

Cumque hactenus fere receptum fuerit, neglectis generalioribus prudentiae *status* praecceptis, tantum de societatis domesticae ac ciuilis,

uili, raro admodum de illorum, qui ciuilia tractant statu, praecipere, hinc specialis haec tractatio per eminentiam *prudētiaē ciuili*, vt et *politice* nomine insignita fuit.

§. VI.

De *politicae* voce tamen obseruandum, quod diuersimode admodum accipiatur. Namque vt alia taceam, ab ea quam hic obtinet significatione, nonnulli consue defleunt, vt mox peritiam quandam iuris, mox nescio quam peritiam alios fallendi, aut morum etiam elegantiam, aut simile quid eadem innuant. Qui si totum *prudētiaē ciuili* vel *politice* ambitum eiusmodi significatione se circumscribere putant, nec aliud quid admittunt, quod *politice* nomine tituloque dignum sit, falluntur turpiter.

§. VII.

Sed et si ab isto vocis vsu discedamus, itidem vel pro *prudētia* ciuitatem constituendi, quam alii *politica* *architectonica* vocant, et constitutam rite administrandi, tum quoad iuris naturae et gentium praescripta, tum quoad *prudētiaē ciuili* regulas, accipitur: vel tantum pro ratione ciuitatem quoad *prudētiaē ciuili* regulas administrandi. Prior significatio vtut valde vsitata, hic in censum non venit, cum praecipua iuris in ciuitatis administratione obseruanda, ad iurisprudētiaē naturalem et gentium spectent,

quam a politica discernendam esse, merito contendimus.

§. VIII.

Constitutio autem et structura civitatis cum non minus politico, quam iuris naturalis et gentium merito nota esse debeat, perinde esse puto, siue in politica, siue in iurisprudentiâ naturali tradatur, et cum iam suo loco explicata sit, hic neutiquam est repetendâ. Si quae autem iuxta civilis prudentiae monita speciatim hic observanda sunt, ex ipsa civitatis natura vnusquisque facile colligit.

§. IX.

Nec tamen tam arctis limitibus politicam in angustiiori licet significatione spectatam, circumscribo, vt tantum in ea de reipublicae administratione agendum sit, sed et simul statum summorum imperantium, a statu reipublicae distinctum, quin et eorum, qui ad reipublicae administrationem concurrunt, modumque horum status conservandi, sub hac notione comprehendendo.

§. X.

Ceterum tum prudentia status in genere, tum speciatim politica, recte habetur pro philosophiae practicae parte, cum quicquid de hac dici potest, in illam quoque quadret. Nec desunt et principia certa, imo nec in demonstrationibus suis evidentia ac certitudine destituitur, licet non semper, nec vbique ea obtineri queat.

queat. Etenim propter circumstantiarum varietatem, applicatio non aequè feliciter ubique procedit, quod tamen certitudini eius et euidentiæ, si in se spectetur, nihil derogat, et cum omnibus insuper philosophiæ practicae partibus illi commune est.

§. XI.

Obiectum itaque ut ex dictis patet, prudentiæ quidem status, sunt actiones omnium hominum, siue seorsim, siue in certis statibus spectatorum, speciatim autem politices, sunt actiones imperantium et ministrorum, prout tum hæc, tum illæ, ad prudentiam status sunt componendæ. Finis est status tum omnium et singulorum hominum, tum speciatim integrarum ciuitatum, imperantium quoque et ministrorum conseruatio.

§. XII.

Et hic quidem est finis specialis. Generalis est hominum felicitas, ad quam tota philosophia practica est comparata. Nimirum omnis veræ felicitatis fundamentum, intima hominis cum Deo coniunctio, in ethica ostenditur: conseruare hanc internam felicitatem iurisprudentia naturalis docet; externa vero quæ hominem circumstant, incommoda, rite amoliri, prudentia status ciuilibus commonstrat.

§. XIII.

Tractandi ratio hæc erit, quam in practicae

philosophiae partibus obseruare solemus, vt primum de homine in diuersis statibus considerato, tum de incommodis, quae eum in his statibus premunt, agamus: porro vt veram felicitatem externam in omnibus statibus designemus, et tandem media hanc felicitatem consequendi subiungamus: in his autem iterum primo, quid generatim omnibus hominibus, tum speciatim statui oeconomico, ciuili, imperantibus, horumque ministris, seu aulicis expediat, ordine edisseramus.

CAP. II,
de
VARIIS HOMINVM STATIBVS.

Σύνοψις.

- | | |
|---|--|
| <p><i>Cur de variis hominum statibus hic agendum? §. I.</i></p> <p><i>Quid vox status generatim denotet? §. II.</i></p> <p><i>Quid hoc loco significet? §. III.</i></p> <p><i>Speclatur hic status tum singulorum hominum, tum integratum societatum, §. IV.</i></p> <p><i>Status singulorum hominum absolute consideratorum, §. V.</i></p> <p><i>Relatiue ad alios spectatorum, §. VI.</i></p> <p><i>Statuum in quibus singuli homines viuunt, et quos</i></p> | <p><i>vita ciuili introduxit, praecipua genera, §. VII.</i></p> <p><i>Statuum horum comparatio, §. VIII.</i></p> <p><i>Quosdam status a societatibus introductos cum vera hominum felicitate consistere non posse, §. IX.</i></p> <p><i>Ob imperfectionem status isti non statim sunt reiciendi, §. X.</i></p> <p><i>Status integratum societatum variis sunt, §. XI.</i></p> <p><i>Status societatis coniugalis, §. XII.</i></p> <p><i>Paternas, §. XIII.</i></p> <p style="text-align: right;"><i>Herilis,</i></p> |
|---|--|

Herilis, §. XIV.
Civilis, §. XV.
Cur strictior et severior im-
 perandi ratio magis magis-
 que inualuerit, §. XVI.
*Imperii monarchici imperfe-
 ctio, et necessitas, §. XVII.*
*Quod diversi status haud ra-
 ro in vno homine concu-
 rant, §. XVIII.*
 Hinc deducitur, quid sit m-

isio status? §. XIX.
 Qua voce designatur inter-
 dum modus conseruandi
 rempublicam illegitimus,
 §. XX.
*aut legitimus quidem sed ex-
 traordinarius, §. XXI.*
*aut denique ratio conser-
 uandi statum imperantis,
 idque iterum diuersimodis,
 §. XXII.*

§. I.

CVM eo comparata sit haec practicae philo-
 sophiae disciplina, vt quisque rationem sta-
 tum suum prudenter conseruandi ea edo-
 ceatur, initio omnino quid status sit, et quanta
 sit illorum varietas, paucis edifferendum est.

§. II.

Generatim itaque et prout etiam ad res ra-
 tione et sensu destitutas extenditur, vox haec de-
 notat complexum eorum omnium, quae ad cu-
 iuslibet conseruationem et durationem perti-
 nent. Speciatim autem in moralibus denotat
 certam dignitatem, vel respectum potius mora-
 lem, hominibus ex consensu et conuentione ali-
 orum hominum impositum, vt ad certos hinc ef-
 fectus morales aptus reddatur, quos ceteroquin
 haud producere potuisset.

§. III.

Hoc loco autem ea omnia quae ad cuiuscun-
 que hominis status, siue in eo a natura ipsa collo-
 catus sit, siue ab aliis ei impositus sit, conser-

Et § uatio

uationem pertinent, totumque adeo externae felicitatis complexum denotat.

§. IV.

Cum vero et integrae quandoque societates instar singulorum hominum sese habeant, ita ut iis certi quoque status imponantur, qui identidem haud exiguam prudentiam, ut rite conseruentur, requirunt, imo eo maiorem, quo plurimum plerumque interest, ut saluae sint eiusmodi societates atque incolumes: manifestum est quod et horum vel maxime hic habenda sit ratio.

§. V.

Et singulorum quidem hominum, si in statu velut naturali, et extra omnem societatem constituti, considerantur, summa haec videtur esse felicitas externa, si mens sana sit in corpore sano, sique gaudeant iis, quae ad famem sitimque pellendam requiruntur, et ad regendum corpus, ac aliorum forte iniurias et insultus repellendos. Atque in eo quidem status illorum consistit.

§. VI.

Sed postquam in societates, praesertim maiores coaluerunt homines, tam arctis limitibus circumscribi status illorum non potest. Praeterquam enim quod crescentibus plurium coniunctione vitiiis, luxuria, avaritia, ambitione, inuidia, plurium quoque rerum introducta est necessitas, quibus ceteroquin haud
diffi-

difficiliter mortales carebant, ipsa natura societatis postulauit, vt certi hominum velut ordines, in quibus suus cuique assignaretur locus, constituerentur. Hinc respectus isti ciuiles, munera, dignitates, tituli, iura, quibus eorum, qui in ciuitatibus degunt, status absoluitur.

§. VII.

Horum ergo statuum, quos vita ciuilis introduxit, cum magna sit varietas, generatim tamen ad tres velut ordines praecipuos referri solent, vt primum quidem constituent, qui reipublicae administrationi praesunt, alterum qui docendo populum ac iuuentutem erudiunt, et ad vitam ciuilem aptam reddunt, certe reddere debebant, tertium denique illi, qui commerciis, opificiis, et agricultura, quae ad vitam et commode et splendide transigendam, pertinent, comparant. Ne quid nunc de illa diuersitate, quae ex dignitate oritur, et secundum quam alius status nobilium, alius plebeiorum esse censetur, dicam.

§. VIII.

Sed de hisce statibus singulorum porro obseruandum, quod si inter se comparentur, tanto quisque merito censeatur melior, quanto is est simplicior, tanto perfectior, quanto magis necessarius, tanto sanctior, quanto minus varias hominum cupiditates irritat. Nec de statuum praerogatiua ex hominum opinione iudi-

iudicandum, aut nostri temporis moribus, cum experientia doceat, eos, qui omnium maxime sunt necessarii, infimo ab omnibus loco poni.

§. IX.

Non id praetermittendum, esse quosdam status, seu vitae genera, in quibus si homo constitutus sit, neutiquam animum a philautia prava repurgare, centrumque verae et aeternae felicitatis consequi potest. Qui quidem status cum insuper superflui sint, et minus necessarii, patet, stulte agere eum, si quis eiusmodi vitae genus eligat, adeoque et frustra est, si speret, prudentiae verae ac genuinae praeceptis se ad eius conservationem uti posse.

§. X.

Reliqui vero plerumque ita comparati sunt, ut in se spectati imperfecti omnino censendi sint, meliusque adeo homini foret, si abque illis vitam degere possit, sed iidem tamen pro vitae huius, variatimque circumstantiarum ratione, necessarii sunt. Hi ergo ut ob imperfectionem non sine temeritate reiicerentur, ita sapientiae pars est haud postrema, hisce omnibus sine verae felicitatis internae iactura, rite uti posse.

§. XI.

Statuum porro, in quibus integrae societates constitutae sunt, magna est varietas: saltem quot societates sunt, tot status peculiare inde resultant. Ut autem societates maxime necessariae

sariae sunt coniugalis, paterna, herilis, et quae has omnes tandem complectitur, civilis: ita reliquae societates, vt academiae, societates mercatorum, collegia opificum, ab ipsis demum rebus publicis originem trahunt, et sine iis vix consistunt.

§. XII.

Coniugalis societas cum ipsa humani generis origine orta est, et vt maxime est naturalis, ita summopere quoque necessaria, ad humani generis multiplicationem, et ordinatam propagationem.

§. XIII.

Idem censendum de societate paterna, quippe per quam itidem generi hominum vniuerso prospicitur, vt non tantum ad iustam aetatem perueniant, qui ex coniugibus nati sunt, sed et ita educentur, vt homines sint, id est iis virtutibus imbuti, quibus ad omnia socialitatis et humanitatis officia apti reddantur.

§. XIV.

Magis ab antiqua hominum simplicitate iam recedit, minusque necessaria est societas herilis, quippe sine qua consistere hominum genus potuisset. Hanc autem vt sine dubio ambitio quorundam induxit, ita et auaritia, et luxuria, et vitae commodioris cupiditas fovit mirifice, et fere necessariam fecit. Cum vero et in quorundam salutem haec societas cedat, et per se vitio careat, quam rectissime toleratur.

§. XV.

§. XV.

Atque hae minores societates reliquarum seu maiorum, ipsarumque rerumpublicarum stamina sunt et elementa. Quo maiores autem sunt et ampliores, quæ hinc oriuntur societates, eo magis a primæua simplicitate recedunt. Hinc crescentibus imperiis, crevit etiam hominum luxuria, ambitio, avaritia, et auctis hisce vitiis, scelerum quoque atque criminum frequentia crevit, et ita strictiori quoque ac severiori imperandi ratione opus fuit. Quæ si expendantur, causa patebit, cur non tantum ampliora magis magisque facta sint imperia, sed et cur libertate indies magis magisque coarctata, monarchicæ dominationes passim introductæ sint, imo introduci debuerint.

§. XVI.

Nimirum quo propius a prima origine genus hominum abfuit, eo expressiora pristinae perfectionis in summa vitæ simplicitate retinuit vestigia. Inter hæc æqualitas, veri amoris ac perfecti status documentum certissimum, emittit. Ab ista per servilem cum primis statum, mox autem et per civiles consociationes, discesserunt. Hæc cum apud probos ad securitatem ac omnium tranquillitatem essent comparatæ, improbis occasionem, ambitionem dominandique libidinem, et alias cupiditates explendi dederunt. Hinc ampliora imperia orta sunt, plures-

pluresque occasiones hominum cupiditates irritandi et exsatiandi. Simul vero et crescentibus hoc modo, vti dictum criminibus, passim strictior dominandi ratio necessario introduci debuit.

§. XVII.

Quare si dicendum quod res est, monarchicae et absolutae dominationes statum hominum corruptissimum et imperfectissimum arguunt, quia ab aequalitate primaeua quam longissime recedunt, ac cum maxima violentia ac coactione coniunctae sunt: sed simul tamen necessariae quandoque sunt, propter corruptos hominum mores. Quo magis enim delicta hominum ac scelera crescunt, eo strictiori regimine, ac acrioribus opus est remediis.

§. XVIII.

Iam cum tanta statuum, in quibus homines degunt, sit varietas, nunc porro obseruandum, quod saepius contingat, vt vnus idemque homo simul in diuersis statibus sit constitutus, sine is diuersas personas simplices sustineat, siue etiam membrum aut principale, aut minus principale sit eiusmodi systematis seu societatis, quae velut personam moralem compositam constituit. Vnde diuersi status, quorum haud raro non satis inter se conuenire commoda videntur, interdum concurrunt, singularemque adeo prudentiam requirunt.

Sic

Sic Princeps et ad reipublicae et ad familiae suae statum attendere debet, ne dicam, quod idem ut pater, ut maritus, et sic porro, considerari queat.

§. XIX.

Quae si quis rite secum expendat, haud difficultèr quid famosissima illa *ratio status* sibi velit, intelliget. Nimirum reuera nihil aliud est, quam prudentia status. Ratio enim modum significat, quo status ille conseruari possit, id quod prudentia status docet. Quod ut extra dubium ponatur, obseruandum, de ciuili et summorum imperantium statu per eminentiam hanc vocem adhiberi. Sed ne istud quidem vno sit modo. Hinc variae oriuntur vocis huius significationes, quae tamen ad quatuor summa capita reuocari possunt.

§. XX.

Nimirum hac voce generatim interdum indicatur ratio et modus conseruandi statum reipublicae. Cum vero media illum conseruandi vel honesta et legitima sint, vel turpia et illegitima, nonnulli eandem vocem ad scelera tegenda adhibent, illegitimos modos rempublicam conseruandi eadem inuenientes.

§. XXI.

Porro cum media vel legitima vel ordinaria sint, vel extraordinaria, alii rationem status vocant, quae rempublicam conseruat mediis honestis quidem, sed *extraordinariis*. Atque haec

haec cum non omnibus aequè perspecta sint, neque perspecta esse debeant, hinc haud raro vituperantur haec media, sed ab imperitis, qui pro iniquis ea reputant, cum tamen intimius explorata, a iustitia ac aequitate non deflectant.

§. XXII.

Alii denique statum reipublicae secernunt a statu imperantis, et speciatim rationem status vocant, quae commodo imperantis consulit, quod cum iterum diuersimode fieri queat, scilicet vt statum reipublicae simul consulatur, vel vt neglecta reipublicae salute, imperanti tantum prospiciatur, item vt media vel ordinaria vel extraordinaria adhibeantur, varias iterum vocis huius significationes hinc oriri necesse est. Mirum ergo non est, si ab aliis laudari, ab aliis vituperari videas rationem status.

CAP. III.

de

INCOMMODIS QVAE HOMINES
IN OMNIBVS STATIBVS
PREMVNT.

Σύνοψις.

Homo et ob vitia sua, et ob externa incommoda miser est, §. I.

Haec per varios status, quae illis moderari debebant, haud vno insigniter au-

gentur, §. II.

Quo pacto singuli homines absolute spectati, status sui veram felicitatem et rationem negligant, §. III.

Quo pacto idem faciant
Ff *quasi.*

- quando societatem cum
aliis inveniunt, §. IV.
- Speciatim in societate matri-
moniali, §. V.
- Et paterna, §. VI.
- Et herili, §. VII.
- Privata haec incommoda au-
gentur, per incommoda
status civilis, §. IIX.
- Quae illorum vitis adhuc
graviora sunt, §. IX.
- Incommoda status imperanti-
am, §. X.
- Et reliquorum statuum per
societates introductorum,
§. XI. XII
- Nec singul: modo homines,
sed 'integras' societates
quoque sua incommoda
experiuntur, §. XIII.
- Speciatim conjugalis et reli-
quae minores, §. XIV.
- Maxime autem civitatis, §. XV.
- Causae horum incommo-
dorum in pravis hominum
cupiditatibus quaerendae,
§. XVI.
- Nimirum in ambitione, vo-
luptatis cupiditate, et auaritia,
§. XVII.
- Vnde ratio status spuria re-
sultat, §. XIX.
- Quae in omnibus vitae gen-
eribus se exerit, §. XIX.
- Quid Machiavellicismus? §.
XX.
- Ei opponitur monarchoma-
chismus, §. XXI.
- Utrumque vitium pernicio-
sissimum est, maxime ta-
men cum religionis specto
regitur, §. XXII.

§. I.

Esse hominem omnium animalium longe
miserrimum, licet praestantior omnibus
animalibus naturam nactus sit, fateri omnes
necesse habent. Nec enim animus tantum va-
riis cupiditatibus excruciatum et velut laceratum,
sed extrinsecus etiam infinita incommoda eum
circumstant, quae eius valde augent calami-
tatem.

§. II.

Cum vero hisce incommodis utcumque aut
propulsandis, aut mitigandis, status inveni-
unt

sint, aut a Deo ipso introducti, tanta est hominum miseria ne dicam, an stultitiâ, vt nouam inde se extruciendi, suasque augendi calamitates, arripiant occasionem. Ita enim est, quae saluberrime constituta sunt, et optimo consilio introducta, si non recte administrantur, pro emolumento, quod inde speramus, damnum potius afferunt: vti et medicamenta non recte usurpata, nocent potius quam prosunt.

§. III.

Praeterea quae naturalia maxime sunt, appetenda praecipue esse, si recte nobis consulere velimus; ratio ipsa dicitur. Sed plerique mortalium hic statim in primo limine aberrant, et in minimis ponunt, quae primo loco inter bona externa erant quaerenda. Sic cum humanae felicitatis partem praecipuam sanitas corporis constituat, hanc plerosque adeo negligere videas, vt nullam eius curam animum subire patiantur. Cuius suae stultitiae tum demum poenas dant grauissimas, cum facta sanitatis iactura, nec vllum ex ceteris rebus, quas tanto studio conquisierunt, capere fructum possunt.

§. IV.

Vitae solitariae taedio, ceterisque necessitatibus, quocumque nomine veniant, consultum per societates fuit, certe consuli vtcumque potest. Sed tum demum si quis in iis incun-

dis, riteque se erga eius membra gerendo, prudentiae leges obseruaret. Quod cum plerique intermittant, taedia illorum et calamitates augentur inde, tantum abest vt diminuantur, aut leuentur. Nonne enim vitæ solitaria praestat vita altercationum, discordiarum, contentionum, insidiarum, et hinc resultantium periculorum, odii quoque, liuoris atque inuidiae plena?

§. V.

Vel matrimonialis status exemplo hoc comprobari potest. Hic audire passim licet querulas aliorum voces, felices et nimis felices esse, qui nunquam libertatis suae, per matrimonii vinculum, fecere iacturam. Pro voluptate quam nonnulli quaerunt, taediorum plaustra: pro opibus quibus inhiabant, paupertatem: pro vitæ solatio, quod optabant, aegritudinem perpetuam, seruitutemque intolerandam, non nisi alterius morte finiendam, referunt.

§. VI.

Hi ergo si procreata sobole hominum generi tandem inseruiunt, inuiti quidem illud plerumque, nec sine magna sua molestia faciunt. Suo autem vitio cum rursus plerique ad educandam sobolem longe sint ineptissimi, et humanae societati pro vtili membro, inutile terræ pondus obtrudunt, suaque mirifice adaugent incommoda, taediae. Hinc frequentius nihil,

hil, quam conquerentem audire patrem, filium immorigerum, proteruum, prodigum, in gentis dedecus natum, qui exoptatam tantopere senectuti quietem in curas et cruciatus, quorum magnitudinem non capiat, qui non expertus sit, conuertat.

§. VII.

Nec felicius inter dominos et seruos res agitur. Hi si conuiuentes nequitiae suae atque ignauiae non fortiantur dominos, duros asperosque domini mores accusare non desinunt, illi perfidia, ignauia, petulantia, renitentia serui, si non maledicta et verbera, gemitus saltem et flebiles exprimit querimonias, aut si parum rerum istarum adficiatur cura, neglectam perditamque rem familiarem, omniumque se ipsum expositum ludibrio videbit. Vti plerisque dominorum, si quam ex eo, quod alios sibi seruientes videant, dulcedinem capiunt, care satis ea venditur.

§. VIII.

Domestica velut haec sunt mala, et vnicuique propria, eaque graua satis, et vix ferenda, nisi prudentia temperentur et auertantur. Sed accedunt plerumque ad haec communia. Quod enim in scholis docetur, mutuae securitatis causa, et vt ciues omnes tranquille vitam degere possint, constitutas esse ciuitates, id priuatae sortis homines vix ac ne vix quidem sibi persuadebunt. Et cum per bella,

Ff 3

quae

quae rerum domini ut suis cupiditatibus tatis-
fiat, cuncta caede, rapina, incendiis compleri
vident, cum opibus omnibus exhausti vix mise-
rum spiritum trahunt, num quaeso hoc sibi per-
suadere possunt?

§. IX.

Sed ipsi tamen haec sua augeat. Luxuriae
et voluptati eousque plerique indulgent, ut
cum conferre aliquid ad necessitatem debent,
nihil supersit amplius: multi etiam commoda
quidem ex republica capientes, incommoda de-
clinantes, odiumque hinc et indignationem erga
imperantes animo concipientes, aut horum in se
prouocant seueritatem, aut saltem iniuriae sibi
factae suspicione, se ipsos torquent misere, ex-
cruciantur.

§. X.

Nec felicior imperantium est conditio. His
namque et cum externis hostibus vim vi repel-
lentibus, aut more recepto vim iniustam illis in-
ferentibus, et cum ciuium frena nunquam non
mordentium pertinacia, et perfidia insuper mi-
nistrorum, semper est colluctandum. Si succum-
bant aut insultibus hostium, aut suorum fraudi-
bus, quid miserius est eiusmodi Principe? sin vin-
cant, superioresque euadant, in partis tuendis
non minor cura ac sollicitudo, non minora peri-
cula, quam in iis acquirendis. Quaecumque
autem illos fors maneat, perpetuis semper agitan-
tur

tur fluctibus, domique semper habent quod agant, quo se excrucient, si externo vel maxime hoste careant.

§. XI.

Eadem et reliquorum hominum, in quocunque statu degant, est conditio. Qui docent, pro fructu, vitae melioris animique grati documento, calumnias, obrektionones, odia, invidiam, et ab auditoribus, et a sociis referunt; hinc pugnae, contentiones, aemulationes, et si quid peius ad humani generis perniciem cogitari potest. Tot hinc in eos, etiamsi suo probe fungantur munere, incommoda, ut haec demum vere misera vita censeretur debeat, si quis inconditis et efferatis hominum moribus emendandis, praeficiatur.

§. XII.

Quamquam nec illis, qui aut commercia, aut opificia tractant, sua incommoda desunt. Non dicam de labore et periculis, quae hos status comitantur, cum hoc per ipsorum statuum naturam aliter esse nequeat. Mox aliorum monopolis, aut fraudibus sociorum, aut iniquis collegiorum statutis, et si quae alia sunt eiusdem generis obstacula, impediuntur, ne consequantur, quod cupiunt: mox ignavia et perfidia suorum, omni spe honesti lucri priuantur, mox alia ratione exoptato, excidunt sine.

§. XIII.

Haec quae singulos in quocunque statu degant, premunt incommoda, in ipsas non possunt non redundare societates. Est enim haec mortalium stultitia, ut ipsis societatibus haec mala imputent, quae sibi ipsis tamen tribuere debent, suisque pravis cupiditatibus. Cum enim, si non ad suum proprium, sed ad bonum totius civitatis potius respicerent, evitari aut mitigari maximam partem haec incommoda possent, isti contrario modo se gerunt, et hinc societatum omnium, et hominum in iis degentium, certissima perniciēs.

§. XIV.

Sic si maritus sibi et non utrique coniugum, ex vero amore, qui ex vera pietate fluit, consultum cupiat, neutri recte prospicitur, ordo et compages societatis laxatur, finisque, ad quem a Deo instituta est, evertitur, et infinita alia inde sequuntur mala. De reliquis eodem modo censendum, ne quod iam ex dictis constat, inutili labore repetendum sit.

§. XV.

Speciatim autem in statu civili hoc longe est manifestissimum. Quo magis enim is compositus est, eo maiori quoque prudentia regendus est, et eo facilius quoque labefactatur. Ex eo vero, quod quisque sibi bene esse posse putat, etiam si reipublicae bene non sit, non potest non ea rerum facies oriri, ut quisque sui, ne-

mo

mo reipublicae rite gerat curam. Hinc legum nulla vis, iudiciorum nulla auctoritas, iustitiae vix species, nisi cum ad opprimendos innocentes obtentui sumitur: ciuis ciuem, vrbs urbem, societas quaeuis societatem circumuenire, suppressere, spoliare opibus, iuribus, privilegiis: nemo suo consistere loco, efferre se supra alium, eniti in altum quisque, et coelum terra, quadrata miscere rotundis. Hinc nec quies domi, nec securitas foris, lacerata, turbata, prostrata omnia, apertis magis aut occultis, pro circumstantiarum varietate, his vulneribus,

§. XVI.

Iam si in causas horum malorum, quibuscum in omni statu hominum generi conflictandum est, inquiramus, non alias quam ipsas hominum cupiditates deprehendemus. Harum fontem et scaturiginem philautiam prauam alibi designauimus, per quam vt interna animi quiete homo priuatur, ita praecipua etiam omnium externorum incommodorum est effectrix.

§. XVII.

Nimirum hac ipsa, et inde resultante ambitione, voluptatis cupiditate, ac auaritia, homines impelluntur, vt in externis etiam bonis minus praestantia praestantioribus, minus necessaria necessariis praeferant: vt praeposere se gerendo statibus omnibus et societatibus

Et §

ad

ad augenda incommoda sua abutantur, praecipue autem ut in societatis constituti semper ad sua magis respiciant commoda, quam totius societatis, qui fons est maximorum, quae ubique regnant, malorum. Quod vitium tum maxime se exerit, cum diuersas quis sustinet personas morales, in quibus ita se gerere, ut ad suam potius quam aliorum quis respiciat utilitatem, prudentiae quidem esse creditur, reuera caput est omnis imprudentiae, omnisque miseriae.

§. XVIII.

Accedit vero, quod cum homines liberari incommodis suis cupiant, simul vero obstante philautia, recto ordine hoc adgredi detrectent, ad fraudes prauasque confugiant artes, *status* quandam *rationem*, sed *falsam* et *spuriam* se sequi glorientes, quo ipso magis magisque in devia flentes, incommoda, quae hac ratione effugere allaborant, atque grauioribusque se illaqueant malis, in quibus exitum tandem non inueniunt.

§. XIX.

Spuria haec *ratio status* in omnibus vitae generibus, in rusticis, opificibus, mercatoribus, eruditis, philosophis, medicis, iureconsultis, theologis, docentibus, discentibus, ciuibus, ministris et magistratibus, principibus rerumque dominis, et omnibus cuiuscunque conditionis hominibus, deprehenditur, et obseruatur, qua non tantum quisque suum, sed et societatis, cui praest, aut
cuius

cuius res administrat, statum conseruare, sed perperam, allaborat.

§. XX

Speciatim autem si in superioribus seu imperantibus, cuiuscunque demum status, hoc vitium deprehendatur, Machiauellismi nomine insigniri potest. Ut enim Florentinus ille politicarum fraudum architectus, principem docuit malis artibus, infinitisque imposturarum generibus, suis commodis, posthabita ciuium salute, consulere, ita facili negotio ad omnes cuiuscunque status imperantes ea accommodari possent saltem quæ prauis homines ex spuria ista status ratione moliuntur, iisdem prorsus innituntur fundamentis.

§. XXI.

Inferiorum autem contra superiores molimina, ni fallor *Monarchomachismo* nomine recte designaui. Licet enim et hoc illorum demum proprium vitium sit, qui statum monarchicum ferre non possunt, et ad eum subuertendum, omnes cogitationes suas, omniaque consilia conferunt, non errat tamen, qui paulo altius huius vitii radices in ipsis animis hominum quaesierit. Innata omnibus haec est proteruita et arrogantia, ut cum incommodorum, quæ illos premunt, causas in seipsis agnoscere nolint, imperantes statim eas conferant, illosque adeo accusare, aut contemnere auctoritatem, aut palam insurgere, sibi religioni non ducant.

§. XXII.

§. XXII.

Longe autem periculosissimum est hocce vitium, si sub religionis specie prodeat. Tum enim et eius foeditas tegitur, et superstitio vires animis addit, specieque honestatis facile decipit incautos, ut nisi tempestive huic malo obuiam eatur, ultima tum rerum omnium perniciēs, in omnibus cuiuscunque generis statibus ac societatibus, non possit evitari. Id quod et de Machiauellismo est observandum, si contingat et illum sub religionis specie homines decipere.

CAP. IV.

de

VERA CIVISLIBET STATUS
FELICITATE.

Σύνοψις.

Plerique homines nec internam nec externam felicitatem recte intelligunt,
§. I.

Quia ignorant, quid ad status sui conservationem faciat,
§. II.

Hoc unde intelligatur, et quae vera sit felicitas hominum singulorum absolute consideratorum,
§. III.

Et in societatibus constitutorum praesertim domestica,
§. IV.

Et matrimoniali,
§. V.

Et paterna,
§. VI.

Quae felicitas vera sit impotentium,
§. VII.

et in aliis statibus civilibus constitutorum,
§. VIII. IX.

Vera felicitas integrarum societatum,
§. X.

Error politicorum de felicitate reipublicae,
§. XI.

Refellitur,
§. XII.

Quae respublica felix dici queat,
§. XIII.

Duo extrema hic vitanda,
§. XIV.

Vnum eorum, quod felicitatem

tem fingunt, quae non datur: ubi de rebus publicis idealibus, §. XV.

Non autem damnandi ex hoc capite, qui ciues moribus christianis imbutos

cupiunt, §. XVI.

Alterum illorum est, qui ob imperfectionem omnia damnant, §. XVII.

Quorum itidem refellitur sententia, §. XVIII.

§ I.

CVM omnes felices esse cupiant, paucissimi tamen, in quo vera cuiusque felicitas consistat, intelligunt. Nec tantum in summa ista atque interna felicitate designanda cupiditatibus suis praepediti, homines aberrant, sed et cum in externis plerique omnem felicitatem quaerant, in his quoque ita coecutiunt, ut quid reuera sibi expediat, non perspiciant.

§. II.

In eo omnes consentiunt, ea quae reuera ad nostram conseruationem aliquid faciunt, nobis etiam expedire, et ad externam adeo aliquid conferre felicitatem. Sed si speciatim, quid reuera ad nostram conseruationem aliquid faciat, definiendum sit, multos iterum a recto aberrare tramite videas, et ea eligere, quae noceant potius quam profiant.

§. III.

Vt ergo generatim definiamus, in quo vera cuiusque status felicitas consistat, cum primis ad naturam hominis, et indolem cuiusque status est respiciendum. Scorsim itaque et in se absque omni statu si homo consideretur, nescio an aliud

aliud quid desiderare queat, quum vt sanus sit corpore, nec careat vlla re, quae ad victum et amictum sunt necessaria. Haec autem necessitas non ex hominum cupiditatibus, sed ex ipsa naturae conditione est metienda.

§. IV.

Si in certo statu homo sit constitutus, felix censendus est, si ea, quae ad finem istius status consequendum requiruntur, ei suppetant. Sic felix dicendus pater familias, cui tanta constat auctoritas, quanta ad familiam regendam requiritur, et cui eiusmodi familia contigit, in qua tranquille et quiete cuncta regantur, et denique qui res suas ita administrat, atque tuetur, vt necessaria non deficient, extremaque, quantum fieri honeste potest, euitetur paupertas.

§. V.

Maritum, qui nactus est coniugem formosam, diuitem, splendido genere ortam, felicem omnes certatim praedicant, cum tamen haec ipsa plerumque eum summe miserum atque infelicem reddant. Ratio contra recta docet, eum felicem esse, cui coniux contigit pia, mōdesta, prudens, reique familiaris intelligens, cum qua vero et constanti amore vnitus, vitam tranquillam degere possit.

§. VI.

Sic et de parentum felicitate longe aliter vulgus hominum, aliter vir sapiens iudicat.

Pleri-

Plerique, quibus soboles contigit, nimis sibi felices videntur, si in tenera aetate ea discat puer, quibus aliis sit miraculo. si certa spes adfulgeat, eum virum eruditum, celebrem, potentem, diuitem futurum. Haec sunt, quae stulte parentes optant, quae si consequantur, praec laetitia nec a lachrymis sibi temperant. Et tandem si omnia didicit filius, non didicit esse vir honestus, si omnia consecutus est, virtute tamen caret, haud raro et animo grato, quem erga ipsos parentes demonstrat.

§. VII.

De ceteris statibus idem prorsus est censendum. In vera autem imperantium felicitate definienda, nimis plerique politicorum aberrant. Etenim cum haec arctissimo vinculo cum ciuium totiusque reipublicae felicitate coniuncta sit, et praecipue eo absoluator, vt ciuium suorum amore veneratione temperato fruatur, ex quo securitas, ceteraque bona, quae sapiens princeps optare potest, fluunt, plerique longe secus hic sentiunt, ex diuitiis, potentia, auctoritate, qua apud ciues et exteros gaudeat, fama, gloria, omnem imperantium felicitatem stulto profecto consilio, metientes.

§. VIII.

Regis ad exemplum componuntur et reliqui, qui eius vicibus funguntur, omnem felicitatis suae statum in potentia, diuitiis, facultate quiduis impune agendi, collocantes.

Nec

Nec rectius sentiunt, qui ceteros rectiora docere debebant. In adplausu et concursu auditorum, in fama et existimatione, in diuitiis opibusque, felicitatem, diuinaeque, vt loquuntur, benedictionis fructus quaerunt: cum ratio contra dictitet, tum demum felicem esse dicendum doctorem, non qui multos numerat auditores, aut pro viro docto, ingenioso, disertio, habetur, sed qui iis instructus est facultatibus mentis corporisque, vt ad vitam meliorem multos transferat, certe serio, quantum in se est, transferre laboret.

§. IX.

Felicem porro opificem, mercatorem, rusticum voco, non qui multas congerit opes, quas rite ipse dispensare nescit, vt plerique existimant, sed cui facultas non deest, artem, opificium, sine vilo impedimento exercendi, et ea tantum lucrandi, quantum ad vitae necessitatem, et reipublicae onera ferenda, sufficit. Et sic in reliquis se res habet.

§. X.

Quemadmodum vero in felicitate singulorum hominum designanda, plerique aberrant, ita non rectius de felicitate integrarum societatum sentiunt. Haec enim cum praecipue in interna structura, et partium firma vnione, et vitiorum hanc vnionem impredientium remotione consistat, pauci tamen hoc intelligunt, aut intelligere volunt, tum demum omni-

mnibus societatibus, collegiis, ciuilibusque corporibus recte se consulere arbitrantur, si id efficiant, vt diuitiis, potentia, auctoritate, iuribus, priuilegiis, supra alios eiusdem conditionis societates emineant.

§. XI.

Eundo hoc per omnes societates naturales, vt coniugalem, paternam, herilem, tum ciuiles, quocunque etiam nomine veniant, demonstrare possem, nisi res per se manifesta esset. Cum primis tamen in ipsis rebus publicis, ceu maioribus societatibus, hoc patet. Has felices dicunt, si abundant opibus, si aliis sint formidandae, si imperii fines limitesque extendant longe lateque, si bella feliciter gerant, et si quae his sunt similia.

§. XII.

Sed grauissimus is error est, maximeque perniciosus. Cum enim res publicae ideo constitutae sint, et introductae, vt omnium ciuium salutis et securitati ex aequo consuleretur, non potest res publica felix dici, nisi quae ad hunc finem quam optime est comparata. Iam vero potest omnis res publica potens esse, florere auctoritate, bella quamplurima gerere, dilatare imperii sui fines, saltem ad tempus, vt ciues tamen simul exhauriantur opibus, quae magno labore acquirunt, statim in usus publicos conferte teneantur, et ita vitam summe miseram, et plane seruilem degant.

Gg.

§. XIII

§. XIII.

Ex quo etiam patet, ut respublica felix dici possit, requiri ut structuræ eius nullum in sit insigne vitium, et ut genio populi, et fini reipublicæ hæc sit accommodata: præterea ut omnes summi imperii partes, leges, iudicia, religio, ceteraque rite se habeant, et recte etiam administrantur. Hæc vero omnia ut ita se habeant, ut nullum profus in iis sit vitium, positum est supra conditionem rerum humanarum. Quare ut respublica absolute felix detur, nunquam sperandum: vna tamen felicior, et ad verum finem accommodatior, altera esse potest.

§. XIV.

Et sane occurrunt hic duo errores, magno studio prudentiæ civilis cultori euitandi: primus illorum est, qui statum reipublicæ committunt, qualem natura hominum non permittit, omnibus scilicet naevis ac imperfectionibus immunem. Alter illorum est, qui in contrarium currentes, quod videant emendari cuncta ad summæ perfectionis normam non posse, hõsce status damnant profus, atque reiiciunt.

§. XV.

Atque ad priores quidem quod attinet, facile quidem est, cum Platone, aliisque, *republicam* quandam *idealem* fingere. Sed illorum tum demum locum inuenirent consilia, si et homines pro lubitu formare, et acque facile illo-

illorum emendare mores possent. Hoc vero cum ita pronum non sit, non est vt maiorem animo concipiamus felicitatem, aut perfectionem, quam res humanae permittunt,

§. XVI.

Neque vero hoc ita capiendum, ac si de moribus quoque hominum emendandis, neuiquam sollicitus esse debeat imperans. Imo ipsius interest praecipue, vt quam maxime sit sollicitus. Sed cogitandum quid per praesentem humani generis conditionem obtineri queat. Et si quae sunt, quae in effectum deduci possunt, illa sunt vrgenda strenue: in ceteris ratio habenda humanae conditionis, ne quid suscipiamus, quod aut effici nequeat, aut maiora adhuc incommoda nobis attrahat.

§. XVII.

Qui vero ob imperfectionem cuncta statim damnant, ac reiciunt, itidem perperam ac imprudenter agunt. Ita equidem est, si omnes homines vitae essent emendatae, aut rectius, si omnes essent veri christiani, nec rebus publicis, nec imperantibus, nec legibus, nec poenis, nec iudiciis, nec bellis, nec federibus opus haberemus. Sed hoc cum vix sperandum sit, vt omnes veri christiani fiant, haec imbecillitatis humanae adminicula neuiquam sunt repudianda.

§. XVIII.

Nec sufficit, quod quidam veri christiani

G g 2

sint:

sint: illi scilicet quintalia suggerunt. Esto enim costales esse, qua in re tamen diligenti opus est exploratione, quamdiu omnes tales non fiunt, abrogatis externis statibus, nihil nisi rerum omnium expectanda est confusio. Quae enim ratio esset immorigeros regendi, cum se ipsos regere nondum didicerunt? Accedit quod christiani hominis dignitas et perfectio praecipue in mente consistit, cuius hoc documentum est, si externa vitae incommoda patienti fert animo, modumque et rationem externa haec incommoda prorsus tollendi, siquidem eiusmodi rerum status expectandus est, Deo committit.

CAP. V.

de

MEDIIS STATVM CONSERVANDI.

SECTIO I.

de

MEDIIS CIVISCVNQUE STATVM CONSERVANDI, SEV PRVDENTIAE STATUS. REGVLIS GENERALITIM.

Σύνοψις.

*Praecipuum prudentiae capit est, ut quilibet finem status sui exploratum habeat, §. I.
Quod probatur, §. II.*

*Deinde ut quisque se ipsam, et vires suas rite aestimet, §. III.
Quod non de singulis modo hominibus, sed integris quoque*

quoque societatis est intelligendum, §. IV.

In singulis porro hominibus vera virtus requiritur, §. V.

Omnes virtutes externae etiam vitae felicitati inferniunt, §. VI.

Speciatim tamen temperantia, fortitudo, patientia, modestia, diligentia, §. VII.

Sed et decori observatio huc pertinet, §. VIII.

Decorum quid? §. IX.

In quibus actibus maxime observandum, §. X.

Regulae generales de decoro, §. XI.

De decoro circa sermonem, §. XII.

Circa gestus et incessum, §. XIII.

Circa vestitum, §. XIV.

Quod in his omnibus sexus aetatis, aliarumque cir-

cumstantiarum habenda sit ratio, §. XV.

Virtutes homileticae, decorum publicum, solemnitates et caeremoniae civiles, §. XVI.

Tertium prudentiae praecipuum ad media pertinet, §. XVII.

Obstacula quoque remouenda, et quidem tum ea, quae ab aliis hominibus oriuntur, §. XVIII.

tum ea, quae ab ipsis negotiis proueniunt, §. XIX.

Hinc ars cognoscendi hominum animos necessaria est, §. XX.

Quod patet etiam si rerum administri eligendi sint, §. XXI.

Quid faciendum si ipse negotii natura obstaculum offerat, §. XXII.

§. I.

Sil quis itaque ea, quibus vita hominum circumsepta est, incommoda, rite propulsare, et tranquille feliciterque degere cupit, is primo ad finem status sui, omniumque, quae vnquam suscipit actionum, diligenter attendat necesse est.

§. II.

Nimirum quod iam supra obseruauimus, ipsa experientia comprobatur, saepius a mortalibus

tanquam bonum aliquid expeti, quod tamen illis nocet potius, quam prodest. Talia, quae nocent, si expetat homo, si omnes ingenii corporisque vires ad illud consequendum intendat, quid mirum si pro felicitate, quam sibi pollicebatur, infinita referat incommoda? Ergo initium et caput omnis prudentiae est, euitare ea quae equidem prodesse videntur, sed reuera, nocent, itemque ut bona vera apparentibus, maiora minoribus, duratura cito transiuntis, certa incertis, praeferamus.

§. III.

Ante omnia quoque seipsum, suasque vires, quilibet rite aestimet, si quis feliciter aliquid peragere cupit. Maximum enim hinc omnino oritur obstaculum, si quis iis virtutibus, animique et corporis dotibus, non instructus sit, quales ad finem propositum sunt necessariae. Hinc et sequitur, animum corpusque iis artibus studiisque erudiendum esse, quae ad finem propositum sunt necessariae.

§. IV.

Neque de singulis modo hominibus, sed et societatibus quibusuis haec sunt intelligenda. Namque et in his quid cuiuslibet societatis indoles, structura, conditio permittat, sedulo est dispendiendum. Plurima certe, si ad hoc semper attenderet, incommoda, quibus ceteroquin premuntur, declinari atque auerti posse, res ipsa facile quilibet docet.

§. V.

§. V.

Quaenam autem ista sint, per quae quilibet homo, quaelibet societas, ad finem suum apta redditur, id quidem generatim definitum nequit; namque ex fine et circumstantiarum varietate haec metienda sunt. Ad singulos tamen quod attinet, hoc generatim asseri potest, eum, qui vera virtute praeditus est, etiam ad cuiuslibet status conservationem, aptiorem esse eo, qui illa destituitur, si cetera eodem modo sese habeant. Nullum certe vitae genus est, nullus status, in quem non ex hominum avaritia, voluptatis cupiditate, et ambitione, infinita redundent incommoda. Quare qui haec vitia verae virtutis ope debellat, ad ea vitanda longe est aptissimus.

§. VI.

Et omnes praeterea virtutes ita comparatae sunt, ut externae etiam felicitati inserviant. Quod enim bonis haud raro parum feliciter recedat, id, si modo illi in culpa non sint, ex accidenti fit, et aliorum peruersis moribus est tribuendum. Sunt tamen quod non diffidendum, quaedam ita comparatae virtutes, ut prae ceteris in vita civili non vtilis modo, sed prorsus necessariae videantur.

§. VII.

Sic ut nihil de iustitia dicam, quae omnia, quibus aliis inservimus, officia complectitur, ac sine qua nullam consistere posse societatem, palam est; temperantiae, fortitudinis, pa-

tientiae, humilitatis ac modestiae, diligentiae denique et circumspeditionis, tum in opibus rite dispensandis, tum in tuenda et conseruanda fama ac existimatione, insignem prorsus in vita civili vsum esse, nemo credo temere abnuerit. Negotiis enim gerendis hi demum apti merito censentur, qui his virtutibus instructi sunt, quibus praeterea aliorum facile sibi conciliare fauorem, auertere odium et inuidiam, et incommoda quaeuis declinare possunt.

§. VIII.

Praeter hasce autem virtutes, quae ex honestate fluunt, ceterae etiam, quae ad decorum pertinent, in vita civili ornamento non tantum, sed et praesidio sunt singulari. Certe decori qui aut negligens est, aut imperitus, is ad vitae civilis actus plane ineptus habetur.

§. IX.

Decori autem nomine intelligo conformationem actuum externorum ad aliorum sensum et iudicium, ne eos offendamus. Sed cum potior ratio habenda sit honesti, quam decori, cumque ad illud lege diuina obligemur, ad hoc non item, facile intelligitur, in tantum fas esse, vt ad iudicium et sensum aliorum nos conformemus, in quantum honestatis hoc permittit ratio.

§. X.

Actus autem externi, quippe qui tantum ad decorum pertinent, cum varii sint et multipli-

tiplices, praecipui tamen merito habentur, *sermo, gestus, incessus, atque vestitus.* In his itaque omnibus ne quid committamus temere, quod illorum, quibuscum nobis res est, aut quos inter viuendum nobis est, iudiciis, salua tamen semper honestatis lege, repugnet, sedulo illi elaborandum est, qui ad vitam ciuilem rite se praeparare cupit.

§. XI.

Verum cum iudicia mortalium, et sensus etiam admodum varient, vt decorum vni videatur, quod alteri turpe videtur, ne a recto hic aberremus tramite, sequentia haud inconueniens fuerit, obseruare monita: sequenda est regionis et loci cuiuscunque consuetudo: exempla eorum sunt imitanda, qui prudentiorum iudicio elegantioribus censentur esse moribus: sedulo euitandum, quicquid vitij speciem praebere potest, sectandum contra, quod honestatis, et virtutis opinionem conciliat: caute submouenda omnia, quorum aspectus offendere, vel cogitatio molesta esse queat: quin et illa supprimenda, quae turpis rei vel refrire memoriam, vel speciem animo obiicere possunt: quicquid molle et effoeminatum est, fugiendum: non negligenda sunt beneuolentiae, et honoris testificandi signa.

§. XII.

Speciatim quod ad sermonem attinet, decori, quod in eo obseruandum, ratio, huc redire

Gg 5

vide-

videtur. Opera danda, ne temere et sine causa sermone nostro alios offendamus, ut sit sedatus, stabilis, non nimis tardus, nec nimis praeceps, non acutus, non contentiosus. Res nostras nunquam extollamus, sed ut res habet, ita eam eloquamur, nisi praegnans ratio aliud iubeat. Si facta aliorum laudanda sint, laudentur cordate, sine adulatione: si reprehendenda, reprehendantur, sed modeste, et sermonis genere, nihil nisi amorem spirante. In vitiis aliorum corrigendis, si officii nostri ratio hoc postulet, omnium circumstantiarum ratio diligenter habenda. De iocis addi solet, mouendos esse honestos, loco, personis, tempori conuenientes, non acerbos, non obscenos, non impios, non profanos: sed haec ex sanctiori christianorum disciplina metienda sunt, ac diiudicanda.

§. XIII.

De gestibus, et incessu, omnique corporis motu, haec sunt obseruanda: sit omnis corporis motus, si res moram ferat, aequabilis, non varius, non concitatus: flexus corporis et artuum sit virilis, non effoeminatus, non histrionicus. Vultus talis sit, qui hominem seria agentem deceat, non tamen tristis, nec tetricus.

§. XIV.

Vestitus ut ad corpus tegendum, et modicum ornatum comparatus sit, necesse est. Adhiben-

hibenda est corporis mundities, non exquisita tamen nimis, aut ad mollitiem vergens. Absit ergo colorum varietas, et affectatus splendor, et quicquid iuuenilem arguit leuitatem.

§. XV.

In his omnibus vero sexus, aetatis, aliarumque circumstantiarum habenda est ratio. Considerandum itaque, alium vultum, alium sermonem decere imperantem, alium ciuem: ille ad maiestatem, hic ad modestiam debet esse compositus. Alii mores viros, alii foeminas, decent. Quaedam in vestitu et sermone mollities illas non adeo dedecet, quae his maximo merito vertitur vitio. Iuuenem comptiorem videre quam senem, non adeo turpe est. Sed videndum tamen, quocum tibi res sit. Aliter erga dominum, aliter erga seruum, aliter erga parem, &c. vt nos geramus, par est.

§. XVI.

Ad haec igitur ceterasque decori regulas, si quis rite se componere sciat, iisque adeo virtutibus, quae inde resultant, vt veracitas homiletica, humanitas seu comitas, et affabilitas, exornatus sit, is ad vitam demum ciuilem aptus cumprimis censetur. Nec enim vlla vitae pars, vllus actus ciuilis, quae hodie hominum est conditio, sine decore peragitur: tanto vero magis eius observatio necessaria est, in publicis negotiis, iisque, quae ad rempublicam administrandam pertinent, quanto solennius est

est imperantibus hoc ipso auctoritatem conciliare, et ciues ad venerationem et obsequia hoc modo praeparare. Vnde et ratio patet, cur in ritibus et ceremoniis tanta subinde adhibeatur sollicitudo, vt certis etiam legibus, pactis, conuentionibus eos definire, moris sit.

§. XVII.

Iam vt ad cetera pergamus. Si de fine nobis constet, et iis etiam quis polleat virtutibus dotibusque, quibus ad eum obtinendum aptus redditur, de mediis quoque rite adhibendis vt cogitet, necesse est. Nec enim perinde est, quae quis media adhibeat, cum quaedam sint aptiora aliis, et praeterea facilia difficilioribus, tutiora minus, tutis praeferenda esse, ipsa vnumquemque doceat ratio.

§. XVIII.

Sed et obstacula, quae nos impediunt, quominus ad finem exoptatum pertingere queamus, remouenda sunt. Obstacula autem haec oriuntur primo ab aliis hominibus, quorum opera ad finem nostrum obtinendum nobis est necessaria, idque ita, vt aut nec possint, nec velint nostris desideris suffragari, aut possint quidem, sed non velint, aut velint, sed non possint.

§. XIX.

Deinde obstacula quoque oriuntur a negotiis et actionibus ipsis, quae ad finem consequendum a nobis sunt suscipiendae, siue per se

se ad istum finem obtinendum parum aptae sint, siue ob certas circumstantias ita sint comparatae.

§. XX.

Ex quo illud porro sequitur, quod qui status sui rationem ritè obseruaturus est, aliorum quoque hominum more, et propensiones, accurate exploratos habere debeat. Quod si enim intelligat, eos nec posse, nec velle commoda sua promouere, animaduertet in iis ad partes suas pertrahendis operam oleumque perdere, plane superuacaneum esse: quod si vero nolint, cum tamen possint, tum demum ars dirigendi affectus et propensiones hominum, in subsidium vocanda, ita vt eorum inclinationes aut augeantur, magisque incendantur, et inflammentur, aut imminuantur, et contraria propensio excitetur, prout nobis commodum fuerit. Ast si velint, sed non possint, suffecerit eos ita conseruare, vt cum prodesse nequeant, nocere tamen nolint. Nemo enim facile adeo viribus omnibus destitutus est, vt irritatus nocere nequeat.

§. XXI.

Sed cum primum etiam hoc obseruandum est, si legendi sunt, qui a nobis pendeant, resque nostras administrent, aut nobis etiam sint a seruitiis quibuscumque. Sedulo namque dispiendum, vt tales legantur, qui ad finem nostrum idonei sunt, cum difficilioribus qui semel adsci-

478 CAP. V. SECT. I. DE MEDIIS CIVISL. STAT. CONS.
adsciti sunt, dimittantur. Vix autem est, ut et
hic rite quis se gerat, nisi mores propensiones-
que et indolem hominum explorare accurate
didicerit.

§. XXII.

Si negotii ipsius natura obstet, aut mutan-
dum consilium, et alia ingredienda via, aut ce-
dendum tantisper, et tempori res committenda.
Maxime autem circumstantiarum habenda est
ratio, et loci, temporis, ceterarumque captanda
opportunitas. Hinc inter prudentiae regulas
haud postrema est: *occasione inferuire*. Huc etiam
pertinet modus agendi, qui saepius, ut finem rite
consequamur, utramque facit paginam.

SECT. II.

de

PRVDENTIA STATUS OECO-
NOMICI.

Σύνοψις.

*Quid de prudentia status in
integris societatis generatim
observandum sit, §. I.
Societatis domesticae finis,
§. II.*

*Quo pacto debeat esse compa-
rata, ut finis hic obtineri
queat, §. III.*

*Media, per quae is obtineri
queat, §. IV.*

Obstacula quae ab homini-

*bus oriuntur, quo pacto
remouenda, speciatim
quae circa ipsum patrem-
familias notanda §. V.*

Et circa uxorem, §. VI.

Ut et seruos, §. VII.

Ac alios homines, §. VIII.

*Quae a rebus ipsis obstacu-
la oriuntur, quo pacto
remouenda, §. IX.*

Quid

<p><i>Quid obseruandum, si pater familias plures personas morales sustineat, §. X.</i></p> <p><i>Item si aliae societates minores cum domestica concurrant, et conjugalis §. XI.</i></p>	<p><i>Et paterne §. XII.</i></p> <p><i>Quae inferiores in his societatibus ad statum suum conseruandum obseruare debeant, §. XIII.</i></p>
--	--

§. I.

IAm vt ad specialia descendamus, primo se offert prudentia status in *personis compositis*, siue *integris societatibus*: in qua praeter generales, quas prudentia status suppeditat, regulas, speciales quaedam obseruandae. Nimirum cum societas dupliciter considerari possit, vel in ordine ad *alias societates*, vel in ordine ad *membra sua*, duae inde oriuntur prudentiae leges, ex hactenus dictis tamen facili negotio deducendae. Prima haec est: *commodum vnius societatis, nisi summa hoc iubeat necessitas, per detrimentum alterius societatis non est promouendum*: est enim hoc saepissime bonum saltem apparens, quod adeo bono vero non est praefendum. Altera haec est: *commodum huius vel illius membri, est postponendum commodo totius societatis*: destructa enim societate, membro etiam qua tali saluo esse non licet, adeoque commodum membri, quod cum commodo totius societatis pugnat, est reuera bonum apparens, quod bono vero neutiquam est praefendum.

§. II.

Hisce praemisissis, de *domestica societate* teu praecipua inter minores, aliquid delibabimus,

VR

vt adeo quaenam *oeconomiae* sint fundamenta, inde manifestum fiat. Nimirum *finis* prudentiae oeconomicae est felicitas domestica totius familiae, quae scilicet in affluentia rerum ad vitam honeste transigendam necessariorum consistit. Quicquid ergo ad hunc finem facit, patri-familias, iisque, qui domesticam societatem promouere et conseruare cupiunt, est faciendum. Hic finis autem tamdiu bonus est, quamdiu fini generali, sub quo continetur, felicitati scilicet totius ciuitatis, aut generis humani, non repugnat. Repetendum enim quod alibi demonstratum, multa in se bona esse, quae cum aliis bonis comparata, mala fiunt.

§. III.

Hic finis itaque vt obtineri possit, ipsam societatem oeconomicam ita comparatam et institutam esse decet, vt in ea nullum impedimentum reperiatur: idque tum ratione personarum, quae hanc societatem componunt, de quibus deinceps ex instituto, tum ratione rerum et circumstantiarum, v. gr. loci, in quo paterfamilias fortunarum suarum fixit sedem, &c.

§. IV.

Media rem familiarem augendi, et finem societatis oeconomicae promouendi, vel *ordinaria* sunt, vel *extraordinaria*, (horum exemplum vir diuinus Iacobus suppeditat) itemque vel
bonesta

honesta licitaque, vel turpia et illicita. Illicita licet interdum magnam vtilitatem per compendium afferre videantur, re tamen accuratius expensa, quilibet intelliget, ea reuera plus nocere, quam prodesse. Honestorum varia iterum genera sunt, vt *agricultura, mercatura, pecuaria &c.* In omnibus autem prudentiae regulae generales probe sunt obseruandae, contra quas peccant, qui v. gr. eiusmodi augendae rei familiaris rationem incunt, ad quam nulli illis suppetunt sumptus, item, qui vt subito ditescant, naui periculosum iter ingressurae maximam fortunarum suarum committunt partem, tutiora media minus tutis postponentes.

§. V.

Obstacula quoque, quae ab hominibus, per quos res familiaris augeri et promoueri debet, oriuntur, sedulo sunt remouenda. Hos inter eminent ipse *paterfamilias*, qui vt ad oeconomicas functiones aptus sit, requiritur cum primis *naturalis indoles.* Videntur autem per naturam ad oeconomicam administrationem aptissimi, qui temperamento, melancholico, sed per sanguineum temperato, gaudent. Hi enim et ingenio et memoria valent. Vtriusque autem in oeconomia magnus vsus est. Sed necesse est, vt etiam accedat *prudencia oeconomica*, vsu et exercitatione comparata, quorsum et commercia cum hominibus artis oeconomicae peritis, plurimum faciunt.

Hh

§. VI.

§. VI.

Deinde et ab *uxore* maximum saepius oritur rei familiaris impedimentum. Hanc itaque ad rem oeconomicam tractandam plane compositam esse decet. Nec refert, ut inepte nonnulli sibi persuadent, quantas secum adferat opes, cum a prodiga illae facile dilapidari possint, cum rei oeconomicae perita contra et nouas acquirere, et acquisitas rite conseruare queat. Ratione *indolis* itaque nec prodiga sit, nec voluptati aut delitiis dedita: quoad *vitae genus* consultum fuerit, quas a tenera aetate, tali, quod maritus sectatur, adfueuerit, ducere. Quod si ad rem oeconomicam minime accommodata videatur, explorata eius propensione, sensim flectenda, et ad finem, quem sibi paterfamilias proposuit, aptior reddenda est.

§. VII.

Sed et *seruorum* habenda est ratio. Ergo eiusmodi seruos adsciscere decet, qui ad officia, quae ab illis exiguntur, praestanda sint idonei, praesertim qui nec furaces sint, nec otio et voluptatibus dediti, nec prodigi, nec iam morigeri. Hunc in finem prodedit indolem ac temperamentum eorum habere exploratum. Adsciti autem prudenter emendandi, corrigendi, dirigendique sunt, ut non minus metu quam amore ducti, et iusta alimentorum ac mercedis subministrati allekti, muneris sibi demandati partibus prompte fungan-

fungantur. Nec quacuis quibusnis demandanda sunt, sed dispiciendum, ad quas functiones quisque prae ceteris aptus sit. Ipse denique dominus ad eorum actiones sedulo attendat, ubique praesens sit, nec ullam occasionem rem negligenter ac perperam agendi, subministret.

§. VIII.

Sunt et *alii homines*, ad quos *patrifamilias* caute rem domesticam administraturo, attendere decet. Nimirum et vicinorum, et opificum, aliorumque hominum, quibuscum quotidie illi commercia intercedunt, exploratum habere genium debet. De quibus omnibus vnicum heic obseruasse sufficit, quod scilicet fraudulentos, et suis commodis nulla habita iustitiae ratione inferuientes, fugere ac euitare deceat.

§. IX.

Denique quod ad *ipsa negotia* attinet, in eorum intelligentia cardo prudentiae oeconomicae versatur. Necessse ergo est, vt pro instituti sui et scopi ratione, omnes *partes oeconomiae* ad vnguem calleat, v. g. oeconomiam ruralem, siue agriculturam, pecuariam, piscatoriam, venatoriam, hortensem etc. Deinde vt in hisce omnibus tum ad ceteras circumstantias, tum maxime ad *tempus* accurate attendat; quando v. gr. semen terrae committere, venari, piscari, emere, vendere, &c. deceat.

Hh 2

Nec

Nec locum negligat, cum alius ad venationem, ad agriculturam alius, alius ad rem frumentariam, alius ad commercia siue maritima, siue alia, magis accommodatus sit. Tandem semper cogitet, non minorem prudentiam in opibus rite acquirendis, quam acquisitis recte dispensandis, requiri.

§. X.

Observandum quoque, quod paterfamilias saepius plures personas morales sustineat, vnde et plures fines oriuntur, qui ne sibi aduersentur, aut vnus alterum impediatur, id quidem rursus prudentiae opus est. Equidem status totius societatis, et status patrisfamilias inter se ita coniuncti sunt, vt nunquam, vel raro admodum secum pugnent, aut etiam diuersi sint: interim status societatis eiusque felicitas, iuxta communes prudentiae regulas, semper praeponderare debet: sicut si etiam ciuis est, status societatis ciuili praefertendus est status societatis domesticae.

§. XI.

Quin in eadem societate domestica plures sunt societates minores, in quibus tum status ipsius societatis, tum singularum personarum considerari possent: sed cum hi raro a se inuicem differant, superuacaneum illud foret. Interim ipsarum societatum status, vt sine, ita et re ipsa, maximopere differunt. Sic societas coniugalis, quae cum domestica vtplurimum coniungitur,

tur, pro scopo habet felicitatem coniugalem: quae vt rite obtineri possit, itidem ad finem, subiecti conditionem, et media, diligenter est attendendum.

§. XII.

Eodem modo se res habet in *societate paterna* in qua prudentia educandi sobolem, res longe difficillima, summe tamen necessaria est. Pleraque tamen huc redeunt: sedulo dispiciendum, ad quodnam vitae genus, habita ratione ingenii, fortunae etc. liberi maxime sint idonei, hunc in finem indoles illorum rite exploranda, id quod fiet, si accurate indagemus, valeantne cum primis iudicio, memoria, vi imaginatrice &c: via facilissima et suavissima est eligenda, ne labore et taedio fracti, retrorsum eant, et spe nostra nos frustrentur. Interim cauendum, ne dum laborem subterfugiunt, et in studiis nihil nisi delicias sectantur, pro Junone amplectantur nubem, et viam ingrediantur, quae in deuia et abrupta ducat. Homines quoque illis erudiendis admouendi sunt, qui non tantum, artem quam ipsimet profitentur, probe edocti sint, sed et qui *prudentia informatoria* polleant. Ubique autem aetatis habenda est ratio, et ad ea tractanda admouendi, quae cuilibet aetati sunt conuenientia.

§. XIII.

Habent vero et *inferiores* in hisce societatibus, vxores, liberi, serui, etc. suum statum, et

ad eius conseruationem intenti sunt. De quibus in genere illud monuisse sufficit, quoties status illorum conseruatio statui totius societatis, aut superioris aduersatur, imprudenter agunt, si eum statui societatis aut superioris praeferrant. Quod enim inde sibi pollicentur bonum, apparet saltem est, minusque diuturnum.

SECT. III.

de

PRVDENTIA STATVM REIPUBLICAE
CONSERVANDI IN GENERE.

Σύνοψις.

Quotuplex finis specialis rerum publicarum esse possit,

§. I.

Quod finis reipublicae verum bonum esse debeat, §. II.

Quotuplici ratione fiat bonum apparens, §. III. IV.

Quod ad naturam et vires ciuitatis quoque respiciendum sit, tum quoad indolem ciuium, §. V.

tum quoad ipsam reipublicae

formam, §. VI.

A quibus impedimentum reipublicae afferri possit, §. VII.

Si hoc ab aliis gentibus fiat quid factu opus? §. VIII.

Quod ab ipsis impensitibus quandoque incommodum oritur, §. IX.

Quo pacto huic obuiam eundum, §. X.

§. I.

Accedimus itaque ad id, quod caput causae est, rationem videlicet statum totius ciuitatis conseruandi. Hanc vt rite edoceamur, ordiendum est a *fine*. Solet autem praeter

ter

ter communem et generalem omnium ciuitatum finem, securitatem scilicet, et ciuilem felicitatem, quaelibet respublica *finem peculiarem*, sibi propositum, et constitutum, habere. Sic aliae ciuitates ad gloriam, et magnum amplumque imperium per bella, aliae ad diuitias per commercia, aliae ad voluptates et otium, adspirare dicuntur.

§ II.

Ego vero vt non diffiteor, aliam gentem ciuitatemque ad res bellicas, aliam ad commercia aptiorem esse, ita neutiquam velim huncce finem ciuitati alicui constitutum esse, cum ita facile euenire possit, vt ex *bono vero* fiat *apparens*, et id quod ciuitati salutare esse poterat, eandem corrumpat atque euertat.

§. III.

Nimirum, quod de singulis hominibus dictum, de integris etiam intelligi potest ciuitatibus: diuitiae, opes, gloria, imperium, et id genus alia, bona quidem sunt, si iisdem recte vtaris, mala fiunt, si abutaris. Ergo si ciuitas v. g. ad commercia maxime apta sit, prudenter quidem agit, si hac occasione ad finem suum, securitatem scilicet stabilitatemque rite vtatur, minus prudenter, si diuitias earumque acquisitionem pro fine sibi proponat, ita enim eam necessario euerti oportet. Eodem modo in iis comparatum est, quae ad res bellicas aptae sunt.

§. IV.

Non minus et tum quoque in bonum appa-
rens degenerant diuitiae, si eo modo acquirantur,
vt hoc ipso aliis noceatur. Tum enim iuxta
prudenticæ legem supra traditam, nocent magis
quam profunt. Bella itidem, quamdiu ad fi-
nem licitum, et eo modo geruntur, quo alii
non laeduntur, reipublicae prodesse et ad eius
perennitatem aliquid conferre possunt: destru-
unt contra rempublicam, si aliter sint comparata.
De iis ciuitatibus, quae voluptatem pro fine ha-
bent, nihil addere necesse est, cum quilibet in-
telligat, eas diuturnas esse non posse.

§. V.

Si ergo ciuitas finem suum, stabilitatem sci-
licet, obtinere cupit, *naturam suam et vires* pro-
be exploratas habeat. Atque hoc alterum mo-
mentum est, quod ex praescripti lege, nobis de
ea expendendum est. Consideranda autem est
tum *materia*, tum *forma* ciuitatis. Ratione *ma-*
teriae videndum, quatenam sit indoles ipsorum
hominum, qui ciuitatem constituunt, et primo
quidem, sintne ad bellum, an ad commercia, an
ad opificia, vel alia negotia aptiores; deinde, an
per indolis suae ac naturae rationem iugi patien-
tes sint, nec ne: sic multas gentes constat ad
seruiendum velut natas et a natura factas esse,
cum aliae contra pro libertate vitam dimittere
para-

paratae sint, et denique ad quas virtutes et vitia per naturam proniores sint.

§. VI.

Ratione *formae* autem considerandum, quod alia feliciter in statu monarchico procedant, quae in statu aristocratico non sine ingenti periculo, aut damno reipublicae, suscipiuntur. Commercia facilius florent in ciuitatibus liberis, quam in monarchicis. Hae contra ad bella gerenda aptiores sunt, quam illae. Religionum diuersitatem, quantum ad prudentiam status attinget, recte tolerat libera ciuitas, quae in regnis magnis motibus, grauissimisque bellis, saepius subministrat occasionem.

§. VII.

Expendendum porro, vt nunc ad media progrediamur, a quibus potissimum *impedimentum* afferri possit, quo minus ciuitas finem suum obtineat. Hi vero ad tres classes reuocari possunt; namque *impedimentum* afferri potest tum ab aliis ciuitatibus, praesertim vicinis, tum ab ipsis summis imperantibus: tum denique a ministris qui tractandis reipublicae negotiis admouentur. Sed de his in sequentibus ex instituto dicetur.

§. VIII.

Quod ad alias gentes, praesertim vicinas attinget, prudentia status civilis requirit, vt earum vires et voluntatem accurate cognita habeamus: quem in finem exploratores in aliorum

Hh 5

Prin.

Principum aulis alere non erit nefas, vt adeo certi reddamur, an possint, aut velint nobis nocere. Quod si possint, et velint, opera danda, vt aut vires illarum, sed via honesta et licita, inominuantur, aut quod tutius, vt beneficiis variisque officiis delinitae, nobis concipientur, et adeo ita nostrae consulatur securitati: via illicita autem et inhonesta illis nocendi vires adimere, imprudens et periculosum est. Si nocere velint, sed nequeant, non videntur adeo timendae, interim vtilius erit, et eas sibi adiungere. Si denique possint, sed nolint, confirmandae, et magis magisque variis officiis deuinciendae nobis, et obstringendae sunt.

§. IX.

Ab *ipsis imperantibus* multiplice ratione ciuitatibus afferri incommodum potest, praecipue tamen tribus modis, si plane non sint ad imperandum idonei: si non sint conuenientes huic aut illi reipublicae formae: si idonei quidem sint, sed iis praediti sint moribus, qui ciuitati perniciem afferre possint.

§. X.

Ergo status ratio in ciuitatibus requirit, non ad mouere rei summae nisi homines, ad imperandum aptos. Videtur hoc facilius in *rebus publicis liberis* aut *regnis electiuis*, obtineri posse, quam *successiuis*: interim haec alia commoda habent, quibus istud incommodum pensetur. Praeterea illorum, quibus summa rerum committenda

tenda est, diligenter est exploranda indoles, an statui reipublicae sit conueniens. Viros bellicosos, in republica ad commercia potius quam res bellicas apta, summae rerum praeficere, a summa status imprudentia parum abest. Nec minus vitia, et virtutes eorum, exploratas habere decet. Quos ambitio vexat, quique imperandi libidine flagrant, reipublicae aristocraticae et democraticae clauo non possunt admoueri, nisi prudentiae status regulae, plane insuper habeantur.

SECT. IV.

de

PRVDENTIA STATUS CIRCA LEGES
ET IVDICIA.

Σύνοψις.

Ad media conservandi reipublicam cum primis pertinet prudens administratio iurium maiestaticorum, §. I.

Speciatim leges ita ferendae sunt, ut earum obsequium obtineri queat, §. II.

Nec in superfluis occupentur, §. III.

Ita ferantur ut cives sua sponte eis pareant, §. IV.

Nec temere quis ab iis eximatur, §. V.

Multo minus facile mutentur, §. VI.

Porro ita ferantur ut una alteri suppetias ferat: quae admodum et imperantibus est, ut ipsi ad suas se componant leges, §. VII.

Circumstantiarum quoque in eis promulgandis habeatur ratio, §. VIII.

In iudiciis prudenter administrandis certum observandas ordo, ne lites nimis protrahantur, §. IX.

Item, ne nimis litigantibus faciendi sint sumptus, §. X.

In eisdem prudentiae est occurrere.

*reconsultorum decreta Res magni momenti, non
ferre sententiam, §. XI. temere iudici inferiori
Quid circa prouocationes permittenda, §. XIII.
obseruandum, §. XII.*

§ I.

Sequuntur nunc porro inter *media* conseruandi statum reipublicae *ipfa negotia*, siue *actiones* ciuitatis. Huc autem pertinent omnia *exercitia iurium*, vt vocantur, *imperii*, in quibus adeo non minus quid lex, quam quid prudentia inbeat obseruandum, nisi ciuitas sine suo excidere, et se ipsam in perniciem dare velit. Summa autem huc redit, iura maiestatica ita exercenda esse, vt securitas et incolumitas reipublicae quam facillime, et commodissime, obtineri possit. Ordine itaque cuncta perlustrabimus, et primo quidem ea, quae *disquisarantiae* supra vocauimus, deinde et illa, quae *aequiparantiae* diximus.

§ II.

Inter ptiora eminet facultas *legislatoria*. *Leges* itaque non ferendae sunt, quarum obsequium aut plane non, aut difficulter obtineri possit. Tantum enim abest, vt eiusmodi leges ad finem reipublicae, eiusque salutem, et perennitatem quicquam faciant, vt potius nihil aeque reipublicae noceat. Namque si magistratus, quod inde euenire necesse est, se imparem obsequio legibus extorquendo ostenderit, auctoritatem eius contemni, et ita reipublicae

publicae compagem velut dissolui necesse est. Maxime hoc obseruandum, vbi de corrigendis in republica malis agitur. Accedit, quod si nimia subditis imponantur, ad seditiones, rebelliones, tumultus, concitentur, vnde reipublicae ruina sequi necesse est.

§. III.

Nec in superfluis, et non necessariis, leges occupentur. Vix enim necessariis impetrandis auctoritas legum et magistratus sufficit, quid itaque necesse est, non necessaria iubendo, et onera, et odium subditorum erga magistratus augere.

§. IV.

Ita quoque ferantur, vt subditi sua sponte potius quam necessitate adducti, iisdem pareant. Hinc leges vtilis tantum ferendae, aut si forte subditis minus vtilis videri possint, externa quaedam vtilitatis species illis concilianda. Multum huc confert ipsa ratio et modus promulgandi: si enim aliquid non tantum iubeatur, sed rationes etiam addantur, quibus inductus imperans legem istam sanciuerit, eo facilius subditi obtemperabunt.

§. V.

Praeterea nemo temere a lege eximatur, nec privilegia facile concedantur. Quod si enim alii idem petant, nec obtineant, illorum, qui impetrarunt, fortunam, aegris contuebuntur oculis, et ad seditiones proueniunt. Nihil enim

enim intolerabilius videtur subditis, quam inaequalitas. Sin pluribus privilegium impertiatur, vim legum exspirare necesse est, adeoque rursus sine suo excidet ciuitas. Satius autem est, vnum aut paucos denegatione priuilegii, aut dispensationis offendere, quam legum auctoritatem, et ipsam rempublicam periculo exponere. Quod vt eo tutius fiat, solent interdum imperantes, clausulas eiusmodi addere, quibus se ipsos omni dispensandi facultate priuare videntur, quae eo comparatae sunt, vt importunis quorundam, dispensationem efflagitantium, petitionibus, obuiam ire possint.

§. VI.

Nec mutandae saepius leges sunt. Imminuitur enim ita et legum et imperantium auctoritas. Est enim incerti et fluctuantis animi iudicium, semel decreta atque sancita mox reuocare: minusque obsequii sperandum, vbi obsequium dissoluitur: et quod in vna lege fit, id in ceteris fieri aut posse, aut debere, populus sibi persuadet.

§. VII.

Consultum quoque fuerit leges ita ferre, vt vna alteri velut suppetias ferat, vt, si leges de vectigalibus atque tributis adiuentur atque promoueantur, per leges sumptuarias; quemadmodum et ingens momentum, vt leges ciuiles sancte obseruentur, (eas autem sancte obseruari

uari reipublicae maximopere interest), conferent ipsi imperantes, si sua sponte ad leges a se latas suas actiones componant, et ita ciuibus exemplum praecant. Exemplo enim plus, quam grauisimis poenis proficitur.

§. VIII.

Nec negligendae sunt circumstantiae loci, temporis &c. quippe quae utramque hic faciunt paginam. Quam hodie magno applausu recepturi sunt legem, ciues, eam si alio tempore promulgetur, forte detestabuntur.

§. IX.

Iudicia, in quibus leges ad facta ciuium applicantur, ut ita exercentur, ne respublica vllum inde detrimentum capiat, sed ut finis ciuitatis per ea potius promoueat, prudentia status iubet: primo ut certus ordo atque modus a republica praescribatur, ne lites protrahantur, et ita improbitati praesidium aliquod circumponatur.

§. X.

Deinde, ne litigantibus nimii faciendi sint sumptus: ita enim pauperes, cum iudicem adire aut nolint, aut nequeant, improborum vexationibus, semper erant expositi, et defatigati tandem iniuriis, ad magna facile concitabuntur crimina.

§. XI.

Quod si in re dubia ab ipso summo imperante ferenda sit sententia, et vero alterutra pars
ita

ita sit offendenda, indeque motus quidam, aut aliud malum oriri possit, vtile erit, viros iuris peritos, consulere, et ex illorum decreto, sententiam ferre. Ita enim imperans omnem inuidiam prompte a se amolietur.

§. XII.

Prouocatio quoque licet nemini temere denegari debeat, ita nec promiscue omnibus in qualibet causa ex prudentiae lege, est concedenda. Namque si in qualibet causa prouocare liceat ad summum imperantem, auctoritas iudicis inferioris imminuetur, et occasio lites quascunque protrahendi, improbis suppeditabitur.

§. XIII.

Sic et si lis magni momenti sit, ex cuius decisione damnum aut vtilitas in ipsam rempublicam redundare possit, eam non temere iudicis inferiori permittat, sed ipse potius summus imperans eandem pertractet, ponderatis non minus iustitiae, quam status sui momentis.

SECTIO V.

de

PRVDENTIA STATVS CIRCA POENAS ET PRAEMIA.

Σύνοψις.

Quod in poenis quoque magna adhibenda sit cautio,
§. I.

Quod speciatim prudentia

quoque iubeat vt accurate proportio inter poenam et delictum obseruetur, §. II.

Quid

Quid factu opus si poena sine periculo exigi nequeat, §. III.

De modo hac casu exigendi poenas capitales, §. IV.

Prudentiae quoque est poenas legibus definire, §. V.

Et quidem paulo grauiores, §. VI.

Quod magistratibus inferioribus non temere concedenda sit facultas remittendi aut mitigandi poenas, §. VII.

Quid faciendum in delictis totius multitudinis, §. VIII.

Delictis non hominibus insciendum, §. IX.

Contra mala inueterata sensim procedendum, §. X.

In praemiis conferendis dispiciendum, ut accipientes sint grata, §. XI.

Nec committendum ut euilescant, §. XII.

Circumstantiarum denique et hic habenda est ratio, §. XIII.

§. I.

Cum imprimis in poenis magna opus est cautio-
ne. Si enim non exigantur, praeterquam
quod imperans contra legem naturae pec-
cet, imprudenter etiam agit, cum ita leges euile-
scant, et ipsa collabascit respublica. Sin exi-
gantur, facile crudelitatis suspicionem subeunt
imperantes, unde odium sequitur, quod ciuitati
non perniciosum esse nequit.

§. II.

Vt ergo haec incommoda euitentur, pruden-
tia iubet, ut proportio inter poenam et delictum
accurate obseruetur. Quo maior enim est poe-
nae aequitas, eo minor in punientem redundat
inuidia.

§. III.

Si sine ingenti periculo poena exigi ne-
queat, ita remittatur, ut imperans ex fauore

et gratia potius, quam necessitate hoc fecisse, videri queat. In specie si forte a viris auctoritate et gratia plebis florentibus, poena sit sumenda, et vero hoc sine magnis motibus, et periculo totius reipublicae fieri nequeat, consultum erit, eiusmodi poenam excogitare, quae speciem honoris habeat. Commodum quoque erit aliquando delicta dissimulare, ne aut puniendo, periculis rempublicam exponamus, aut non puniendo, virium nostrarum prodamus imbecillitatem.

§. IV.

Quoad modum poenas, praesertim capitales, exigendi, sedulo cauendum, ne viri auctoritate et potentia florentes, eo loco ac tempore puniantur, quo fauor plebis erga illos ipso supplicio augeri et inflammari possit. Male enim saepius admouentur oculi spectando illius supplicio, cuius causam commiseratio meliorem facere videtur. Expedi etiam quandoque, modo imperans de crimine certus sit, sine ordinario iudiciorum strepitu, punire homines, quorum supplicium non sine periculo differtur.

§. V.

Iuuabit etiam poenas legibus definire, nec magistratus arbitrio relinquere. Tum enim eo facilius omnem amoris, aut odii, suspicionem declinare poterunt. Videbuntur enim ex legis praescripto noxios puniuisse.

§. VI.

§. VI.

Nec inutile erit, poenas paulo grauiores legibus indicare, cum hac ratione semper summo Imperanti liceat poenas paulisper mitigare, et hoc ipso subditorum animos sibi conciliare, ac clementiae famam acquirere.

§. VII.

Interim ne, si temere poena remittatur aut mitigetur, auctoritas legum euilescat, consultum fuerit, magistratibus inferioribus, neutiquam facultatem poenas remittendi, aut mitigandi concedere. Accedit vero, quod hac ratione summo Imperanti campus amplissimus, subditorum animos sibi conciliandi, aperiatur.

§. VIII.

In delictis totius multitudinis sufficit punire auctores. Ceteris parcere, prudentiae, et humanitatis erit. Poena auctorum enim efficiet, ne alii temere eadem ratione peccent: venia ceteris impertita, subditorum amorem Imperanti parabit. Ast si auctores non fuerint deprehensi, ex ipsa multitudine quosdam plectere haud abs re fuerit, ne alii sibi persuadeant, eiusmodi delicta impune committi, neue omnes puniendo crudelitatis notam subeat Imperans, aut poena clades potius, quam medicina videatur.

§. IX.

Cum primis prudenter puniturus, omnem

nauet operam, vt flagitiis, non hominibus irasci videatur. Nihil ergo intermittat, quo subditis persuadeat, se inuitum ad punienda delicta, non ex affectu, sed ex amore iustitiae et officii ratione accedere.

§. X.

Contra mala inueterata non impetu, sed sensim procedendum est, vt primo imminuantur, mox decrescant, tandem extinguantur. Medicinam imitentur poenae, haec vero morbos inueteratos non vno impetu tollit, id quod periculosum, sed sensim eorum vim infringit, donec aegrotus sanitati restituatur.

§. XI.

Ceterum quam necessarium est scelera puniri, tam utile est, virtutem honestare *praemiis*. Hoc autem vt rite et ex prudentiae praescripto fiat, tria cum primis obseruanda sunt: primo vt eiusmodi praemia conferantur, quae accipienti sunt grata et honorifica, reipublicae non damnosa.

§. XII.

Deinde, cum dignitates et honorum tituli, postquam euiluerunt, non amplius pro praemiis reputentur, sedulo in id imperantibus incumbendum est, vt raro et non nisi benemeritis conferantur. Promiscue enim omnibus collati honores sordent, nec ab ingenuis magnopere desiderantur.

§. XIII.

§. XIII.

Denique et circumstantiarum hic quoque habenda est ratio, cum primis videndum, qua re is maxime delectetur, cuius virtus remuneranda est. Praemio enim indoli cuiusvis conuenienti, vtut exiguo, saepius maior gratia initur, quam magno, sed indoli accipientis non adeo conuenienti.

SECT. VI.

de

PRUDENTIA STATUS CIRCA MINISTROS ET MAGISTRATVS INFERIORES.

Σύνοψις.

Summa et ordo dicendorum,
§. I.

In magistratus eligendos esse idoneos, §. II.

Non homines sordidos, §. III.
Sed ingenuos, etiam non nobiles, licet nobilium praecipue habenda sit ratio, §. IV.

Non excludendos esse pauperes, licet aliquando diuites illis praeferrri queant, §. V.

Indigenas praeferrandos esse peregrinis, §. VI.

Ad quaedam officia iuuenes, ad alia senes aptiores esse, §. VII.

Homines virtuti deditos, praeferrandos esse ceteris
§. VIII.

Quid factu opus, si eiusmodi homines non praesto sint,
§. IX.

Quod hic vel maxime cuiusque propensio et temperamentum quoque in censum veniat, §. X. XI.

De numero magistratuum et ministrorum, §. XII.

Consultum esse vt homines idonei per gradus ad dignitates, crebentur, §. XIII.

Item, vt aliquando electio sorte temperetur, §. XIV.

Minime autem vt officia illis, qui ad confilia adhibentur, facultatem libere sententiam dicendi, concedendam esse, §. XVII.

Auctoritas quanta magistratibus concedenda, et quo pacto illis conseruanda, §. XVI.

An expediat, vt officia publica perpetua sint? §. XVIII.

§. I.

DE ministris et magistratibus quae ex prudentiae regulis praecipui possunt, ad quatuor reuocabimus capita: *quinam eligendi sint; quot eligendi sint; quo modo eligendi sint; et denique quantum illis concedenda sit auctoritas.*

§. II.

Quod ad primum attinet, utique consultum fuerit, neminem (modo idoneus fuerit) ab officiis publicis excludere. Apprime enim hoc facit ad amorem reipublicae in omnibus excitandum, ad refraenandam illorum, qui magistratus gerunt, insolentiam, ad firmandam subditorum omnium concordiam, ad excitandam virtutem, et ad obedientiam promptam magistratibus conciliandam. Nemo tamen, nisi idoneus ad publicum munus euehatur. Idoneum autem aliquem esse iudicatur, ex *indole virtutibusque*, ad officium necessariis, ex *actate*, ex *statu*. Et quidem quoad *statum*, vt ab ultimo ordiamur, homines vel *nobiles* sunt, vel *plebei*, itemque *diuites* vel *pauperes*, vt et, *peregrini* vel *indigenae*.

§. III.

De primo statu obseruandum, quod omnino quidem ex re ciuitatis sit homines *viliores* et *sordidos*,

didos, et ordini imperantium dedecori futuros, ab eiusmodi officiis arcere. Idque ob varias causas. Namque officium magistratus, cui omnino sua constare debet auctoritas, si id genus hominibus demandetur, facile contemnitur; subditi quoque libentius iis parent, quorum etiam, antequam magistratum susciperent, non sordida fuit vitae conditio: quibus accedit, quod eiusmodi homines ad magnas dignitates enecti, ut plurimum insolentius se gerunt, magnisque adeo motibus, et turbis rempublicam saepius exponunt.

§. IV.

Interim *ingenuos*, licet *non nobiles*, ab officiis civilibus arcere imprudens fuerit, quia saepius ratione indolis et virtutum praestant nobilibus: quia nobiles hac ratione excitantur, ut animum corpusque magis colant, cum certi sint, non ob nobilitatem, sed ob praeclara merita, ad dignitates et officia civis enecti. Ceterum si nobiles et plebeii hactenus aequales sint, ut ratione aetatis, prudentiae, etc. utriusque digni sint, qui muneri alicui admoqueantur, recte omnino illi his praeferruntur ob nobilitatis decus, quod conservare reipublicae interest, et quod maiorem ad officia auctoritatem adferant, et maiorum etiam exemplis ad facta praeclara concitentur.

§. V.

Quoad *secundum statum* videtur e re civitatis esse, *pauperes* non omnino ab officiis et digni-

ratibus arcere, interim si haecenus aequales sint, ut utrique aequè idonei ad munus aliquod esse censeantur, *diuitem* aliquando potior debet esse conditio, quia minoribus ut plurimum contenti sunt stipendiis, nec rempublicam facile expilant, cum ipsi iam opibus abundant, quin eandem magis curare atque amare videntur, quia republica destructa, maiorem honorum iacturam faciunt, quam pauperes, et denique quia, quae ad splendorem muneris requiruntur, facilius, et sine reipublicae damno, comparare possunt. Maxime itaque hoc praecedit in eiusmodi muneribus, quae circa aerarium, et pecuniam publicam dispensandam, occupantur: in ceteris enim cum hae rationes raro admodum locum inueniant, non videtur ad discrimen hominum, quod ex dignitatibus oritur, magnopere attendendum esse.

§. VI.

Sed et *indigenae* cum *peregrinis* comparandi sunt. *Peregrinis* non temere aditum ad honores concedendum esse, probatur, quia hoc ipso irritantur *indigenae*, qui ut plurimum nihil acgrius ferunt, quam peregrinos sibi praeferrì; hinc saepius grauissimas seditiones, et bella ciuilia orta esse, gentium annales comprobant: quia peregrini nunquam gentis suae et patriae amorem ita deponunt, ut non ei plus faueant quam ciuitati, in qua degunt, vnde facile adduci possunt, ut rempublicam prodant: quia mores eorum,

eorum, quibus praeficiuntur, non habent exploratos, et adeo prudentiae leges vix accurate observare queunt: accedit, quod contra decus gentis sit, extraneis officia committere.

§. VII.

Denique nec *aetas* negligenda est. Cum enim ad alia officia idonei sint *iuvenes*, ad alia *senes*, tantum abest, ut iuvenes arceri ab officiis publicis debeant, ut quandoque expediat, eos praeferre senibus. Nimirum in *iuuenibus* maius adhuc est animi robur, maior agilitas, labores etiam melius tolerare possunt, quam senes. Quare si quod sit officium, quod non tam prudentiam et cautionem, quam animi praesentiam et promptitudinem requirit, illud recte iuuenibus demandabitur: contra in illis, quae exactam prudentiam, et summam circumspectionem requirunt, senes iuuenibus, si haecenus aequales fuerint, recte praeferuntur.

§. VIII.

Vtramque autem hic paginam facit *indoles* cuiusque et *genius*, et ad virtutes aut vitia *propensio*. Cum ergo constet, omnes quidem homines naturali quadam propensione aut ad honores, aut ad opes, aut ad voluptates ferri, et hinc omnia vitia originem ducere, id quidem hic neutiquam negligendum est. Nimirum citra dubium ad civile munus et reipublicae administrationem is est aptissimus, qui vi-

tamen emendavit, cum et ambitio, et avaritia, et voluptatis cupiditas, homines in reipublicae administratione occupatos, facile in transuersum agant, quo minus ad id, quod reipublicae expedit, attendant. Accedit autem, quod hi soli vere prudentes vocari possint, quae autem in ceteris laudatur prudentia, calliditas, aut astutia, vel quidvis potius, quam prudentia est.

§. IX.

Nihilofecius cum raro admodum emendatae vitae homines reperire liceat, nedum tot, quot ad reipublicae administrationem requiruntur, prudentiae erit eos eligere, qui vtut non optimi, nec tamen pessimi sunt, et non adeo mali; cumque pro diuersitate propensionum, alii ad alia negotia aptiores sint, necessitas in sapientiam vertenda, et ipsa hominum ad praua inclinatione, ad reipublicae salutem, vtendum est: quin si vir emendatae vitae iis artibus non sit instructus, quas ciuile munus requirit, non emendatae vitae hominem, sed earum artium peritum, illi praeferre, omnino necessitas iubet.

§. X

Sed maxima tamen prudentiae pars est, *naturali* quorumuis *propensione* recte vti. Sic ad aerarium recte constituendum, et conseruandum, rite adhibueris homines, in quibus *temperamentum melancholicum* eminet, quippe qui rerum huc pertinentium peritiam facile sibi acquirunt: sed ipsam pecuniam iis minus recte commise-

miseris, nisi simul ratio praesto sit, impediendi, ne publicum parte pecuniae fraudare possint. Si, *cholericum* primum, *melancholicum* secundum locum teneat, maior fides illis erit, nec minor ad rem faciendam solertia.

§. XI.

Ad consilia, ad totum reipublicae statum spectantia, prudenter adhibentur homines, quorum temperamentum *cholericum sanguineo* utcumque est temperatum. Namque hi et iudicio polent, nec tamen nimis pertinaces sunt, in sententia sua defendenda, quod non semel civitatibus perniciem attulit. Si a *sanguineo* superetur *cholericum*, humanitate et affabilitate sunt insignes, et ad legationes, et id genus officia, recte adhibentur. Hac indole quoque provinciarum gubernatores praeditos esse decet, ut prudentia et humanitate continere in obsequio ciues possint. Sin autem a *cholericis* superetur *sanguineum*, fortes, intrepidi, et iudicio valentes inde euadunt, quales bellicos duces, et militiae praefectos esse decet. In quibus vero *sanguineum* temperamentum plane regnat, ut voluptatibus vnice dediti sunt, ita vix alia negotia, quam quae ad aulae splendorem et apparatus pertinent, recte illis demandabuntur.

§. XII.

De numero ministrorum et magistratum, ut nunc ad alterum momentum accedam, ita sentio, nec iusto plures, nec pauciores esse debere.

Plures

Plures oneri erunt reipublicae: pauciores cum-
 his negotiis rite administrandis, non sufficient.
 Interim non immerito nonnulli addunt, eius-
 modi officia, in quibus plus imperii quam curae
 et laboris esse debet, neuiquam pluribus com-
 mittenda esse, quoniam sic facilius auctoritas im-
 minuitur et euilescit.

§. XIII.

Quoad *modum* officia hominibus idoneis
 committendi, consultum fuerit, eos per gradus ad
 dignitates euehere. Namque ita rerum ciuiliū
 tractationi sensim adsuescunt. Et si minores
 magistratus gerentes peccent, quod hominibus
 nondum exercitatis facile euenire potest, minus
 illud reipublicae perniciosum est, quam si in ma-
 ioribus dignitatibus constituti errent. Quo ma-
 iorem etiam peritiam, eo plus auctoritatis, et mi-
 nus inuidiae, ad maiora officia secum adferunt.
 Laudandus quoque gentium illarum mos est,
 apud quas adolescentes iuuenesque, in contuber-
 nium magnorum virorum adscisciebantur, vt a
 tenera aetate rerum vsui et tractationi adsuesce-
 rent.

§. XIV.

Nec displicet mihi illorum sententia, qui a-
 liquando electionem sorte temperandam esse
 suadent, ita vt primo nonnulli designentur, qui
 aequae idonei sunt ad officium: deinde quis ex
 illis praeferri debeat, sorti committatur. Tale
 quid in republica Veneta receptum esse, con-
 stat.

stat. Ita enim non nisi digni et idonei ad reipublicae administrationem admouentur, et simul inuidia, quae oriri solet, si ex pluribus, prudentia, virtutibus, genere, &c. aequalibus, vnus ceteris praeferatur, commode declinatur.

§. XV.

Minime autem illorum probare institutum possum, qui magistratus et officia vendunt: ita enim homines indignissimi, ad grauissima saepius euehantur munera, vnde maximam in rempublicam redundare perniciem, necesse est. Taceo quod hoc ipso ministrorum et magistratum avaritia intendatur, dum quisque quicquid sumptuum fecit, vt officium obtineret, recuperare annititur.

§. XVI.

Auctoritas denique tanta ministris et magistratibus inferioribus est concedenda, quanta requiritur, vt munere suo rite fungi possint. Et haec quoque a summis imperantibus omni modo illis est conseruanda. Si ergo is, qui magistratum inferiorem gerit, ob delictum puniendus sit, puniri autem omnino potest, cum, vt bene Grotius docet, ratione summi imperantis sit subditus, consultum fuerit, ea ratione illum punire, ne ipsum officium inde euilescat. Non male itaque apud nonnullas gentes nemo nisi deposito prius et eiurato magistratu, puniri solet.

§. XVII.

§. XVII.

In specie illis, qui ad consilia adhibentur, facultas libere sententiam dicendi concedi debet. Neque fraudi alicui debet esse, si sententiam dicat, quae aut imperanti non placeat, aut reipublicae non adeo expedire videatur. Sane si ob eiusmodi consilium statim aliquis puniatur, nemo reperietur, qui libere sententiam dicere velit.

§. XVIII.

Ceterum multum ad auctoritatem magistratibus conciliandam facit, si officia publica perpetua sint. Vbi tamen, ne ciuitas inde detrimentum capiat, magna opus est cautione. Minus enim periculum ciuitati imminet, si eiusmodi officia continuentur, in quibus plus laboris est, quam imperii. Contra in quibus multum imperii est, ea vt perpetua sint, non videtur semper e re ciuitatis esse. Qui enim eiusmodi dignitatibus fulgent, facile inde occasionem res nouas moliendi, et rempublicam turbandi, attripere possunt.

SECT. VII.

de

PRVDENTIA STATVS CIRCA AERARIUM, TRIBVTA, ET VECTIGALIA.

Σύνοψις.

*Tractionis ordo, §. I.**Vnde aerarium constituatur,**§. II.**Quid circa eius constitutionem observandum, §. III.**Media augendi aerarium ordin-*

dinaria, §. IV.
An mercatura imperantes
deceat? §. V.
Quod beneficia naturae arte
quandoque adiuuanda
sint, §. VI.
De publicorum praediorum
venditione quid censetur
dum? §. VII.
Et de eorundem elocatione,
§. VIII.
Quod scholarum classis et
regiarum erectio huc et-
iam aliquid faciat, §. IX.
De modis augendi aerarium
extremordinarius, §. X.
De ratione conseruandi ae-
rarium, §. XI.
De tributis, et vectigalibus
quid generatim obseruan-
dum, §. XII.
Quo pacto ciues ad tributa et
vectigalia soluenda idonei
reddi queant, §. XIII.
Vt tributa et vectigalia impe-

ranti plurimum commodi,
parum odii afferant, accu-
rate in eis obseruanda est
aequalitas, §. XIV.
Adeoque non temere quis-
quam ab eis eximend-
us, §. XV.
Mencibus, quae tantum ad
luxuriam faciunt, gra-
uione vectigalia imponen-
da, §. XVI.
Nihil denique omittendum,
quo effici queat, vt tribu-
torum onus ciues minus
sentiant, §. XVII.
Quae semel imposita sunt,
non facile sunt tollenda,
riulumque magis quam
exterorum habenda ratio,
§. XVIII.
Occasioni et hic inferuen-
dum, §. XIX.
De modo, quo exigenda sunt
tributa et vectigalia, quid
obseruandum, §. XX.

§ I.

CUM ad ministros alendos, stipendiaque ma-
 gistratibus exsoluenda, et alia ciuitatis ne-
 gotia magni requirantur sumptus, ordo
 nunc postulat, vt quae de aerario ciuitatis rite
 constituendo, augendo, et conseruando, prudentia
 status praecipit, edisseramus.

§. II.

§. II.

Constituitur autem aerarium ciuitatis partim ex *rebus*, praesertim *immobilibus* earundemque prouentibus, partim ex *iuribus singularibus*, quae imperantibus per leges fundamentales, aut ex consensu ciuitatis, concedi solent. Et ad *res* quidem quod attinet, iam alibi demonstratum est, cum in occupatione vniuersitatis, non omnia commode inter singulos diuidi potuerint, nonnulla imperantibus in usum ciuitatis fuisse concessa. Huc pertinent *syluae, flumina, metallifodinae* &c. et prouentus, qui ex hisce progignuntur. Sed et omnia *loca publica* huc referri possunt, quorum usus pro certo pretio priuatis concedi solet. Ad *iura* autem non tantum refero *ius tributorum* et *ueligalium*, sed et *ius ad eundem haereditatem*, si ex priuatis nullus haeres aut successor adsit, et id genus alia.

§. III.

Circa *constitutionem aerarii* itaque prudentia iubet, vt tantum bonorum et iurium imperanti ad publicos ciuitatis usus concedatur, quantum ciuitatis finis requirit. Sumptuum enim et pecuniae defectu, saepius ea suscipere, aut ad finem perducere non potuerunt summi imperantes, ex quibus ceteroquin maximum ad reipublicae salutem, et stabilitatem, adferri potuisset momentum. Ratio quoque postulat, vt ea concedantur, et usui huic consecrentur, quae reipublicam maxime iuant, singulis non valde molesta sunt.

§. IV.

§. IV.

Media aerarium augendi vel *ordinaria* sunt, vel *extraordinaria*. Ad illa refero: sumptuum publicorum, quantum reipublicae salus permittit, imminutionem: federa ea lege inita, ut sociorum potentiorum liberalitate subleuemur: huc pertinet, si miles bene exercitatus, pro certo pretio aliis civitatibus concedatur. Praeter ea multum ad aerarii augmentum conferet, pecuniam publicam, pro licitis, et honestis, usuris mutuo dare. Nonnullis Italiae rebus publicis hoc solenne esse dicitur: quae etiam per *montes*, ut vocant, *pietatis*, aerarium callide augere norunt.

§. V.

Addunt nonnulli *mercaturam*. Quae an imperantes, rerumque dominos deceat, nonnulli dubitant. Sed vero cum non omnis mercatura illiberalis sit, et quicquid sordium trahere videtur, id a vitis hominum trahat, nullam causam video, quare illorum sententiae, qui Principes mercaturam dedecere asserunt, suffragari debeam. Attendendum tamen hic maxime est, ad subditorum, quam de mercatura fouent, opinionem, moresque, et regionis situm, &c.

§. VI.

Accedit denique etiam cumulus ad aerarium reipublicae, si aquae per naturam non navigabiles, industria et arte navigabiles reddantur,

K k

tur,

tur, siue *canales et tractus* ad minora nauigia effodiendo, siue alia ratione.

§. VII.

Publicorum praediorum venditionem addere non auderem, nisi alios mihi exemplum praeciuisse viderem: sed diligenter hic dispiciendum, quousque imperantis potestas, circa bonorum venditionem suos proferat limites, et num lucrum tantum sit, vt reipublicae interfit, bona ista abalienare.

§. VIII.

De publicorum praediorum elocatione res minus dubia videtur, modo caueatur, ne conductor praediis abutatur, et ea plane inuutilia reddat.

§. IX.

Denique et scholarum tum *classicarum*, tum *regiarum* fundationes nonnulli addunt, eo quod ad singulos et vniuersos magna hinc promanet utilitas, vectigaliaque ex iuuenum exterorum confluxu, publicique adeo reditus adaugeantur.

§. X.

Ad *modos extraordinarios* augendi aerarium, et urgente necessitate vsurpandos, refero: si ministri et magistratus parte stipendii priuentur, ea in aerarium relata: si pecunia mutuo accipiat, sine vsuris, aut vt modicae saltem pro ea soluantur: si tributa extraordinaria indicantur, &c.

§. XI.

§. XI.

Denique quod ad modum aerarium confect-
uandi attinet, *prima* prudentiae regula est, ne
bona, aut iura ad aerarium spectanda, temere ab-
alienentur: *altera*, ut aerarii rationes rite dis-
pensentur: *tertia*, ne citra necessitatem pecunia
profundatur. Ergo nec miles praeter necessita-
tem alendus, nec immodicae faciendae largitio-
nes, et ut paucis omnia dicam, oeconomicae artis
praecipua, diligenter observanda sunt. Ad auer-
tendas etiam fraudes et dolos, et praeveniendum
crimen publici peculatus, non abs re erit, aliis
imperium, aliis curam et custodiam pecuniae de-
mandare. Addunt denique nonnulli, ad con-
fusionem evitandam, valde expedire, distincta, et
certis usibus destinata, aeraria.

§. XII.

Sed cum sine dubio, *tributa* et *vectigalia*, in-
gens momentum, ad aerarium civitatis conse-
rant, de his nunc ex instituto dicendum est.
Licet vero, ut alibi observatum, a tributis o-
mnino vectigalia differant, prudentiae tamen
praecipua utrobique observanda fere eadem
sunt. Possunt autem omnia ad duo velut revo-
cari capita: *primum* est, quod imperans curare
debeat, ut ciues ad tributa et vectigalia sol-
venda idonei reddantur: *alterum*, quod mo-
dus tributis et vectigalia solvendi ita com-
paratus esse debeat, ut imperanti plurimum

commodi, parum aut nihil inuidiae vel odii at-
trahat.

§. XIII.

Quod ad primum attinet, omnino ciuitas in hoc incumbere debet, vt ciues singuli opibus atque diuitiis floreat: ceteroquin enim ad onera reipublicae ferenda minus erunt idonei. Hoc autem obtinebit, per leges sumptuarias. Facultates enim ciuium non alia magis re, quam luxu, exhauriuntur: hominesque sua natura ad omnia vitia, maxime autem ad luxum et voluptates valde procliuēs sunt. Vbi ergo luxui nec finis, nec modus, statuitur, ciues in magnam paupertatem coniici, et ruinam reipublicae accelerari necesse est. Praeterea opera danda, vt commercia et opificia floreat, et ita ciues ab ignauia abstrahantur, itemque vt res monetaria bene se habeat, de quibus omnibus in sequentibus pluribus exponemus.

§. XIV.

Alterum vt obtineatur, in tributis et vectigalibus accurate est obseruanda aequalitas, vt quantum fieri potest, pro fortunarum ac opum ratione, quisque conferat. Nihil magis enim ciuium animos exasperat, et tributorum onera grauiora reddit, quam inaequalitas.

§. XV.

Hinc et nemo temere a tributis et vectigalibus est eximendus. Praestat hominum de re-
publi-

publica bene meritorum, aut merentium, virtutes alia ratione compensari, quam publicorum onerum remissione, cum haec multum inuidiae semper secum trahat.

§. XVI.

Mercibus, quae tantum ad luxuriam et delicias faciunt, grauiora vectigalia imponere conuenit, quam iis, quae ad vitam sustentandam, sunt necessariae. Ita enim diuitibus potius, quam pauperibus, onera publica incumbunt: quod omnino ere ciuitatis est.

§. XVII.

Iuuabit etiam eiusmodi tributa colligendi modum comminisci, cuius onus singuli vix sentiant, et qui nihilosecius aerario publico multum profit: sicut et consultum erit, ciuibus luculenter ostendere, ciuitatis interesse, vt tributa soluantur: hinc et necessitatis speciem in tributis exigendis praeferre iuuabit: vtile quoque fuerit mollia nomina et minus exosa, tributis imponere. Sic constat, ipsum *capitationis* nomen multum horrorem incutere.

§. XVIII.

Quae semel imposita sunt, non facile tolli debent. Potest enim eadem reipublicae necessitas recurrere, et minori odio exiguntur, quibus iam adsueti sunt ciues, quam cum noua imponuntur. Sed et ea tributa et vectigalia imponendi ratio probanda maxime, quae exte-

ris magis quam ciuibus oneri esse videtur, vt cum rebus, quae exportantur, imponuntur.

§. XIX.

Occasioni etiam hic inferuendum, et consensus ciuium ad tributa tum praecipue exigendus, cum res gestae aut gerendae sunt, quae illis placent, aut etiam cum necessitatem reipublicae ipsi sentiunt intelliguntque.

§. XX.

Denique, vt summa fide, nec minori tamen modestia, sine impetu, sine iniuriis a ciuibus exigantur, omni opera annitendum est. An vero reipublicae conducatur, tributa et vectigalia publicanis elocare, dubito. Certe si id fiat, legibus constringendi sunt id genus homines, ne temere modum excedant, aut humanitatis limites in tributis et vectigalibus exigendis, transgrediantur.

SECT. VIII.

de

PRVDENTIA STATVS CIRCA COM-
MERCIA, ET REM MONETARIAM.

Σύνοψις.

*Ordinis ratio: an civitati
conducant commercia?*

§. I.

*In his non prudentiae minus,
quam naturae et fortunae
locus est, §. II.*

Requiriturque vt commerciens,

*mercatorum multitudo
assit, §. III.*

*Quo pacto hoc effici queat, §.
IV. V.*

*Quid faciendum, vt merca-
toribus pecunia suppetat,
§. VI.*

Requi-

Requiratur porro conueniens
optimarum mercium ad-
fluentia, §. VII.

Quae aut a natura submini-
strantur, §. VIII.

aut aliunde comparantur, §.
IX.

Quem in finem amicitia ali-
arum gentium opus est,
quae federe firmanda,
§. X.

Quo pacto per industriam
cuium produci queant,
quae commercii inserui-
ant, §. XI.

Requiratur porro ad com-
mercia prompta merci-
moniorum distractio, §.
XII.

Et ad hanc copiosus empto-
rum numerus: hic quo
pacto comparari queat, §.
XIII.

Quid de mercium ad alias
gentes exportatione sit ob-
seruandum, §. XIV.

Quid faciendum sit vendito-

ribus pretium cum mo-
num soluatur, §. XV.

De commercii maritimis
quid spectatum obseruan-
dum, §. XVI.

Commercii praecipue inser-
uit nummus, §. XVII.

De rei nummariae constitu-
tione: speciatim de valore
nummi vite definiendo, §.
XVIII. XIX.

Cur signum et nomen impe-
rentis, loci, et praefecti rei
nummariae, nummo im-
primendum, §. XX. XXI.

Quod modus conficiendi
nummum nec nimis ope-
rosus, nec nimis rudis, a-
ptissimus sit, §. XXII.

Quo pacto per figuram num-
mi, falsariorum fraudi-
bus obuiam eundum,
§. XXIII.

De rei nummariae conser-
uatione, §. XXIV.

De eiusdem emendatione, §.
XXV.

§ I.

Dicendum nobis nunc de *commerciis* est,
Praeterquam enim, quod, vt iam obserua-
tum, per commercia ciues idonei reddun-
tur, ad tributa et vectigalia soluenda, plurima
commoda ciuitati afferunt, vt nonnullae omnem
incolumitatem stabilitatemque suam commerciis

merito imputent. Interim quousque ciuitati conducant commercia, ex eius sine, et incolarum ad commercia aptitudine, aliisque momentis est diiudicandum.

§. II.

Licet autem in commerciis et *fortuna* et *natura* plurimum sibi vindicet, nec enim situs cuiuslibet regionis, aut eius fertilitas, saepius permittunt, vt commercia floreat, nihilofecius prudentiae hic quoque locum esse, nemini, iusta aestimatione rem omnem metienti, dubium esse potest. Hanc ergo in consilium adhibebit ciuitas, cuius interest, vt commercia floreat.

§. III.

Primum itaque quod ex prudentiae praescripto ciuitati circa commercia curandum, hoc est, vt conueniens *multitudo mercatorum* adsit, siue iam indigenae illi sint, siue exteri, siue in importandis mercibus, siue in euehendis illis operam collocent. *Conuenientem multitudinem* requiri dixi. Si enim iusto plures sint, lucrum in minimas partes spargitur, adeoque opes singulorum amplis commerciis vix sufficiunt. Sin autem iusto pauciores adsint, singulis quidem, sed non toti ciuitati consulitur, quae ex pluribus maiora commoda capit. Vnde et sequitur, *monopolium* non esse concedendum, nisi grauis et praegnantissima hoc iubeat ratio, vbi certis tamen limitibus est circumscribendum, cum non vna ratione in commerciorum et ipsius ciuitatis **damnum**

damnum istud cedere possit. Quid de *societatibus mercatoriis* sentiendum sit? hinc intelligere pronum est.

§. IV.

Conuenientem autem *commercantium multitudinem* ciuitas acquirere potest, si praemio proposito homines ad mercaturam excitet. In specie plurimum huc facit. si mercatoribus honoratior inter ciues concedatur locus, nec ab officiis, ad quae idonei sunt, et dignitatibus publicis excludantur; si certa priuilegia illis concedantur; si exteri, qui commerciorum causa in nostram ciuitatem sese conferunt. foueantur, et variis beneficiis alliciantur; et hunc in finem vestigalia, quae ab importandis euehendisque mercibus exiguntur, aut tollantur, aut pro re nata imminuantur.

§. V.

Et ad vltimum quidem quod attinet, licet hoc ciuitati parum vtile videatur, hoc damnum tamen, quod pati videtur, maxima deinceps, quam commercia adferunt vtilitate, facile compensatur. Quicquid ergo salua ciuitatis salute, mercatoribus gratum esse potest, et ad promptiorem quaestuosamque mercium distractionem aliquid confert, liberaliter illis indulgeatur. Haec omnia vero cum isto temperamento intelligenda sunt, vt exteris quidem mercaturae gratia faueatur, sed vt indigenarum potior habeatur cura, ipsis vicissim

ciuibus ita prospiciatur, ne cum maiori damno, exterorum mercaturam sufflamines.

§. VI.

Sed ipsos mercatores etiam opibus instructos esse decet, sine quibus felicem commerciorum successum sperare non licet. Ergo ciuitati in id incumbendum, vt opulentiores ipsi ad commercia exercenda adducantur, aut pecuniae suae usum mercatoribus non denegent: cumque nemo temere id sine emolumento facturus sit, vsuras, sed moderatas, et mercatores non omni commerciorum prouentu priuaturas, concedant: praeterea, cum nulla alia magis re opulentiores a pecuniae usu aliis concedendo detereri queant, quam si contracta nomina non soluantur, ciuitatis erit, legibus et poenis grauissimis malitiosis pecuniae decoctoribus inflictis, creditorum securitati consulere.

§. VII.

Alterum quod ex prudentiae praescripto ad commerciorum amplitudinem requiritur, hoc est, vt conueniens adsit *optimarum mercium adfluentia*. Optimarum inquam. Rerum enim nullius usus, aut pretii, adfluentia, ad commerciorum amplitudinem nihil facit. Nec feliciter procedent commercia, si quae apud alias gentes venduntur, nostra bonitate superent. Rerum vero praestantia vt allicit emptores, ita et in commerciis vtramque facit paginam.

§. VIII.

§. VIII.

Duplici autem fere modo res, quae in commercia veniunt, nobis subministrantur. Namque aut *naturae* eas producit *fœcunditas*, aut per *industriam* humanam comparantur. Naturae fœcunditas ut per se in viribus hominum posita non est, ita dubio caret, naturam industria multum adiuvari posse. Cum primis autem hic attendendum, quarum rerum proventus in nostra regione vberior sit, et maximum afferre commodum possit, et hinc ciues inducendi, ut missis, quae minorem adferebant vtilitatem, ea quae magis vtilia sunt, sectentur.

§. IX.

Ast si nostra regio plane nihil eiusmodi proferat, quod in commercia venire, et ea ampliora reddere possit, opera danda, ut per commercia ab aliis gentibus naturae munera comparantur, quae cum lucro quodam deinceps aliis vendantur. Operosior quidem et sumptuosior videtur haec commerciorum ratio, interim certissimum lucrum affert, et civium opes insigniter auget; praesertim si opportunitas situs, huic commerciorum generi faueat.

§. X.

Sed ut haec commercia feliciter procedant, opus est amicitia exterarum gentium, a quibus merces deinceps in alias gentes distrahendae accipiamus. Haec autem amicitia cum non semper stabilis atque firma sit, iuvabit eandem

andem federe, aut alia ratione firmare. Ceteroquin enim magnam rerum suarum iacturam nostri ciues facere possent, si gens ista merces suas nobis denegaret, easque alii genti vltcrius deinceps distrahendas, concederet. Maximam autem vtilitatem ciuitas ex *monopollo* percipere potest, si soli ciues nostri ab extera gente certum mercium genus, aliis nationibus iterum vendendum, accipiant. Quod quidem, si intra iustitiae terminos coerceatur, naturae legibus non repugnare, suo loco euictum ac comprobatum est.

§. XI.

Sed et per *meram industriam* humanam talia produci possunt, quae in commercium veniunt. Huc refero omnia *artefacta*. Per quae commercia saepius amplissima reddi, ipsa quemque docet experientia. Ciuitatis itaque est, fouere et excitare artifices opificesque, eorumque sufficientem sibi comparare numerum, vt artefacta in tanta copia suppetant, vt ad commercia aliquod momentum conferant. Ceterum *materia* opificiis aut ab ipsa nostra regione subministratur, aut per commercia aliunde inuehitur. Prius vt maius lucrum adfert, ita sine dubio praefendum, et natura arte adiuuanda, nec villo modo permittendum, vt materia opificiis apta, ad alias gentes temere exportetur. Sed et vt opificia floreat, multum iuuabit indolem gentis, et ad certa opificia aptitudinem habere exploratam,

tam, legibus, praemiis, poenis, ignauiam expellere, magistris peritis tirones committere, tironibus permittere peregrinationes, vt maiorem artis aut opificii notitiam sibi acquirant, collegiis opificum rectores et praesides dare, &c.

§. XII.

Tertium denique, quod ad commerciorum amplitudinem prudentia commendat, medium, hoc est, vt *prompta et parata* mercatoribus concilietur mercimoniorum *distractio*. Haec autem duplici ratione promouetur: per copiosum emptorum numerum; et si curet ciuitas, vt emptio- nis et venditionis contractu perfecto, venditori- bus pretium citra moram ilico exhibeatur.

§. XIII.

Quod ad primum attinet, multum equidem huc ipsam aut ciuium et indigenarum, aut hospitem in ciuitate degentium, multitudinem conferre, non abnuo. Quare vt haec adsit, ciuitati omnino annitendum est. Solent multa vt ciuibus pariter ac hospitibus compleatur ciuitas, media afferri, interque ea cum primis *religionis* commendatur *libertas*. Quam quousque ciuitas per naturae leges concedere possit, alibi dictum est. Per priuilegia etiam, et externum splendorem, mores incolarum ad elegantiam et humanitatem compositos, imperantium sequitatem et clementiam, et alia ratione multi vt in
nostram

nostram se conferant ciuitatem, allici possunt. Leges etiam ad ciuium foecunditatem augendam comparatas, huc faciunt, vt alia taceam.

§. XIV.

Sed cum hac ratione non multum proficiatur ad commerciorum amplitudinem, cum primis elaborandum, vt merces, quibus abundamus, ad alias gentes commode exportentur. Aliae autem gentes mercium praestantia, pretij aequitate, contractuum integritate, vendentium humanitate alliciendae sunt. Maximum autem prudentiae mercatoriae arcanum est, exploratum habere, quibus mercibus quaelibet gens maxime delectetur, et an eas aliunde, et quomodo, quo pretio, nancisci possit.

§. XV.

Alterum vt rite se habeat, efficiet ciuitas, si singulorum, quantum fieri poterit, consulat paupertati, si rem monetariam rite constituat, nimis tributis et vectigalibus ciues non vexet, vsuris limites ponat, et eos, qui ex malitia soluere nolunt, aut perfide in contractibus agunt, poena grauisissima coerceat.

§. XVI.

Cum etiam varia sint commerciorum genera, in singulis prudentiae quaedam regulae sunt obseruandae. Sic quoad maritima commercia de opportuno ad mare situ, de nauigatione

gationis securitate libertateque, de peritiis illorum, qui nauibus praesunt, multa praecipere possent. Sed instituti memor, ad alia progredior.

§. XVII.

Ceterum cum in commerciis et contractibus utramque paginam faciat *nummus*, ciuitatis omnino est, nummariæ rei curam haud perfunctorie gerere. Dispicendum itaque, quid ex prudentiæ praescripto de re nummaria rite *constituenda, conseruanda, et emendanda, obseruandum.*

§. XVIII.

Et ad *constitutionem* quidem quod attinet, ad id cum primis attendendum, ut nummus ita comparatus sit, ut finem suum consequi, commerciisque rite inseruare possit, nec ad ciues nostros, aut ipsam ciuitatem, vllum inde redundet damnum. Sequitur ergo primo, licet summus imperans valorem nummo imponere possit, semper tamen ad materiam esse respiciendum ut in nostra ciuitate eius sit pretii, cuius est extra ciuitatem, praesertim in vicinia: metalla quoque in usum nummorum non temere esse miscenda, praesertim si apud illas gentes quibuscum nobis commercia intercedunt, mistio non sit vsitata. Ita enim commercia sufflaminantur, et falsariis quoque occasio maximo damno ciues et ciuitatem afficiendi, suppeditatur.

§. XIX.

§. XIX.

Praeterea, pretium nummi non facile ultra materiae rationem minuendum, aut augendum est. Si enim augetur nimis, exteri fraudulenter magnam copiam talium nummorum inferunt, ac pretiosissimas res coemunt, magno suo lucro, ciuium autem damno, quippe qui minimo pretio rebus suis priuantur. Si vero minuitur, exteri iterum facile nummis nostris insidias struunt, ut illos nobis ereptos alibi maiore pretio erogare possint, atque idem contingere solet, si nummi nostri materiae bonitate aliorum gentium nummos superant: quem in finem nonnunquam vetari solet, ne nummi ab exteris exportentur: sed eum ne sic quidem omnibus fraudibus obuiam iri possit, satius fuerit, nummos nostros aliorum gentium nummis ratione pretii attemperare.

§. XX.

Expedit etiam, si et nomen, et signum eius, cuius auctoritate nummus cuditur, ei imprimatur. Non tantum enim ad auctoritatem et memoriam illi, qui nummum confici curat, conciliandam hoc facit, sed et ipsi nummo existimationem quandam saepius addit; quemadmodum et utile fuerit locum ubi nummus confectus est, adiicere, praesertim si multi loci sint cudendae monetae destinati. Ita enim facilius falsariorum euitari fraudes possunt, rectiusque in eos inquiri potest.

§. XXI.

§. XXI.

Ad easdem falsariorum fraudes cauendas, consultum quoque erit, nomen eius qui pro tempore eudendae monetae est praefectus, addere, praesertim in vasto aliquo regno, sicut eundem in finem et tempus adiici solet.

§. XXII.

Cumque varia sit conficiendi nummi ratio, operosior scilicet, rudior, et media, prudentes mediam utilissimam reipublicae esse obseruant. Elegantissimus enim et nitidissimus ille conficiendi nummi modus, Graecis atque Romanis olim frequentatus, ut ut insignem elegantiam nummo conciliet, sumptus tamen in eiusmodi numos maiores faciendi, quam ut utilitate ad reipublicam promanante, compensari possint. Nec rudiozem illum modum approbo, cum nummus eiusmodi non possit non contemni, et a multis fastidiri.

§. XXIII.

Addunt et hoc nonnulli, cum ciuitatis inter sit omnem fraudulentam nummi rationem et circumcisionem euitare, figuram rotundam ad nummos aptissimam esse, quae ideo apud plerasque gentes recepta videtur. Nummi *ferrati* veterum, qui hodie etiam in usum reuocantur, ad eundem usum sunt comparati. Magnitudo vero, crassities, copia, nummi ex usu ciuitatis, et ratione commerciorum est diiudicanda.

LI

§. XXIV.

§. XXIV.

Conseruari autem res monetariae in ciuitate potest, si auctoritate ciuitatis constituantur, qui in bonitatem nummorum quam diligentissime inquirant, et eorum vitia notent: si omni modo caueatur, ne nummi illegitimi et adulterini conficiantur. Proderit ergo artifices monetarios ad officium faciendum iurando adstringere, et falsarios grauissimis poenis afficere. Non minus et in eos qui nummos radunt, circumcidunt, aut tingunt, grauius animaduertendum est. Praeteres caueatur ne ab exteris, aut vicinis, improbi nummi inuehantur: id quod fieri poterit, si eiusmodi nummi in usum venire prohibeantur, aut in isto illorum pretio constituto, detrahatur illis, quem ceteroquin obtinent valor, et si nihil intermittatur, vt proborum nummorum iusta in nostra ciuitate adsit copia.

§. XXV.

Quod ad *emendationem* rei nummariae attinet, licet consultius sit efficere, ne res monetaria vlla emendatione indigeat, nihilosecius duplici modo contingere potest, vt improbis nummis ciuitas laboret, primo, si ipsi imperantes improbos nummos cudi fecerint, deinde, si ab exteris sint inuecti. Si hoc sit, promptior videtur medela. Interim ne ciues magnam rerum suarum faciant iacturam, si statim vno impetu nummi reiiciantur, eorumque va-
lor

lor imminuatür, proderit certum temporis illis concedere spatium, vti si non omnes, partem saltem nummorum amoliri, et ad alias iterum transferre gentes possint. Sed et si ipsi imperantes improbos nummos etiam curauerint, sensim procedendum, et non vna vice, sed pedetentim nummi ad iustum pretium reuocandi. Maiorem vero hic ciues facere iacturam necesse est, quoniam eiusmodi improbi nummi apud alias gentes iidem valore suo destituuntur: haec ergo vt tolerabilior reddatur, mora temporis opus est, quae damnum leuius reddat.

SECT. IX.

de

PRVDENTIA STATVS CIRCA RELIGIONEM.

Svnoψis.

Religio est firmissimum civitatis vinculum, §. I.

Quod vltimus demonstratur, §. II. III.

Id quod praecipue de vera religione est intelligendum, §. IV.

Erga falsam religionem quo pacto imperans sese gerere debeat, §. V.

An vna tantum in ciuitate religio toleranda? §. VI.

Quid ex prudentiae praescripto observandum, si diuersitas religionum permittenda, §. VII.

Quid facto opus, si forte vna religio statui civitatis aduersetur, §. VIII. IX.

Operam dandam, si religio vera sit dominans, et vt eius pariter ac iustitiae securitati consulatur, §. X.

L I A

§. I.

§. I.

Religionem firmissimum esse ciuitatis vinculum, et solidum fundamentum, nemo, nisi rerum omnium rudis, inficiatus fuerit. Licet enim religionis, praesertim verae, finis praecipuus sit, homines ad aeternam consummatamque felicitatem perducere: simul tamen, sed *secundario* homines ad vitam ciuilem aptos reddit, ad virtutes quae ad vitam ciuilem requiruntur, concordiam, iustitiam, etc: eos adhortando, et vt magistratibus obediant, praecipiendo. Id quod tamen verae religioni cum falsa commune esse potest.

§. II.

In specie autem religio ad salutem ciuitatis aliquid confert, summam in subditis erga magistratus excitando venerationem. Eorum enim auctoritas tanto maioris fit, quanto creditur sanctior; sanctior autem credi non potest, quam si hominibus persuasum sit, eam omnem a Deo esse, ciuesque magistratibus obtemperando, ipsi Deo offerre obsequium: confert quoque aliquid dum cives ad quiduis pro salute ciuitatis agendum, et patiendum, promptos reddit. Certe nemo temere illud prompte subire detrectabit, quod a Numine comprobari intelligit, nisi Numinis omnisque honesti contemptor.

§. III.

Porro securitati imperantium consulit: certe
tanta

tanta est hominum improbitas, vt quandoque nec poenae ciuiles, nec aliud quid praeter aeternae et infernalis poenae metum, ab atrocissimis delictis eos deterrere possit. Concordiam quoque tum subditorum inter se, tum subditorum et imperantium alit: remouet enim odiorum et discordiarum causas et fomitem: et ad quaeuis denique virtutes, ex quibus salus ciuitatis pendet, ciues impellit.

§. IV.

Haec omnia autem cum *vera religio* longe facilius et rectius efficiat, et efficere possit, quam falsa, quantumuis splendida et ad statum ciuilem accomodata videatur, prudentia citra dubium iubet, vt ciuitas maximopere curet, vt omnes et singuli ciues, verae religionis scitis atque decretis, imbuantur. Ergo et operam dare debet vt vera religio floreat, et obstacula ac impedimenta, quantum potest, remouere, quae obstant, quominus vera religio vim suam apud omnes exercere possit.

§. V.

Sed cum non semper imperans hoc efficere possit, vt veram religionem omnes amplectantur, nec per vim quenquam ad hoc cogere liceat, prudentia porro iubet vt *falsa* ita dirigatur, vt statui ciuitatis non tantum non oblit, sed vt eius salus per eam etiam promouetur. Dispiciendum itaque an religio in se tale quid contineat, quod statui ciuitatis e diametro

tro repugnet. Si hoc sit, v. g. si doceat magistratibus non esse obtemperandum, omni opera annitendum est, vt talis religio penitus supprimatur, aut eradicetur. Cum vero aperta vis non semper hic multum proficiat, sed homines saepius pertinaciores reddat, alia quandoque ingredienda via, et sensim ipsa velut sectae cuiusdam alimenta subtrahenda sunt. Multo magis autem athei, et omnis religionis contemptores, siue directe, siue indirecte religionem omnem tollant, poenis grauissimis coercendi sunt.

§. VI.

De cetero maxime quidem conducere videtur ciuitati, et ad ciuium concordiam plurimum facere, si *vnâ* saltem in ciuitate floreat *religia*: nihilsecius cum non semper hoc obtineri possit, rursus quid magis ciuitati expediat, est dispiciendum. Nimirum minus periculi, in ciuitate aristocratica, et democratica, a religionum diuersitate proficisci videtur, quam in monarchia: ergo et in illa facilius tolerari potest, ex prudentiae lege, quam in hac. Praeterea ciuitas, cuius interest vt commercia floreat. difficilius religionum diuersitatem tollere, aut impedire potest, quam cuius non adeo, vt commercia floreat, interest.

§. VII.

Si itaque *diuersitas religionum* ex iuris et prudentiae praescripto permittenda est, proximum est,

est, ut imperans caueat, ne vlla inter cines discordia, aut alia mala inde orientur. Haec autem euitari poterunt: si imperans hactenus quosd iuris administrationem et humanitatis officia, erga omnes cuiuseunque religionis (quae toleratur) addictos, aequae benignum atque clementem se exhibeat: si sincero affectu veram religionem, vel eam cui addictus est prosequatur, ita tamen illi faueat, ne alii religioni addicti hoc sentiant: si legibus constituat, ne qui diuersae religioni addicti sunt, verbis aut scriptis contumehiosis se mutuo lacescant, disputationesque sine concessione et auctoritate summi imperantis super capitibus religionis, de quibus discepatur, institui prohibeat, et contranitentes grauiter puniat; si quantum fieri potest bona vtriusque partis pace, operam nauet, ut in externis ritibus et ceremoniis, quaedam sit conuenientia.

§. VIII.

Ast si iuris et prudentiae leges aliam inire viam iubeant, quod forte religio quaedam statui ciuitatis, eiusque tranquillitati palam aduersetur, sequentia monita sunt obseruanda: principiis est resistendum, et noua haereticis in ipsa quod aiunt suppressenda herba, ne, postquam adoleuit et vires acquisiuit, non sine ingenti totius ciuitatis periculo, motus concitentur. Quod si iam eousque progressa fuerit, ut periculosum sit, aperta vi aliquid tentare,

Ll 4.

tare,

tare, alia via incedendum, et sensim vires religioni subtrahendae.

§ IX.

Interim nec temere irritandi sunt homines diuersae religionis, aut ad externos quosdam ritus cogendi, cum pro his non segnus, quam pro ipsa religione pugnent: quod si vero aperta vi aliquid tentare lubeat, iuuabit prius vires, si fieri poterit, eorum diuidere, et si forte inter eos natae sint discordiae et dissensiones, alere, et hinc partem alteram blandimentis consopitam, in partes trahere: multo minus autem imperans ruinam ipsius religionis praeferat, sed alium sumat titulum: cum nulla res homines ad resistendum pertinaciores reddat, quam religionis opinio superstitioque.

§ X.

Tandem nec illud praetermittendum, valde expedite ad concordiam, vt vera religio sit *dominans*, et vt ea ita roboretur, vt qui illi additi sunt, ceterorum molitionibus profligandis pares esse possint. Nihil quoque priuatis sine publica auctoritate hic agere liceat: nec conuenticula aut congressus clandestini religionis causa aut specie, concedantur, siquidem inde ciuitati periculum immineat.

SECT. X.

de

PRVDENTIA STATVS CIRCA FEDERATA ET LEGATOS.

Σύνοψις

Σύνοψις.

- De iuribus maiestaticis, quae aequiparantiae dicuntur, quid generatim observandum, §. I.*
- Eorum praecipua hic consideranda sunt, §. II.*
- De federibus quatenus hic observanda, §. III.*
- Et primo quidem quoad eos, quibuscum federa inveniuntur, §. IV.*
- Non esse temere invenienda federa cum pluribus, §. V.*
- Nec cum longe distantibus, nisi in certis casibus, §. VI. VII.*
- Quia sociorum ratione potentiae instituentis sit delectus §. VIII. IX. X.*
- Quid de federibus cum hominibus impiis atque atheisque inveniendis, censendum sit, §. XI.*
- Ad formam quoque civitatis, quacum federa inveniuntur, respiciendum est, §. XII.*
- Circa modum pangendi federa, dispiciendum, an legatus sufficienti potestati scendi facultate instructus sit, §. XIII.*
- Curandum quoque ut verbis clarum fedus concipiatur, et ut subscriptio ceteraque rite se habeant, §. XIV.*
- Nec negligenda firmamenta federum, aut ceremonias atque ritus solennes, §. XV.*
- Ad tempus aliasque circumstantias hic quoque respiciendum, §. XVI.*
- De federibus perpetuis quid censendum? §. XVII.*
- Cum primis et finis habenda est ratio, ex quo magna federum resultat varietas: de praecipuis generibus quaedam monentur, §. XVIII.*
- De legatis quid observandum, et quidem circa eorum receptionem, et admissionem, §. XIX. XX.*
- Item, si ad alias mittendi sunt: ubi et de legatorum virtutibus, indole, conditione, etc. §. XXI. XXII. XXIII.*

§. I.

Accedimus nunc ad ea iura maiestatica, quae supra aequiparantiae diximus: quae sicut quoad honestatem non ex natura civitatis, sed iure gentium, definiuntur: ita si exponendum

Ll 5

lit,

fit, quo pacto ciuitas ex prudentiae praescripto ea exercere possit, itidem non minus ad ciuitatem ipsam, quam ad alias gentes, quibuscum ciuitati negotium intercedit, respiciendum est.

§. II.

Possent autem hic iterum singula officia *gentium* erga *gentes*, in parte secunda latius exposita, considerari, ut quae in iis exhibendis prudentiae partes sint, dispiceremus: sed cum de singulis vix quod momentum trahat, obseruare liceat, de praecipuis aliquid delibasse suffecerit;

§. III.

Primo itaque sese nobis *federa* offerunt, de quibus quatuor prudentia status obseruare iubet, siquidem ita ea inire velimus, ut non plus nobis noceant, quam prosint: ut considerare eos *quibuscum* federa inituri sumus: ut ad *modum* attendamus: ut *temporis* aliarumque *circumstantiarum* habeamus rationem: ut ad *finem* federis respiciamus.

§. IV.

Quosd eos itaque, *quibuscum* federa inituri sumus, dispiciendum, sintne *plures*, an *vnus*; *vicini* an *remoti*; *potentes* an *minus potentes*; soleantne *fidem* datam sancte *seruare*, an vero temere *violare*; et denique quali forma ea respublica gaudeat, cum qua in federis descendere societatem decreuimus.

§. V.

§. V.

Hæc si rite expendamus, facile deprehendemus, non temere federa ineunda esse cum pluribus. In tanta enim ingeniorum et finium quos quisque sibi proponit varietate, fieri secus non potest, quam ut nonnulli, cum spe sua se excidisse vident, perfide fedus abrumpant, aut saltem rationes federis conturbent. Iam vero ut nihil molestius, ita et reipublicae aliquando nihil perniciosius, quam si sociorum perfidia fructu quem ex federe percipere poterat, et sperabat, priuatur.

§. VI.

Nec cum focis *longe distantibus* (nisi forte commerciorum causa) prudenter federa percutiuntur, si ita remoti sint, ut interuallo loci, vel alia difficultate exclusi, nobis subuenire nequeant. Secus tamen pronuntiandum, si nostram civitatem saltem pecunia adiuuare possint. Quod si non ita remoti sint ut succurrere nequeant, federa cum remotioribus (si cetera rite se habeant) præferenda interdum sunt federibus cum vicinis. Sane quod Iuuenalis ait: *inter finitimos, verus atque antiquus simulas, immortale odium, et nunquam sanabile vulnus*, ipsa subinde comprobatur experientia. Hinc cum alia ratione nobis nocere vicini nequeant, haud raro ipsam perfidiam in subsidium vocant.

§. VII.

§. VII.

Interim remotiores semper vicinis praefectos esse, neququam asseuerauerim. Potest enim euenire, vt de fide et integritate vicini, nobis nullus sit dubitandi locus. Praesertim vero si commune sit periculum, quod imminet, et vicinum nostrum aequae ac nos ipsos tangere possit, nullam rationem video cur fedus cum illo detrectare debeamus. Ipsa enim necessitas et propriae salutis studium, artiori vinculo eum nobiscum colligabit, et datam seruare docebit fidem.

§. VIII.

Quis sociorum ratione *potentiae* instituentus sit delectus, prolixis praeceptionibus inculcari solet. Sane federa cum *potentioribus*, quos lubido nos opprimendi incedere possit, non carere periculo, extra dubitationem positum est. Haec ergo quanto studio potest, ciuitas declinet. Quod si tamen summa necessitas, eiusmodi federa inire iubeat, saltem in id incumbat, ne tale forte in se recipiat onus, quod seruitutem secum trahere possit. Si quid ergo ex federis lege praestandum sit, tale potius eligatur onus, quod transiens sit, quam quod sit perpetuum, nec patiatur vllō modo eiusmodi leges federis adiici, quae summum imperium aut directe, aut indirecte, imminuere possint. Ergo et cauendum ne nimium a potentioribus accipiamus auxilium, hoc est, quod

quod nostris viribus, et copiis maius sit: nec summa rerum copiis auxiliaribus federatorum, permittenda, nec nisi urgente summa necessitate, auxilia accipienda.

§. IX.

Non tamen ita in oppositam statim currendum est partem ut existimemus, federa cum *miseris*, omnique *potentia destitutis*, nobis expedire. Enim vero cum iis federa inire, qui plane aut nullis, aut exiguis viribus instructi sunt, non modo insulsum videtur (nisi honestatis ratio illis subuenire iubeat) sed aliquando etiam nostrae civitati admodum periculosum esse potest. Nihil aliud enim, qui eiusmodi federa pangit, agit, quam ut quaerat cum quo cadat. Interim eiusmodi aliquando euenire rerum facies potest, ut omnino hoc nostrarum partium sit, et nostri status id suadeat ratio. Si enim is fedus nobiscum inire cupiat, cuius ruina nos quoque tractura sit, quantumvis miser et inops sit, tantum abest, ut eiusmodi detrectare fedus queamus, ut qui hoc fecerit, ab imprudentia excusari nequeat. Nisi forte consultius fuerit, occulte illos iuare, quam aperte se socium profitendo, maiora pericula sibi accersere.

§. X.

Nec illi salutaria semper suadere mihi videntur, qui federe iungendos, *viribus et potentia pares* esse cupiunt. Licet enim mutuus qui
inter

inter eos intercedit metus, ad fedefis perpetuitatem, multum conferre videatur: satpius tamen et nocet, et si æmulatio accedat, hæc autem vix vnquam aberit, intempestive abrupto federe, omnis quem ex eo speramus, peribit fructus. Quemadmodum vero, vt hætenus dictum, interdum ea rerum nostrarum, et sociorum quoque esse conditio potest, vt ex prudentiæ præscripto, cum potentioribus, et miseris rite federa ineantur: ita et de illis qui viribus nobis pares sunt, eadem ratione est censendum. Si enim communis sit quæ vtrumque premit necessitas, si certo nobis constet, æmulationi nullum esse locum, nihil obstat, quo minus eiusmodi federa percuti possint.

§. XI.

Sed cum primis ad *mores* illorum, quibus cum federa iungi cupimus, haud perfunctorie est attendendum. Nihil enim solemnins est hominibus, qui suis ita inferuiunt commodis, vt diuina humanaque pedibus concalcare iura parati sint, quam alios federum religione deceptos opprimere. Cum hæc ergo federe iungi, a summa profecto parum abesset imprudentia. Atque cum non maior fides a profanis, Numinisque contemptoribus hominibus sperari possit, horum societates et federa summo declinare studio, magnæ vtique erit prudentiæ: nisi forte ratio vi eos ad officium faciendum cogendi, suppetat.

§ XII.

§. XII.

Tandem et *forma* eius ciuitatis, quacum federa pangimus, considerata est. Namque ut diuersis formis ciuitates gaudent, ita et non vnum eundemque sibi constitutum habent finem. Quae autem non in vnum finem nobiscum conspirant, ab iis non est, ut constantiam fidemque in federe seruando expectemus. Accedit, quod ipsa formae diuersitas obstat, quo minus, nisi alii eos causa compellat, in veram et duraturam amicitiam eiusmodi ciuitates coalescere queant.

§. XIII.

Ad *modum* federa percutiendi nunc accedo. Huc refero quod federa ut plurimum iniri soleant per legatos: de quibus deinceps praecipimus: id saltem monuisse nostra hic interest, praecipue attendendum esse, an legatus nomine ciuitatis fedus percussurus, tanta instructus sit potestate, quanta, ut fedus validum sit, requiritur. Si enim tanta potestate non fuerit gauisus, alteri prouentum erit, abrupto pro lubitu federe, magnis periculis et incommodis nos exponere.

§. XIV.

Non minus etiam curandum, ut verbis clariis et perspicuis fedus concipiatur, ne subdola interpretatione, aut praua cauillatione, verba in alium detorqueere sensum, nobisque ita illudere possint, quod multis solenne fuisse
gen

gentium annales comprobant: sed et vt subscriptio, ceteraque quae ad instrumenti integritatem pertinent, rite se habeant, omni modo elaborandum est: cum vel minimus defectus a perfidis ad fedus abrumpendum, obtentui sumi possit.

§. XV.

Nec negligenda sunt firmamenta federum, pignora, obsidesque. Fluxa enim et lubrica plerorumque hominum fides est, adeoque nullam temere rationem vinculis quibusdam eam constringendi, praetermittere decet. Cumque interdum difficulter adduci possint, vt obsidibus pignoribusque federa firment, iuabit honorem aut amicitiae speciem obsidibus obtendere, aut aliis blandimentis efficere, vt nostrae securitati prospiciatur. Sed nec ritus et ceremonias, quae ad augendam federum sanctitatem adhiberi solent, negligere decet. Ea enim est quarundam indoles, vt ritibus externisque ceremoniis facilius in officio contineantur, quam federis aut iureiurandi religione. Accedit, quod hoc ipso inuidia augeatur et detestatio sceleris, si forte perfide fedus violauerint.

§. XVI.

Vtlerius, in federibus ad *tempus aliasque circumstantias* est attendendum. Temporis oportunitas vtramque hic quoque facit paginam. Cum primis re nostra fuerit, eo tempore

pore federa inire, quo non tam necessitate quadam ad hoc compelli, quam sponte nostra id in animum induxisse videamur. Tum enim aequissimis legibus fedus percutere licebit. Contra si alter sentiat, necessitate quadam ad fedus ineundum nos compelli, iis conditionibus, quae nobis valde molestae parumque utiles erunt, illud inibit. Fortassis etiam plane detrectabit fedus, minusque honorificum censebit, in federis societatem allici, cum alius praesto nobis non est, cuius auxilium imploremus.

§. XVII.

Praeterea prudentia monet, ut non patiamur federe ultra tempus quam nobis expedit duraturo, nos constringi. Saltem federa perpetua summo studio sunt fugienda. Ut enim nescimus, quis in posterum rerum nostrarum futurus sit status, ita facile euenire potest, ut quod nunc commodum nobis affert fedus, alio tempore ultimam extremamque attrahat perniciem. Atque hoc in omnibus quidem federibus est attendendum, cum primis tamen in iis, quo cum superioribus ineuntur, aut in quibus nos deteriori sumus loco.

§. XVIII.

Quod primum in omnibus actionibus, et adeo federibus quoque est, id ultimo ponimus loco: quod scilicet praecipue ad *finem* sit respiciendum. Ratione finis autem alia sunt *federa*

Nam

bellica,

bellica, alia *commerciorum* causa percutiuntur. In his omnes illae vsurpandae sunt praecautio- nes, quae ad commerciorum amplitudinem et incrementum faciunt: cum primis cum illis eiusmodi federa percutienda, a quibus ma- gnam mercium rariorem et pretiosarum copi- am, soli impetrare possumus. Quae in belli- cis federibus obseruanda sint, patebit si, quae de prudentia status circa rem bellicam obser- uanda sunt, exposuerimus. Illud hic monu- isse sufficiat, federa *offensua* non nisi summa urgente necessitate, percutienda esse.

§. XIX.

Cum federa praecipue ope *Legatorum* inean- tur, de hisce nunc porro dispiciendum, et de legatis prudentes recipiendis, et caute mitten- dis differendum est. Et circa *recipiendos* qui- dem aliarum gentium ad nostram ciuitatem *legatos*, prudentia iubet, vt summa humanitate excipiantur, et nihil intermittatur, quo illorum beneuolentia nobis conciliari possit. Cum enim haud raro viri magnae auctoritatis mit- tantur, hi nobis conciliati, prompte rursus il- lorum a quibus missi sunt, animos in nostras trahent partes: atque cum ritus et solennia v- tramque hic fere faciant paginam, in hisce non decet esse parum, cum praesertim sine ciui- tatis damno heie alicui liberali esse liceat: si- mul tamen sedulo cauendum, ne arcana no- stra explorent, idque ea ratione ne offendantur.

§. XX.

§. XX.

Praeterea ad omnes illorum actiones attendendum, cumprimis ne forte ciuitatis nostrae ministros auro corruptos, in suas trahant partes: si nostra intersit, tempus aliquod praeterlabi, priusquam audiantur, sub honoris quaedam specie v. g. quod apparatus quo excipere eos velimus nondum praesto sit, modum necesse prudentiae erit: si illorum petitis annuere, rerum nostrarum conditio non patiatur, nihil intermittendum, quo asperitatem repulsaemollire liceat.

§. XXI.

Est circa *legatos* ad alias gentes *mittendos*, sequentes non sunt negligendae leges: si felicem negotii successum serio cupimus, legatus mittendus est, qui morum istius gentis, ad quam mittitur, eiusque status, et aulae, probe est peritus, et qui nullo vnquam facinore illi genti, aut ministris eius se odiosum reddidit: et cuius indoles ad indolem istius gentis et aulae proxime accedit: tum in ceteris prudentiae ciuilibus capitibus probe sit eruditus, tum maxime rituum et ceremoniarum callentissimus.

§. XXII.

Iudicio non minus practico, quam ingenio polleat legatus, vt prompte et velut in arena quandoque consilium capere possit: affabilitate praeterea et humanitate omnium sibi con-

ciliare animos sciat. Hac indole fere praeditos esse, qui temperamento *sanguineo choleric*o gaudent, supra diximus.

§. XXIII.

Iuuabit etiam hominibus generis nobilitate, et diuitiis florentibus, hanc demandare prouinciam, vt eo maiori polleant auctoritate, et ne ciuitati omnes in legationem faciendi sint sumptus. Quod si forte lites ob praecedentiam metuantur, mittantur legati secundi ordinis, aut qui eo loco sunt, vt *absaliis* postponi, nobis non sit dedecori. Accurate denique mandatis, praesertim arcanis instruantur, ne limites sibi praescriptos migrent, et tale quid nostro nomine promittant, quod sine ingenti nostrae ciuitatis damno, seruari nequeat: quod si mandati limites fuerint transgressi, grauiter puniantur.

SECT. XI.

de

PRVDENTIA STATVS CIRCA BELLVM
ET PACEM.

Σύνοψις.

*Haud infima prudentiae ciu-
bilis pars est prudentia
bellica.* §. I.

Ordo dicendorum. §. II.

Ante bellum quid agendum?
§. III.

De apparatu bellico. §. IV.

Pecuniam belli neruum esse,
§. V.

De comitatu et annonae, §.
VI.

De armis. §. VII.

*De milite: speciatim an equi-
tatus praesferendus sit pe-
ditatui?* §. VIII.

*Quid de militia mercenaria
consendum?* §. IX.

Du

- Duo militum genera esse constituenda, ordinariorum et subsidiariorum, §. X.*
In illis delectus est instituentis, §. XI.
In quo respiciendum ad patriam, aetatem, §. XII.
corpus animum, vitae genus, §. XIII.
Disciplina militaris in quo consistat, §. XIV. XV.
De Ducibus summum imperium in bella sibi esse committentium, §. XVI.
An consultum sit ut in statu monarchico ipse summus imperans praesidio intersit? §. XVII.
De virtutibus bellici ducis, §. XVIII.
De eiusdem felicitate, §. XIX.
De fortalitiis et propugnaculis quid observandum, §. XX. XXI.
Etiam si in apparatu bellico nihil desit, non tamen temere bellum suscipiendum est, sed quando circumstantiarum ratio felicem nobis pollicetur eventum, §. XXII. XXIII.
- In ipso bello quid agendum? maxima rerum momenta aggredienda esse §. XXIV.*
Nec pugnam temere subeundam §. XXV.
Occasioni inseruiendum, §. XXVI.
Cum primis et loci habendam esse rationem, §. XXVII.
Et famae, §. XXVIII.
Duces militibus exemplum praestant, §. XXIX.
De strategematibus, corruptoribus, §. XXX.
De urbium obsidionibus, §. XXXI.
Quid post bellum agendum? Victoria moderate utendum, §. XXXII.
Quid ab illis exigatur, qui sibi sunt, §. XXXIII.
Victoris quae debeat circa pacem esse circumspexio, §. XXXIV.
De bellis civilibus, eorumque causis, §. XXXV. XXXVI.
Quo pacto praecaveri queant, §. XXXVII.
Quid agendum, si iam discordiae civiles in bellum erupterint, §. XXXVIII.

§. I.

Praecipuam fere prudentiae civilis partem facit prudentia bellica, quam cum prudentia

togata, omne istud absoluere, quod ad reipublicae administrationem requiritur, haud immerito nonnulli dixerunt. Huc ergo cum ordo nos duxerit; quaenam prudentiae in bellicis rebus sint partes, vberiori commentatione exponendum est.

§. II.

Vt vero rite proueamur, eodem incedemus ordine, quem in iure belli edisserendo obseruauimus, ut scilicet quid *ante bellum*, quid *in bello*, quid *post bellum* ad ciuitatis salutem, ex prudentiae praescripto agendum sit, euoluamus.

§. III.

Ante bellum, tria maximopere curanda sunt: ut paratum habeamus *militem bonum et exercitatum*, si armata manu nostra nobis vindicare placeat: ut ad aliorum insultus propulsandos munitae *urbes et propugnacula*, quibus nos tueri queamus, nobis praesto sint: ut bellum suscepturi, *deliberemus*, sitne hoc *ere nostrae ciuitatis*.

§. IV.

Atque *ut a milite ordiamur*, cum is sine *apparatu* nec ali, nec armari in hostem possit, de eo prius dicendum est. Apparatum autem vocores ad omnem belli usum necessarias, quales sunt *pecunia, comaeatus, arma*. Haec si quidem antea praesto non sint, omnis de bello cogitatio frustranea, irrita, vana est.

§. V.

§. V.

Et *pecuniam* quidem belli neruum esse, nemini, nisi rerum omnium plane imperito, dubium esse potest. Per sumptus enim atque expensas et efficacia et vtilia redduntur arma, et pleraeque belli res consilio et pecunia conficiuntur. Vnde autem solui stipendium militi poterit, nisi pecunia adat? est sine stipendio vix hodie habebis militem.

§. VI.

Commeatus, et *annonae* succedit, quae duplicem in usum paranda, primo ne milites qui in castris sunt, egeant, et aut fame pereant, aut fuga sibi consulant: deinde vt qui vrbibus sunt praesidio, si forte has obsidione cingi contingat, habeant vnde viuant, hostiumque vim tolerare possint.

§. VII.

De *armis* nemo dubitat. Armamentarium ergo constituendum, in quo ad certum equitum peditumque numerum tela et arma seruentur. Huc refer etiam *tormenta*, *machinas bellicas*, *pulueris pyrii iustam copiam*, *naues* et *annem apparatus nauticum*, si situs regionis bellum maritimum postulet aut admittat, et id genus alia.

§. VIII.

Haec si rite se habeant, de *militie* ipso cogitandum. Hic vt prudentiae praecepta luculentius pateant, primo de *militibus*, deinceps

de *Ducibus* dicendum. *Milites* vel *equites* sunt vel *pedites*. Vtra pars in bello praeferranda sit, viros prudentes disputare video. Ego certe vtut non inficias eam, equitatus magnum in bello vsum esse, peditatus tamen longe esse maiorem asserere non dubito. Praeterquam enim quod in praeliis non minor pediti vis sit quam equiti, pedites etiam adhiberi possunt ad vrbes expugnandas et propugnandas, vbi equitum aut nullus, aut non tantus est vsus, praeterea loca montana et impedita pedites facilius accedunt quam equites, et denique pedites minoribus sumptibus aluntur quam equites. Nec tamen ideo equitum nullus vsus est. Quin potius vbi res militaris bene est comparata, tale adhibetur temperamentum, vt equestri non minus quam pedestri militiae locus sit, sed vt haec illam superet. Gentes equitatu vnice valentes, ad latrocinia, quam iusta praelia aptiores esse, ipsa quemlibet docere potest experientia.

§. IX.

Porro expediatne milites *mercede conductos* habere, an *ipfos ciues* in hostem armari, disceptari memini. Sunt qui *mercenariam militiam* laudant: sunt qui vituperant. Ego quidem ad bellum eam militiam aptiorem esse censeo, quae ciues selectos non pro mercede, sed pro gloria gentis, pro libertate, pro patria pugnuros in aciem educit; sed cum ciuitatis salu-

tem

tem expendo, ad quam ipsum bellum comparatum esse decet, illorum sententiae, qui hanc militiam suadent, subscribere nequeo. Certo si ciues ipsi arma capere iubeantur, et commercia et opificia, per quae neruus rerum gerendarum pecunia, ciuitati adfertur, cessare oportet: quod si contingat, nec bellum feliciter geretur, nec procul a ruina aberit ipsa ciuitas. Meminisse quoque iuuabit, statum earum ciuitatum, quae olim propriis ciuibus pugnant, plane alium esse a statu rerum publicarum, quae hodie in Europa florent.

§. X.

Placet itaque *mercenaria militia*: non tamen quaelibet, sed talis, quae delectum instituit virorum, ad militiam aptorum, non autem quoslibet corradit. Non enim multitudo, sed virtus militum hostem vincit. Delectus itaque vt rite et cum iudicio instituat, illorum non displicet mihi sententia, qui duo militum genera constituunt, *ordinariorum* et *subsidiariorum*: *ordinarias* quidem, qui assidue et ex munere atque arte velut militent: quorum non adeo magnam copiam esse necesse est, ne seditiones moueant, aut nimii ad eos alendos requirantur sumptus. *Subsidiarios* autem voco, qui non nisi urgente necessitate arma capiunt, hac cessante, aliarum rerum satagere iubentur, vt adeo interea stipendiis eos alere non necesse sit: interim quandoque in re mi-

M m 5

litari

litari instrui possunt, vt ad hostem excipien-
dum parati sint. Inusbit hunc in finem rusti-
cos in certis classes describere, et eos ad rem
militarem erudire, vt subsidiariorum militum
vicem sustineant. Rustica enim plebs varias
ob causas, ad hunc vsum urbana accommoda-
tior videtur.

§. XI.

Sed cum *ordinarii* ipsam robur exercitus
constituunt, et in bello vtramque facere
paginam debeant, potiozem curam, maiores-
que promerentur sumptus. Atque vt horum
defectus rite instituat, *quomodo* legendi sint
dispicendum. Solent autem quinque boni
militis notae adferri: *patria, aetas, corpus, anir-
mus, vita.*

§. XII.

Et *patriae* quidem omnino habenda est ra-
tio, cum locorum et regionum conditio ad ho-
minum temperamentum et indolem plurimum
conferat: nec enim vbique fortes nascuntur
viri. Aptiores autem ad militiam censentur,
qui confragosos, saltuosos, septentrionales in-
colunt locos. Hi enim ex soli conditione du-
ritiae adsueuerant, laborumque sunt toleran-
tiores, quin et audaciores, et ad hostium im-
petum sustinendum fortiores. *Aetas* autem
illa ad militiam accommodatissima videtur,
quae a iuuenili leuitate, ad virile robur et con-
stantiam, vergit. Certe iuuenes potius quam
senes

senes legendos esse, ratio suadet, cum illi et viribus praeualeant, et facilius ad virtutem bellicam institui ac erudiri possint.

§. XIII.

Ratione *corporis*, illos qui grandi ac praelongo praediti sunt, quibus stricti sunt artus, minax vultus: ratione *animi* audaces, atque versutos, legendos esse, itidem nemo dubitauerit. Sed cum primis ad *viciae genus* respiciendum. Homines itaque agriculturae, venationi, iisque studiis, in quibus corporis quaedam est exercitatio, longe praefereendi sunt illis, qui opificia et artes sellularias tractant: ut enim illis maius et corporis et animi est robur, ita hi ut plurimum molles sunt, et effeminati, et ad belli incommoda toleranda parum apti.

§. XIV.

Ita ergo lectum militem ad robur et virtutem bellicam, per *disciplinam militarem* conformare decet. Disciplina autem militaris, strictore iusto Lipsio, quatuor absoluitur partibus: *exercitio, ordine, coercitione, et exemplis*. Per *exercitia* miles electus ad arma et opus condofaciendus est, ut tirones tractare arma, seruare ordines, militari ambulare gradu celeriter et aequaliter: item ut portare pondus, solem, et puluerem ferre, &c. discant. *Ordinem* miles tum in acie, tum in itinere, iuxta leges militares incedendo seruat: perque cum mi-
les

les a milite iusto distat spacio, prouideturque ne agmen ultra quam par est, laxetur aut conglobetur. Atque istud quidem eo magis necessarium videtur, quo saepius confusio, neglectusque ordo integros perdidit exercitus.

§. XV.

Per *coercitionem* miles continentiam, modestiam, abstinentiam edocendas est. *Continentiam*, ne cibo venerique indulgens, voluptate diffuset, corporisque et animi perdat robur: *modestiam*, in verbis, vestibus, et factis, ut ubique mores milite et forti viro dignos praeseferat, verboque ducis sit audiens, atque ad quoduis signum et nutum intentus atque paratus: *abstinentiam*, ne aut amicis noceat, aut praedae inhiando victoriam perdat, aut eius corumpat fructum. *Exempla* vero id efficiunt, ut boni fortesque praemiis affecti, alios ad praecleara facinora concitent: mali et ignami poenas scelerum suorum dantes, alios ab eiusmodi flagitiis deterreant.

§. XVI.

De militibus haecenus praecipimus, nunc de *Ducibus* dicendum. Duces vel *summi* sunt siue *primarii*, vel *intermedii* siue *secundarii*. Summus belli dux est ipse imperans summus. Vbi quidem in ciuitate aristocratica aut democratica, plane necessarium, ut vni alicui in bello summi imperii vices demandentur, ut tamen ipsi ciuitati actionum suarum rationem red-

reddere cogatur. Multitudinem enim imperantium in bello plurimum nocere, quin felicem belli euentum sperari vix posse, vbi pluribus imperium est collatum, extra dubium positum esse arbitror. Interim proderit liberam potius quam limitibus mandatorum adstrictam auctoritatem, illi concedere; vt enim incerti sunt belli casus, ita incerta consilia, quae adeo certis mandatis non possunt defini.

§. XVII.

An vero in ciuitate monarchica *ipse princeps* pugnae interesse debeat, non adeo expeditum videtur. Praesentiam principis multum conferre, et militibus animum velut et spiritum largiri, apud omnes in confesso est. Contra principe interfecto, aut capto, de summa rerum saepius actum est. Ergo non videtur illorum reiicienda sententia, qui principis praesentiam requirunt in eiusmodi bello, vbi salus totius ciuitatis in periculum adducitur, in ceteris non item.

§. XVIII.

Bellici autem *ducis* nomen titulumque is demum promeretur, qui rei militaris est peritus, eamque ipso vsu est edoctus: qui virtute pollet, hoc est, qui probus est, fortis, diligens, laborum tolerans, temperans, fidelis, facilis, humanus, &c: qui provide cuncta circumspicere, et vasto animi ambitu cuncta complecti
didi-

didicit, quae ad belli administrationem sunt necessaria: qui magna est auctoritate apud suos, et apud hostes: apud suos, ut eos semper dicto obediens, et ad quidvis suscipiendum promptos paratosque habeat: apud hostes, quoniam ipsa experientia comprobatum est, famam ducis hostibus interdum metum incutere, et ad victoriam munire viam.

§. XIX.

Addunt nonnulli, quod *felices* quoque esse debeant, siue quod illis non debeat deesse fortuna: sed cum fortuna non aliud sit quam ipsa Numinis providentia, externas actionum causas ita disponens, ut optatus inde sequi eventus possit: et vero asseri nequeat, Deum velut federe se certis hominibus adstrinxisse, quod in illorum fauorem cuncta semper ita disponere, aut agere velit, quoniam hoc sensu *felicem* dici posse, abnuo. Interim illud lubentissime concedo, diuinae providentiae in bello quoque primas deferendas esse partes, et omnia consilia quantumuis accurata et exacta, invito Numine capta, irrita atque vana esse.

§. XX.

Ut milite tum ad inuadendos alios, tum ad nostram ciuitatem defendendam, opus est: ita ad defensionem etiam requiruntur *propugnacula* et *fortalitia*. Atque hoc alterum est, quod ante bellum cuius imperanti est agendum.

Equi-

Equidem non desunt, qui fortalitorum vsum non adeo magnum esse contendunt: et maximos insuper sumptus ad ea extruenda et conseruanda requiri, asserunt: sed vt gentium fortalitia contemnentium mores in exemplum trahi nequeunt, eo quod vt plurimum ex diffidentia subditorum et imperantium hoc proficiscatur, ita es ad hostium impetum sustinendum, non tantum utilis, sed maxime necessaria esse, nemo ciuitium rerum mediocriter peritus, inficiatus fuerit.

§. XXI.

Interim omnino multa fortalitia et superuacua sunt, et cum ingentes sumptus requirant, oneri potius ciuitati sunt, quam emolumento. Vt itaque hic quoque ciuitati consulatur, iuabit pauca fortalitia pro territorii amplitudine, sed iis locis extruere; vt per ea impediri hostis quest, quo minus in ipsa viscera regionis penetret: eiusmodi, si fieri potest, eligendus est locus, vbi natura ipsa munimenta quaedam suppeditat, vt eo facilius et minoribus sumptibus per artem et indutriam inuari possit: iuxta obseruetur magnitudo; si enim iusto maiora sint, maius etiam requirunt praesidium, et copiosorem apparatus. Reipublicae autem interest, vt a non adeo multis praesidiariis propugnaculum defendi possit. Quoad modum ea muniendi, nonnulli illum commendant, quo cespite ac substratis farraginis

ris muniuntur, quia eiusmodi munimenta facilius tormentis resistunt, facilius etiam reparari, et si necessitas iubeat, mutari possunt. Cetera, ex illorum qui de architectura militari praecipiant, commentariis haurienda sunt.

§. XXII.

Accedimus nunc ad tertium, quod scilicet etiamsi omnia nobis praesto sint ad bellum gerendum, non tamen semper civitati nostrae expediat, etiam ex causa iusta bellum suscipere. Nimirum omne bellum infinitam secum trahit malorum cohortem: euentus praeterea belli semper incerti sunt: non temere ergo tale quid committendum, quod ultimam perniciem nostrae civitati attrahere possit. Ergo tum demum licebit bellum eligere, si praeter iustam causam, tanta inde ad nostram civitatem redundare utilitas possit quae incommoda, quibus bellum nos exponit, multis modis superet: et si media ad finem perueniendi adeo certa nobis praesto sint, ut morali aestimatione, et discedendo ab euentibus prudentiam et consilia humana superantibus, de felici successu certi esse queamus. Nec negligenda est occasio. Optima autem occasio bellum gerendi est, cum vitiis hostium uti possumus, v. g. cum discordiis intestinis, aut bellis civilibus premuntur, aut alio casu illorum vires sunt imminutae.

§. XXIII.

§. XXIII.

Sed nostrae quoque ciuitatis considerandus est status : sic imprudentia summa erit eo tempore hostem externum suis ceruicibus attrahere, vbi seditiones aut rebelliones sunt metuendae, et pars ciuium parata sit pro hostibus arma capere. Interdum tamen, si scilicet militibus aut turbulentis ingeniis ciuitas abundet, ad seditiones euitandas, aut sufflaminandas, bellum externum aliquid confert, cum respublica hoc modo hominibus tranquillitatem publicam turbare aptis, liberetur. Hinc et neuiquam illorum hominum, quoties de bello agitur, consilia sequenda sunt, quorum interest bellum ex bello seri.

§. XXIV.

Et haec quidem bellum antecedunt. Nunc quae *in ipso bello* ex prudentiae praescripto obseruanda sunt, persequi lubet. Huc autem euncta fere redeunt : maxima rerum momenta bello sunt aggreudienda, nec in minoribus commorandum. Parcitur enim hac ratione militi, tempori, impensis. Capite occupato, cetera sponte sequuntur. Maxima autem rerum momenta et capita haec sunt, per quae sedes certa in hostico nobis comparatur, per quae impediri potest, ne hosti auxilia mittantur, et denique quorum deditio et oppugnatio ceteris deditiois, et imperii nostri agnoscenti imponit necessitatem.

Nn

§. XXV.

§. XXV.

Vnius praelii euentui totam rei summam permittere, summae est imprudentiae. Cum enim omnes praeliorum euentus dubii sint atque ancipites, tota res publica vnico quasi ictu prosterneretur. Quin si vel maxime summa rerum non periclitetur, raro tamen et non nisi urgente necessitate pugnandum, semper enim incerti sunt praeliorum euentus. Adcoque iuuabit cunctando hostem defatigare, et illi occasionem rem bene gerendi eripere. Sed si necessitas accedat, deficiente v. g. commatu, supplemento, pecunia, res omnino in discrimen mittenda, et in rebus asperis praeceptum capiendum est consilium.

§. XXVI.

Porro occasione inseruiendum est. Hanc enim prudenter obseruare, ingens momentum ad res bellicas adfert. Huc refero etiam *tempus et locum*. Tempus nimirum eiusmodi captandum, quando hostis imprudentia ruit, et nobis se dat opportunum: quo copiae eius diuisae sunt, aut imminutae, aut debilitatae: item quo forte metus aliquis eos incessit: quo ad nostras copias autem eo tempore confidendum, quo magnam in milite nostroprehendimus ad pugnandum alacritatem, siue haec ex superstitione quadam falsaque persuasione, siue aliunde orta sit: huc et illud pertinet, si forte fauentem nobis habeamus ventum,

tum, et ipsum pro nobis militare videatur coelum.

§. XXVII.

Cum primis etiam loci habendus est ratio, vtrum inimicis an nobis sit accommodatus, sitne satis amplus vt nostras explicare queamus copias, an forte angustiae nobis profint, sitne fossis, paludibus, arboribus, impeditus etc: Atque hunc in finem necesse est vt duces et locorum situm, et naturam regionis, et hostium exercitum, valeatne equitatu, an peditatu, &c: probe cognitum et exploratum habeant.

§. XXVIII.

Praeterea famae ratio habenda, sed caute. Iuat interdum et falsum rumorem in prudentiam vertere: praesertim si fama hostes aut nimis audaces, aut meticulosos reddiderit: interim rumori cuius non temere credendum, cum ab hostibus saepius ad non fallendos proficiscatur. Securitas autem omnis fugienda, et in hoste nihil contemnendum: multi enim vicissent, nisi facile se vincere posse, existimassent.

§. XXIX.

Denique ipsi duces praeclarum milicibus praebent exemplum. Ad militem enim inflammandum plurimum facit, si duces semper sint animo hilari ac alacri, et constanti, ac intrepido, vt semper velut certi de victoria esse videantur.

N n 2

§. XXX.

§. XXX.

Prudentiae quoque erit, vti quandoque stragematibus, cum magnum belli compendium habeant, et ita minori damno et periculo victoria obtineatur. Quod nonnulli addunt, missis corruptoribus hostes ad exuendam fidem inducendos esse, et id genus alia, mihi non placent, cum talia sine crimine, vt alibi probatum, fieri nequeant.

§. XXXI.

Et ita quidem in praeliis se res habet. In vrbiū obsessiōibus milites, vel *obsidentes* sunt vel *obsessi*. Obsidentium est, terrere obsessos, per insidias eos elicere, omni modo impedire ne com meatus obsessis subuehatur, etc. obsessorum autem, obsidionem fortiter tolerare, frugali dimensione com meatum distribuere, et sedulo curare, ne vilius rei ad vitam tolerandam necessariae inopia laborent, a fossis, aggeribus, muris arcere hostem, eruptionibus cautis eundem fatigare, et quouis modo vires eius imminuere etc.

§. XXXII.

Iam quid *post bellum* faciendum sit, ex prudentiae regulis edisserendum. Obseruandum autem quod qui *praelio* victus est, nondum statim *bello* victus sit. Vnius praelii euentus nondum rem omnem conficit. Quod si quis itaque in praelio victor euaserit, is victoria *caute, leniter et modeste* vti debet. *Caute, ne crescente*

sciente rebus secundis fiducia, negligentior factus, et ab hoste oppressus, omnem victoriae perdat fructum: *leniter*, ne hostes ipsa desperatio fortiores reddat: *modeste*, ne ambitione elatus, fortunae inconstantiam experiat. Sin *cladem* acceperit, prudentia opus est, ad vires iterum colligendas, cladisque magnitudinem rite aestimandam, ut rite definiatur, expediatne fortunae aleam porro subire, aut pace non turpi periculis se subducere. Sed et fortitudine opus est, ne statim vnus praelii infelici successu frangamur, aut animum abiiciamus, sed ut prompte damnatum passum resarcire annitamur.

§. XXXIII.

Qui vero *bello* etiam victi sunt, illis de pace cogitandum. De pace itaque ex prudentiae praescripto hoc obseruare iuuabit: si in bello videamus fortunam nobis deesse, extrema neququam tentanda aut expectanda sunt. Pax ergo facienda cum adhuc viribus vtcunque instructi sumus. Tum enim non plane leges a victore accipere cogimur, sed facilius pacem tolerabilem impetramus. Porro allaborandum, ut pacem tutam et securam consequamur: ut leges pacis, verbis clavis et perspicuis concipiantur, ne vlla caullatione, aut fraudulenta interpretatione, eludiqueant.

§. XXXIV.

Victor autem ita se gerat, ut victi non tam

Nn 3

neces-

necessitate adducti, quam beneuolentia et humanitate conciliati, pacem ineant: hinc conditiones nec duras, nec iniquas, ab iis exigat: caueat ne victi subdola pacis simulatione tempus saltem vires colligendi lucrentur: perfidos et insidias hac ratione sibi struentes, durioribus conditionibus, constringat. Si colloquio finire bellum placeat, operam nauet, vt suae satis prospiciatur securitati, si quidem ipse summus imperans in illud descendere velit. Nec minus quoad arbitros, sortemque, certae adhibendae sunt cautiones.

§. XXXV.

Tandem et *bellorum ciuiliu* est iniicienda mentio. Per haec vero cum ciuitas facillime destrui atque pessundari possit, eo omnia conuertenda sunt consilia, vt aut *euitentur*, aut orta cito *componantur*. Vtrumque commode fieri potest, si ad causas et scaturigines horum bellorum attendamus. Praeter generales autem atque communes, *luxum* scilicet, et cetera aut imperantium aut subditorum *vitia*, quibus omnes rerumpublicarum mutationes et euerfiones imputandae, ita tamen vt diuinae prouidentiae primus concedatur locus, ad tres veluti fontes omnia bella ciuilia reuocari possunt.

§. XXXVI.

Primo namque oriuntur eiusmodi intestini motus, si ciues potentiores, ambitionis oestro
per-

perciti, et aemulatione inflati alios ferre nequeant, aut plane libertatem reipublicae opprimere, vel deiectis legitime imperantibus, ipsi occupare summam rerum in animum inducant: deinde, quando multitudo, aut metu, aut rerum inopia, aut nimia imperantium vel seueritate, vel indulgentia concitatur: quorsum multum faciunt duces turbulenti, hominesque ambitiosi, obaerati, vani, et omnes illi qui rebus turbatis se quam rectissime sibi prospicere posse putant: et denique, cum ipsi imperantes imperio suo abutuntur, et tyrannicos induunt mores.

§. XXXVII.

Hiscē probe cognitis, huic malo parabitur medicina, cauebiturque ne erumpat: si inter ciues seruetur aequalitas: et si nunquam concedatur, ut ciuis nimiam potentiam et auctoritatem sibi adquirat, itemque si omnia discordiarum tollantur semina: si imperans causam metus tollat, seueritatem humanitate et clementia temperet, si leges sumptuarias ferendo et alia ratione plebis inopiae consulat: si vires multitudinis (quod maxime in exercitibus procedit, si forte et eos hocce malum afflauerit) diuidat, auctores et concitatores seditionum amoneat, viros probos et discretos submittat, qui promissis, aut spe veniae, et aliis modis seductos reuocent, vacillantes confirment: si animum generosum et imperterritum

tum praeferat, &c. Imperantium autem vitia, modo adhuc vlla sit ciuitas, ferenda, cum fatius sit alicui vtut malo, quam nulli parere, et hoc ipso quibusuis quidlibet committendi licentiam concedere.

§. XXXVIII.

Quod si iam in bellum eruperint hi motus, iu-
uabit capita et auctores rebellionis e medio tol-
lere, quocunq; id etiam fiat modo. Multitu-
do enim sine duce languet, vt corpus sine anima:
milites promissis aut alia ratione diuidendi, aut
in partes trahendi; erga victos autem victor cle-
menter se gerat, cum hoc ipso ad maiorem fidem,
et promptius obsequium, adstringi possint.

SECT. XII.

de

PRVDENTIA STATVM CIVITATIS MO-
NARCHICAE, ET IN EA STATVM IM-
PERANTIVM, CONSERVANDI.

Σύνοψις.

Ordinatio, §. I.

Arcana imperii quid? §. II.

*Arcana et iura dominatio-
nis, item flagitia domina-
tionis, §. III.*

Simulacra imperii, §. IV.

*Quod haec omnia in singulis
rebus publicis observari
queant, §. V.*

*Quaenam sint arcana im-
perii in genere, §. VI.*

*Quaenam arcana et iura
dominationis, §. VII.*

Et simulacra imperii, §. VIII.

*De statu monarchico quaenam
sint observanda, §. IX.*

*Quo pacto ipse princeps de-
beat esse comparatus, et
quidem*

- quidem quoad dotes naturae, §. X.
- et quoad ea quae ab exercitatione proueniunt, §. XI.
- Consilarii principi sunt necessarii: quos adhibere debeat, §. XII.
- Quomodo eos audire debeat, §. XIII.
- Quod cum primis operam dare debeat princeps, et emendatae sit voluntatis, §. XIV.
- Quae prae ceteris eum deceant virtutes, §. XV.
- Arcana imperii monarchici, speciatim quo pacto illud conseruandum sit contra plebem, §. XVI.
- contra patricios, §. XVII.
- Arcana dominationis in statu monarchico, §. XVIII.
- et quidem quoad imperii susceptionem, §. XIX.
- quoad administrationem: et primo quidem de capite rerum non remittendo, de existimatione conseruando, §. XX.
- de successore certo designando, §. XXI.
- de turibus principis tuendis, et fama antecessorum conseruanda, §. XXII.
- de custodia militari: et de hominibus fidelibus promouendo, omnium animis conciliandis etc. §. XXIII.
- de aequalitate inter omnes seruanda: omnibusque actionibus ad certum scopum dirigendis, §. XXIV.
- De inribus dominationis monitum, §. XXV.
- Quacnam sint iura dominationis in statu monarchico, §. XXVI.
- Simulacra imperii in statu monarchico ad demulcendam plebem, §. XXVII.
- ad demulcendos proceres, §. XXVIII.
- Flagitia dominationis in statu monarchico, §. XXIX.
- Flagitia imperii, §. XXX.
- Quo pacto ab iis differant flagitia dominationis, item de arcanis domus, §. XXXI.
- Arcana dominationis in actibus publicis, seu actibus tyrannici quinae sunt, §. XXXII. XXXIII.
- Sophismata tyrannica, §. XXXIV.

§. I.

CONsiderauimus haec tenus ciuitatem in genere, modumque eam conseruandi edisserui-

Nn §. mus.

mus. Descendendum nobis nunc est ad specialia et quae singulis rerum publicarum formis expedi-
ant, exponendum est.

§. II.

Observandum autem hic est, in qualibet ci-
uitate duo posse considerari: *statum* ipsius rei-
publicae prout hanc aut illam formam acciden-
talem habet, e. g. statum monarchiae, aristo-
cratiae, et *statum* ipsorum *imperantium*. Posset
addi *status civium* siue subditorum, si operae
pretium esset seorsim de ratione eum conser-
uandi, dispicere. Media statum huius vel il-
lius reipublicae conseruandi, solent vocari,
arcana imperii. Quae pro diuersitate forma-
rum accidentalium varia sunt. Sic alia sunt
arcana imperii in monarchia, alia in aristo-
cratia etc.

§. III.

Media autem statum imperantium conser-
uandi, vocari possunt *arcana dominationis*. Et
haec quidem vel circa facta aliorum verlan-
tur, et non tantum iusta sunt, sed et ne spe-
ciem quidem iniustitiae praebent: vel circa
facta imperantium propria, et iusta quidem
sunt, saepius tamen iniustitiae speciem prae-
bent. Si hoc sit, vocantur *iura dominationis*:
sin illud, nomen generale retinent, et in spe-
cialiori significato *arcana dominationis* salutan-
tur. Quod si vero plane iniusta sint, *flagitia*
dominationis, itemque *arcana domus*, stilo Taciti
appellari possunt.

§. IV.

§. IV.

Interdum etiam contingit, ut quidam in ciuitate externam imperii speciem habeant, cum tamen nihil minus quam imperium ipsum teneant. Hinc oriuntur *simulacra imperii*, quae ab illis qui reuera imperio gaudent, studiose conseruari solent, et confirmari, ut adeo his qui ad summam rerum adspirare poterant, hoc pacto delinitis, res suas eo melius firmare et stabilire possint.

§. V.

Tria ergo in qualibet reipublicae specie obseruanda sunt; *arcana imperii*; *arcana et iura dominationis*; *simulacra imperii* et *arcana inania*. Quibus denique addi possunt *flagitia dominationis*, non ut imitemur ea, sed ut eo rectius caueamus. *Arcana* autem dum haec media appello, nequiquam in specialiori significato haec voce vtor, quasi ita occulta sint ut a nemine sciantur, ita enim a me doceri non possent: sed significatum huius vocabuli amplioribus limitibus circumscribo, et ideo haec media *arcana* voco, quod dum vsurpantur, ut plurimum simulatione, et fictione quadam, occultari soleant.

§. VI.

Et *arcana* quidem *imperii* in genere ad sequentia possunt reuocari capita: nulla detur occasio illis qui reipublicae insidiantur, iura imperii sub specie necessitatis inuadendi: nec magi-

magistratus iuribus imperii, cum odio & damno subditorum, abutatur. Si forte in eorum vſu peccatum ſit, vitium diſſimuletur, et calida interpretatione interpoletur: de iuribus imperii non temere diſceptetur, aut ſi diſceptandum ſit, caueatur, ne in vulgus iſta diſſenſio promanet: ab vſu et exercitio iurium imperii ſummo ſtudio arceantur, quibus imperium non competit.

§. VII.

Arcanae et iura dominationis, vt ad imperantium auctoritatem et ſecuritatem vnice comparata ſunt, ita ad ſequentia fere capita reuocari poſſunt: in omnibus conſiliis et factis non minor ſit aequitas quam conſtantia: ob diuerſa aliorum iudicia, imperantes non moueantur: prudenter etiam imperantes externa dominationis ſigna, nomina, titulos, ſibi ſolis reſeruant, et in quauiſ fortuna fortiter retinent: ſi imperantium plures ſint, ſummo ſtudio euitetur diſcordia: ſanctitatis et ſingularis praeſtantiæ opinionem in animis ſubditorum excitare, magnopere e re imperantium eſt: illis, a quibus imperantibus periculum imminet, aliud quid obſciendum, aut ſub ſpecie honoris remouendi etc.

§. VIII.

Denique quoad *ſimulacra imperii* omnis prudentiae vis eo tendit, vt ſimulacra maneat ſimulacra, hoc eſt, ne illis qui cuiusmodi ſimulacris

lacris delinuntur, verum aliquod ius imperii concedatur.

§. IX.

Iam quod ad *statum monarchicum* attinet, posset hic iterum et finis, et conditio agentis, in-
dolesque eorum quibuscum illi negotium in-
tercedit, distincte considerari, sed cum operæ
pretium non sit singulis prolixè immorari,
suffecerit de ipsis imperantibus pauca delir-
basse, ut ipsos actus per quos finis obtineri pos-
sit, eo diligentius expendere queamus.

§. X.

Nimirum cum maxima impedimenta ab *ipso*
agente sæpius orientur, non est ut princeps pu-
tet feliciter se imperaturum, nisi ad imperii ad-
ministrationem sit idoneus. Duo autem sunt,
quæ si ab ipso Deo omnium bonorum fonte
discesseris, principem ad imperii administra-
tionem idoneum reddunt, *natura* et *exercitatio*.
Per *naturam* princeps habet quod a parentibus
generis claritate et egregiis maiorum facino-
ribus conspicuis, in lucem sit editus: ad au-
ctoritatem enim et exiftimationem comparan-
dam hoc plurimum facit: deinde corporis de-
cus, formam, ac vultus maiestatem, quæ et a-
morem et venerationem apud omnes principi
conciliare apta est: porro corporis tempera-
mentum, per quod ad certas actiones ciuiles
disponitur. Videtur autem principi maxime con-
venire sanguineum cholericum temperamentum:
hinc

hinc enim et iudicii præstantia et affabilitas illa comitasque sequitur, qua omnium ad se allicere animos potest. Adde denique, quod a diuina prouidentia sapienter cuncta dispensante, quamque fatum vocant, prouenit, quod natus sit certo loco, aut tempore. Multi principes cetera boni et sapientes, feliciter imperaturi fuissent, si alio loco, aut tempore nati essent: contra alii, non adeo boni et sapientes, nunquam fortunam adeo sibi fauentem fuissent habituri, nisi hoc loco, siue tempore, in orbis huius scenam prodiissent.

§. XI.

Quæ ab *exercitatione* proueniunt, partim ad *intellectum*, partim ad *voluntatem*, partim denique ad *corpus* pertinent. *Ratione intellectus* principem *prudencia rectoria* instructum esse decet, quæ quibus partibus absoluitur, ex hætenus dictis nemini obscurum esse potest. Supponit hæc prudentis accuratam notitiam regni, eiusque subditorum; legum, ciuium, opum etc. Comparatur autem suffragante bonitate indolis, per bonam educationem, si a teneris unguiculis princeps artibus imperaturo profuturus, imbuatur; per doctrinam, si eas artes scientiasque colat, quæ ad reipublicæ administrationem sunt necessariae; per experientiam, ad quam cum multi anni requirantur, historiarum diligens lectio vices eius supplebit; per usum, si rebus ciuilibus et militari-

ribus

ribus tractandis, ab ineunte adolescentia ad-
suefiat.

§. XII.

Sed cum vix vlli mortalium, nedum prin-
cipi tanta ingenii felicitas temere contingat,
vt boni et consummati principis partes per se
solus rite explere possit, omnino iuabit alio-
rum *consilia* non spernere. Feliciter ergo im-
peraturus princeps consilia sapientum audiat.
Sed et hic prudentiae praeceptis opus est, vt
sciat quos audire debeat, et quomodo eos au-
dire debeat. Ad prius quod attinet, adhibe-
at in consilium viros probos, eiusque rei, super
qua in consilium adhibentur, peritos. Neu-
tquam autem audiat homines ambitiosos, suis
saltem cupiditatibus et commodis inseruien-
tes, et hinc consiliis temerariis principem prae-
cipitem daturos.

§. XIII.

Audiat autem eos: *mature*, cum adhuc bo-
nis consiliis locus est: *cum iudicio*, hoc est, vt
quid optimum sit eligat: permittat quoque il-
lis libere sententiam dicere: proderit hunc in
finem si princeps ipse sententiam suam celet,
ne forte metu percussi, aut dissensione sua prin-
cipem offendere nolentes, veritatem dissimu-
lent: adeoque nec bona consilia praemiis, nec
mala poenis afficiat. Quod si, princeps non
eo sit iudicio vt, quid factu optimum sit eli-
gere valeat, non displicet mihi illorum sen-
ten-

tentia, qui suadent, ut tunc princeps vnum, cuius peritiam, prudentiam, atque fidem exploratam habet, eligat, eiusque sententiam semper sequatur.

§. XIV.

Quemadmodum autem omnium actionum moralium atque ciuiliū fons est ipsa voluntas hominis, huius cumprimis ratio habenda est feliciter imperaturo. Atque cum per naturam omnes homines, aut ad ambitionem, aut avaritiam, aut voluptatem propensi sint, nec principum in hoc capite alia sit conditio, prima et præcipua principis cura sit, emendare voluntatem, eiusque morbis afferre medelam. Certe principem aut ambitioni, aut avaritiæ, aut voluptati indulgentem, ciuitatis commoda minus recte promouere posse, apud omnes in confesso est. Ego vero fidenter assero, quod nec *arcana dominationis* rite adhiberi possint, nisi ab emendatæ voluntatis principe. Ita nimirum est, quam primum vel latum unguem imperans a iustitiæ regula deflectit, plus sibi nocet, quam prodest. Quæcumque enim videri possit utilitas, quæ ad illum inde redundat, apparens tamen saltem, non vera est utilitas. At qui voluntatem nondum correxit, profecto non potest non a rectæ rationis et iustitiæ regula, quotidie deflectere.

§. XV,

§. XV.

Atque si voluntatem rite emendaverit princeps, non possunt non *ceterae virtutes*, quarum magnus tum in ceteris vitae humanae negotiis, tum maxime in reipublicae administratione usus est, sua sponte consequi. Pietati cum primis, atque iustitiae, clementiaeque operabitur princeps. Hisce enim similibusque virtutibus omnino feliciter imperatorum ornatum esse decet, cum et per se necessariae sint, et ad estimationem comparandam, ac amorem subditorum ei conciliandum, multum utique conferant.

§. XVI.

Iam ad ipsa *media*, et primo quidem per quae status ipsius civitatis monarchicae conservari potest, accedo, quae *arcana imperii monarchici*, appellitari possunt. Et quidem cum status monarchico periculum imminet et a *plebe*, et a *patriciis nobilioribusque civibus*, huc cuncta fere redeunt: plebi pariter ac patriciis et voluntas, et facultas, statum monarchicum mutandi adimenda est. Voluntas adimitur plebi, si illi persuadeatur, imperantem iusto titulo imperium occupasse, et possidere: si subinde certior reddatur, quot, et quanta bona ex statu monarchico ad totam civitatem redundant: nonnulli quoque tergiuersionem in accipiendo imperio huc referunt: praeterea, si otium plebi auferatur, et vulgus bello aliisque negotiis

tiis occupatum teneatur: cum primis etiam profuerit eos amouere qui nimium popularitati student, et ex causa quadam speciali praesentem rerum statum aegre intuentur. Facultas autem illi adimitur, si conuentus et congressus impediuntur, et quae id genus alia sunt, deinceps pluribus commemoranda, cum in hoc capite arcana imperii, et arcana dominationis conueuiant.

§. XVII.

Vt *patriciis* in statu monarchico obuiam eatur, iuuabit, non temere homines ambitiosos magnis muneribus & dignitatibus admouere: magistratus iis demandare, de quibus imperans certior factus, quod statum monarchicum non aegre ferant: curare, vt certus sit successor et heres imperii: iura imperii absque aliorum arbitrio tractare: omni opera anniti, ne viri ex illustribus prosapiis oriundi, aut magna inopia premantur, aut nimis diuitis et auctoritate efflorescant.

§. XVIII.

Ad *arcana dominationis* quod attinet, princeps firmiter hoc sibi persuasum habeat, omnia quae statum ciuitatis, aut statum monarchiae conseruant, sibi quoque expedire. Nunquam ergo in animum inducat suam utilitatem utilitati reipublicae anteponere, cum hoc reuera sit bonum apparens, quod bono vero praeferre, summa est imprudentia.

§. XIX.

§. XIX.

In specie *arcana dominationis* alia sunt circa imperii *susceptionem*, alia circa eius *administrationem* usurpanda. Ad imperii susceptionem, sequentia pertinent: curet princeps ut inauguratione more maiorum, solemnibusque ac ritibus consuetis peragatur: eos, qui itidem ad imperium adspirarunt, aut adspirare potuerunt, diligenter obseruet, et si periculi magnitudo exigat, custodiat, cum primis impediatur, ne ad externos aut vicinos principes transgressi, vires ad impugnandum principatum accipiant.

§. XX.

Quae ad prudentem *imperii administrationem* spectant, *arcana dominationis*, haec sunt: nunquam remittat caput rerum sedemque imperii. Si enim conseruentur quae maximum momentum trahunt, cetera facile sequuntur: ergo neque longe, neque in remotis terrarum oris, arma sua peregrinari patiatur, quin potius terminos imperii coerceat. Operam nauet, ut rerum bene feliciterque gestarum gloriam in se deriuet: contra ut amoliat et in alios transferat odium et inuidiam, quae res male gestas sequi solet: nulla ratione permittat, ut maiestas sua ludibrio habeatur, neue quis alium magis colat quam principem.

§. XXI.

Praeterea sollicitus sit de successore, si successio

cessio obtineat) ita quidem vt nihil omittat, quominus in filium post mortem suam summa rerum transferatur: sin ipse herede destituatur, dabit quidem operam vt se mortuo successor non sit incertus: ast se viuo successorem certum constituere, inconsultum, et periculosum erit. Ple-
rorumque hominum enim ea est indoles, vt habere quam expectare regnum malint. Hunc in
finem curiosae et illicitae de futuro successore
inuestigationes, grauius puniendae sunt.

§. XXII.

Sedulo quoque caueat, ne qui officiis publicis praesunt, tale quid agant, quod principi soli competit; neue quis inscio aut inuito principe partem summi imperii exercent, aut tale quid committat, quo plebis animum a principe abalienare, et ad se trahere possit. Sed nec omittat quicquam quod ad aliorum principum, tum antecessorum suorum, tum eorum qui aliis gentibus praesunt, auctoritatem et venerationem augendam pertinet. Tantum enim cuius principi decedit, quantum omnibus detrahitur. Ergo acta atque decreta antecessorum seuerè et sanctè tueatur, nec temere conuellat: omnes eos grauius puniat, qui maiestatem antecessoris laeserunt: non contemnat eos qui eandem personam apud alias gentes gerunt: nec fedus ineat cum populis, qui principes imperio exuere, aut iis auxilia mittat.

§. XXIII

§. XXIII.

Nec abs te fuerit regale corpus, regalemque aulam, idonea custodia militari diligenter munire: hominibus sibi fidelissimis, praesertim sanguinis vinculo sibi iunctis, et quorum interest regiam domum florere, dignitates maximas, et officia, quibus plurimum momenti inest committere; militem praemiis, ciues tributorum remissione, omnes humanitate, comitate, facilemque aditum quibusuis concedendo, sibi conciliare: et quae alia sunt eiusdem commatis. Praecipue autem attendat ad eos, qui gratia plebis et auctoritate, opibusque florent, nec temere iis officiis aut prouinciis praeponat, ex quibus salus imperii pendet.

§. XXIV.

Aequalitatem, quantum fieri potest, seruet: et hinc neminem ita euehat atque attollat, vt per eum solum ceteris ad principem aditus pateat: omnes denique actiones qua priuatae, qua publicae, praesertim quoad matrimonium, sobolis educationem, ad firmandum imperium, auctoritatemque acquirendam, comparatae sint.

§. XXV.

Sequuntur *iura dominationis*, ab arcanis dominationis distincta. Nimirum debet princeps potestate sibi concessa iuxta praescriptum legem diuinarum, praecipue ad utilitatem rei-

publicae vti: interim si secundo ad sui potius conseruationem eadem vtatur, profecto non peccabit. Probe itaque hoc illi obseruandum; ne quid committat, quod legibus diuinis, aut saluti ciuitatis aduerfetur; leges suae ciuitatis, cum iis non teneatur, migrare ei non erit nefas, modo certus fit, quod legibus falua manfura fit fua auctoritas, et quod ceteroquin ifta actio ciuitati nullum adferre damnum poffit.

§. XXVI.

Hifce praemiffis ad *iura dominationis* fequentia referre nullus dubito: praeuenire poterit iis, qui nocere poffunt, et volunt. Certior nimirum de illorum propofito effe debet, ne innocentes opprimat: fi certus fit aliquem aduerfus ftatum reipublicae aut principis aliquid moliri, eum etiam non obseruato iudiciorum ordine, e medio tollere potest, fi quidem periculum in mora fit. Potest etiam poenas, ad alios a fimilibus flagitiis deterrendos, fi aut reipublicae, aut propria falus, hoc requirat, exafperare: Aff de innocentibus coniuratorum filiis, aut propinquis, poenas fumere, nefas eff. Sic et fi legibus ciuilibus certum matrimonii genus prohibitum fit, rite iftud inire potest, cum legibus ciuilibus non teneatur. Quod nonnulli de imperio et dominio eminenti addunt, caute capiendum. Hoc enim faltem vigente neceffitate, in falutem totius reipublicae,

blicae, neutiquam autem in propriam utilitatem uti potest,

§ XXVII.

Simulacra imperii, quae in *statu regio* siue *monarchico* locum habent, duplicis generis sunt: vel enim sunt *simulacra status democratici*, quibus plebs demulcetur: vel sunt simulacra status *aristocratici*, quibus proceres et patricii deliniuntur. Ad priora referri solent: varias voluptates, ludos, spectacula plebi praebere, eandem laudare, ei gratias agere: libertatem dicendi scribendique quibusuis concedere: ad leuiora delicta conuiere: plebi priuilegia quaedam sine ciuitatis aut imperantis damno concedere, eandem quandoque vectigalibus liberare: ex plebeiis quosdam ad magnas dignitates euehere: mores antiquos retinere, nec temere hic quicquam immutare, etc.

§ XXVIII.

Simulacra autem status aristocratici, quae ad firmandum principatum faciunt, sequentia sunt: vocabula eiusmodi magistratuum introducere aut relinquere, qualia in statu aristocratico esse solent: a nouis et fastuosis titulis quibus offendi possunt, abstinere: negotia eiusmodi senatui aut proceribus demandare, quae magnam speciem imperii habent, ex quibus tamen reuera nihil potestatis ad eos proficiscitur: in externis honoris et affectus significationibus erga proceres, haud parcum esse, etc.

§. XXIX.

Restant *flagitia dominationis*, in *statu monarchico*, paucis attingenda. Haec autem arcanis et iuribus dominationis plane respondent, quippe a quibus in eo saltem abeunt, quod in his honestatis quoque habeatur ratio, in illis nec diuina nec humana curentur iura, sed quadrata misceantur rotundis, modo imperans sine suo potitur.

§. XXX.

Sed possunt etiam *flagitia dominationis* extendi, et etiam certa *flagitia imperii* constitui, cum scilicet in utilitatem totius ciuitatis leges diuinae migrantur, quae tamen nequiquam pro vera utilitate reputari debet. Namque utilitati ciuitatis consulendum quidem est, sed ut utilitas totius humani generis, omniumque gentium, eidem praeferatur. Huc pertinet omnis abusus iurium maiestaticorum, ut ut ad utilitatem ciuitatis tendat, e. g. perfidia in federibus, bella iniusta, leges belli violatae, omnes denique fraudes, doli, et machinationes quibus innocentes laeduntur.

§. XXXI.

Ab hisce autem in eo abeunt *flagitia dominationis*, quod haec non ad utilitatem ciuitatis, sed tantum imperantis comparata sint, illisque adeo multum sint turpiora. Idque iterum dupliciter, vel in *actibus privatis* atque *domesticis*, et ad propriam familiam spectantibus, quae

quaeuis flagitia perpetrando: vel in *actibus publicis*, & directe ad ciuitatem spectantibus, diuinas leges proterue migrando. Priora flagitia stilo Taciti vocantur *arcana domus*. Huc pertinent incestus, adulteria, diuortia, cognatorum et consanguineorum caedes, ad firmandam potentiam comparatae, et id genus alia crimina.

§. XXXII.

Actus posteriores ab Aristotele actus tyrannici salutantur, quorum alii ad occupandam, alii ad stabiliendam tyrannidem pertinent, et ad sequentia reuocari capita possunt: religionem vnice in dominandi instrumentum vertunt: idque mirum non est, cum eiusmodi homines nulli religioni reuera sint addicti: potentia, auctoritate, diuitiis, florentes viros, quantumvis probos & innocentes, eo, quod ab illis conatibus suis impedimentum obiectum iri metuunt, vi aut fraudibus e medio tollunt, et Tarquinianam papauerum decussionem imitantur: auctoritate imperii summi ad priuatas iniurias vlciscendas abutuntur: vectigalia, tributa, et quae ad conseruationem ciuitatis destinata sunt, in proprios vsus conuertunt, illicitisque et non tolerandis exactionibus populum ad summam paupertatem redigunt.

§. XXXIII.

Praeterea, leges ad suas cupiditates attemperant:

perant: sub specie dominii eminentis dominia et bona priuatorum inuadunt: eos, quibus libertatis cura demandata est, dissensionibus ac simulatibus callide inter se committunt: procerum ciuiumque conuentus prohibent, studia artesque liberales proscribunt, quin quouis modo ne amicitia, familiaritas, concordia inter ciues sit, impedire annituntur: et hunc in finem discordias et dissensiones ipsi aut disseminant, aut fouent: cumque animo sint valde suspicaci, semperque metuant, idagunt, vt ab exploratoribus ac delatoribus obsessae passim infestaeque sint vrbes et domus: vilioris conditionis hominibus plurima indulgent, vt aliquando eorum opera contra ingenuos vti possint: peregrinis potius fauent, quam ciuibus: nec denique ipsis domesticis fidunt, quin maximopere ab illis sibi cauent: adeo vndique suspicionibus agitantur miserrimi mortali-
 um.

§. XXXIV.

Nec desunt illis artes, quibus crudelitatem et dominandi libidinem tegere, et bonum quandoque principem mentiri possunt. Aristoteles *caso Φισματα* tyrannica vocat. Praecipua huc redeunt: cum ipsi veris virtutibus sint destituti, speciem tamen virtutis iuduunt, et vbique boni principis laudem affectant: vbique ciuitatis vtilitatem et populi salutem crepant, suis interim commodis, vnice inser-
 uien-

vientes : quoties iuribus maiestaticis ad suam libidinem abutuntur, reipublicae tamen necessitatem semper prae se ferunt, e. g. in legibus ferendis, tributis imponendis, dominio eminenti &c: cum primis pietatem et religionem obtentui sumere, ut eo tutius suis cupiditatibus inserviant, illis valde solenne est: si praestantes viros sine periculo tollere nequeunt, vel si sciunt, ab illis nullum sibi imminere periculum, eosdem variis blanditiis prosequuntur, ut ipsam virtutem in iis plurimi facere videantur: quae maxima odia, minorem utilitatem afferre possunt, summo studio evitant, &c.

SECT. XIII.

de

PRVDENTIA STATVM CIVITATIS ARISTOCRATICAE, ET DEMOCRATICAE, ET IN IIS STATVM IMPERVANTIVM CONSERVANDI.

Σύνοψις.

Traitionis ratio, §. I.

Arcana imperii in statu aristocratico contra principem, §. II.

contra plebem, §. III.

Arcana dominationis, §. IV.

Iura dominationis, §. V.

Simulacra imperii, §. VI.

Flagitia dominationis aristocraticae, §. VII.

Transitus ad statum democraticum, §. VIII.

Arcana imperii contra potestatem regiam, §. IX.

contra optimates, §. X.

contra infimam plebem, et contra
do.

*dominationis, §. XI.
 Simulacra imperii et flagitia dominationis democraticae, §. XII.*

Quo pacto haec se habeant in rebus publicis irregularibus, §. XIII.

§. I.

INTER eas ciuitatum formas, in quibus summa rerum penes plures inter se iunctos est, eminet *aristocrazia*. In qua cum iterum alius status sit totius *ciuitatis*, alius *imperantium*, de mediis utrumque ex prudentiae praescripto conseruandi, nobis ordine eo, quem in capite praecedenti seruauius, dicendum est. Namque ut de fine, de conditione, et indole, et virtutibus imperantium, et parentium, multa dicamus, superuacaneum erit, cum quiuis ex hactenus dictis, quid hic prudentia iubeat, facile intelligere possit.

§. II.

Arcana itaque imperii in statu aristocratico partim aduersus plebem, ne democratiam inducat, partim aduersus principatum, siue monarchiam tendunt. Principatui sequentia opponuntur: ut maiores dignitates, quae multum auctoritatis alicui conferunt, non sint perpetuae, praeter ipsam senatoriam, qua quis in numerum optimatum cooptatus est: non permittatur priuato ea agere, quibus plebis fauorem sibi concillare potest: nec militiae temere praeficiatur, quem lubido patriam opprimendi incedere possit. Iuuabit hunc in finem duces extra-

traneos militibus praeficere. Arces munitas extruere, nemini optimatum liceat. Cauetur quoque ne quis ex optimatibus ciuibusque, matrimonio vel alia ratione extero principi iungatur, ne forte eius viribus suffultus, contra rempublicam aliquid moliat: plures ex vna familia inter optimates non recipiantur, aut ad summam rerum tractandam admoventur: maioris momenti negotia pluribus potius, quam vni committantur: certus optimatum numerus definiatur: ex illustrioribus familiis nati non temere opprimantur, ne ad desperationem acti plebem concitent etc.

§. III.

Plebe autem, ne quid aduersus statum aristocraticum moliat, ita obuiam iri potest: plebs a magistratibus dignitatibusque maioris momenti, et iure suffragia in reipubl. administratione ferendi, occulta quadam ratione arceatur: armorum vsus, possessio, exercitatio non temere plebi concedatur: si necessitas iubeat plebeios officiis quibusdam admoouere, iis admoneantur, quae plurimum oneris et taedium, parum utilitatis, nihil imperii habent: educatio inuentutis talis praescribatur, quae statui aristocratico sit conueniens: optimatum dissensiones et discordiae summo studio cui tentur et occultentur: plebs tributis aliisque oneribus non nimis grauetur, ne in desperatio-

tionem acta statum reipubl. euersum eat, demagogi remoueantur etc.

§. IV.

Arcana et iura dominationis in statu aristoeratico, praecipue ad vtilitatem et conseruationem patriciorum, et familiarum ex quibus optimates eliguntur, earundemque incrementum, pertinent. Patet itaque quod omnia ea quae ipsum statum aristocraticum conseruant, etiam statum imperantium conseruent, et adeo ad arcana dominationis referri possint. In specie tamen sequentia dominationis arcana hic deprehendere licet: conducit optimatibus prohibere matrimonia patriciorum eum plebeiis: splendor familiarum patriciarum omni modo augeatur et conseruetur, inopiae etiam earum succurratur, ne plebeiis sint ludibrio: familiae plebeiae inter patricias non recipiantur.

§. V.

Iura dominationis sunt: eiicere ciues nimis potentes, si ab iis ciuitati periculum immincat: proscriptorum liberos a iure ordinis prohibere: imminente periculo sine iudiciorum ordine eos tollere, qui statum ciuitatis turbare volebant. Quae autem ab aliis adduntur, admissio lupanarium, vsurae iniquae &c. cum iuri naturae repugnent, plane probare nequeo.

§. VI.

Simulacra imperii, quae in statu aristocratico v-
surpa-

surpari possunt, itidem duplicis generis sunt: vel enim sunt simulacra imperii *regii*, vel sunt simulacra imperii *democratici*. De posterioribus iam in capite praecedenti dictum est. Priora tum demum obtinent, si quis in ciuitate sit, qui principis aut ducis titulo ornatur, ut in republica Veneta, et in eo fere consistunt, ut splendidus et magnificus titulus illi concedatur, et honoris quaedam ac reuerentiae signa erga illum edantur etc.

§. VII.

Flagitia dominationis aristocraticae cum flagitiis dominationis regiae fere conueniunt. Summa huc redit: oligarchia innocentes quique et cordati proscribuntur, aut tolluntur e medio, vectigalia et tributa ad excessum imponuntur, diuina humanaque iura pro lubitu violantur etc.

§. VIII.

In democratia, ut de ea quoque aliquid subnectamus, cum arcana imperii e dominationis fere coincidunt, iunctim praecipua indicabimus. Cum autem huic statui periculum imminet, a potestate *regia, aristocratica, et infima vilissimaeque plebe*, quae hisce malis opponi remedia possint, edifferendum.

§. IX.

Regiae potestati eodem modo obuiam ibitur, quo eidem in aristocratia obuiam iri posse, diximus. Populus Romanus iureiurando se contra regi-

regiam dignitatem obstringens, et nihil non omittens vt nomen regis execrabile redderetur, exemplum eiusmodi consiliorum suppeditare potest.

§. X.

Contra *optimates*, sequentia vsui erunt: proderit mediae conditionis et fortunae homines ad reipublicae clauum admouere: sin et melioris fortunae homines admouendi sint, operadetur, vt illi hos numero vincant: omnis occasio magnam auctoritatem acquirendi, ex nobilioribus familiis prognatis, eripiatur: auctoritas illorum, qui plebis iura defendunt, sancta sit & inuiolabilis: cum primis summam inter omnes seruare aequalitatem, et omnes euitare disensiones, et discordias, decet, quibus facile nonnulli ad statum popularem ciuitatis euertendum, abuti possunt: consultum quoque erit, cuius e populo concedere facultatem, magistratum accusandi, et ad populum ipsum prouocandi: omnes etiam leges statui populari accommodare iurabit: mitis denique gubernatio, iustitiae administratio, religionis sinceritas, status democratici firmissima sunt fulcimenta.

§. XI.

Infimae plebi obuiam ibitur, si curetur ne penuria rerum et inopia prematur, ne adsint demagogi, qui eam in perniciem ciuitatis concitare possint, vt et denique si quaeuis delicta,
 quae

quae in perniciem ciuitatis tendere possunt, feuerissime puniantur. *Iura dominationis* eodem modo se habent, vt in statu aristocratico.

§. XII.

Simulacra imperii, quae in hoc statu adhiberi possint, vel sunt *imperii regii*, vel *aristocratici*, iam in praecedentibus explicata. *Flagitia dominationis* consistunt in summa et perniciosa plebis dominantis licentia, vnde mox anarchia, et summa rerum omnium confusio, consequi solet.

§. XIII.

De illis denique reipublicae formis, quas *regulares* supra vocauimus, obseruandum, quod vt plurimum ad vnam ex regularibus proxime accedant, vbi quidem facile fuerit, cum quodam temperamento, regulas prudentiae de regularibus formis, ad eas applicare. Potest etiam contingere, vt certo modo regulae de omnibus formis rerum publicarum traditae, in vna eademque forma irregulari locum inueniant.

SECT. XIV.

de

PRVDENTIA AVLICA.

Σύνοψις.

TraBationis ratio, §. I.
An et quomodo ministri sui
status habere rationem
queant? §. II.

Cur speciatim de aulicis agen-
dum? dicendorum ordo
 §. III.
De fine et scopo, vnde auli-
cat, §. IV.

pp

Quo.

Quod ad hunc finem obtinendum idoneus quis esse debeat §. V.

quoad dotes naturales, speciatim ratione iudicii, §. VI. ingenii, §. VII.

memoriae, §. VIII.

Pravas voluntatis propensiones maximopere nocere aulico, §. IX.

Et, et affectus, §. X.

De corporis dotibus quibus ornatus esse debeat, §. XI.

De iis quae fortunae vacantur munera, §. XII.

Quo pacto aulicus circa ea se gerere debeat, §. XIII.

De iis quae ab exercitatione pendunt, speciatim de virtutibus intellectus, §. XIV. et voluntatis, §. XV.

Quod cum primis aulico necessaria sit pietas, §. XVI. Diligentia, §. XVII.

Patientia et modestia, §. XVIII.

iustitia, §. XIX.

De simulatione et dissimulatione quid censendum? §. XX.

Caute ea utendū esse, §. XXI.

De diversis simulandi et dissimulandi modis, §. XXII.

Quod decori etiam debeat esse observans aulicus, §. XXIII.

De adulatione aulica, §. XXIV.

Cum non omnes istis dotibus et virtutibus polleant, nunquam se ipsum prius explorare debere, quam hoc vitae genus eligat, §. XXV. Sed et notitia aliorum hominum aulico est necessaria, §. XXVI.

Praesertim ipsius principis, §. XXVII.

Cum aliter se gerere debeat erga principem qui praeditus est temperamento cholericis, §. XXVIII. XXIX.

aliter erga eum qui temperamento gaudet sanguineo, §. XXX.

aliter erga eum qui temperamento gaudet melancholico, §. XXXI.

De ipsis aulici actionibus rite dirigendis, §. XXXII.

Quid illi faciendum ut principi innotescat, §. XXXIII.

Modi gratiam principis comparandi et conservandi, turpes et illegitimi, §. XXXIV. honesti et genuini, §. XXXV.

Quo pacto se gerere debeat erga proceres, §. XXXVI. XXXVII.

Quod prudentiae quoque aulicae pars sit, evitare inimicorum tela, §. XXXVIII.

Hinc in causam odii, quo nos alii prosequuntur, inquirendum: cuius, si in nobis sit, qua

quatuor constituntur fontes, §. XXXIX.

Quo pacto singulis obuiam erudum, §. XL. XLI.

Sed et artes aulicorum: cogitationes habere decet: quatenus praecipuae sint, §. XLII. XLIII.

Quo pacto illis obuiam erudum, §. XL. IV.

Vitia aulicorum quibus se ipsos praecipites dant, §. XL. V.

Quid agendum aulico, si princeps morietur, §. XLVI.

§. I.

QVae hactenus edisseruimus, ad statum tum civitatis in genere, tum in specie monarchicae, aristocraticae et democraticae, tum demique ipsorum imperantium, in singulis hisce rerum publicarum formis, conservandum pertinent. Nunc de statu *singulorum*, et quidem non omnium, sed *eorum*, qui in illustri loco a fortuna constituti sunt, et ad rerum civilium administrationem aliquid conferunt, ex instituti nostri lege dispiciendum est.

§. II.

Licet enim omnium civium, praecipue autem ministrorum prima et praecipua cura esse debeat, civitatis, et imperantis conservatio: non tamen nefas est, de proprii status conservacione esse sollicitum, idque eo magis, quod ipsa vitae civilis conditio, quam ministri sequuntur, multis magnisque periculis saepius eos exponat.

§. III.

Atque hoc licet de omnibus ministris verum sit, praecipue tamen de *aulicis* est intelligendum, qui ut propius principem attingunt, faciliusque ad magnas dignitates, honores,

diuitias, perueniunt, eo maiori inuidiae, pluribusque maleuolorum artibus et machinationibus sunt obnoxii. Ad hosce ergo prae-
cipue respiciemus, ita tamen vt facile ad omnes et singulos, quae tradentur, accommodari possint. Sequemur autem regulas, quas de prudentia status in genere tradidimus, et cuncta ad tria, *finem* scilicet, *conditionem personae*, et *rationem mediorem*, siue haec personas quibuscum illis negotium intercedit, siue negotia ipsa spectent, reuocabimus capita.

§. IV.

Et *finis* quidem vel *generalis* est, quem in tota vitae ratione aliquis sequitur, vel *specialis*, quem in hac aut illa actione sibi quis propositum habet. Quoad priorem obseruandum, eos multum turpiterque falli, qui tantum honoris, aut diuitiarum, aut voluptatis causa, vitam aulicam sectantur: et licet illi qui honores sibi propositos habent, interdum non male rem gerere videantur, haud raro etiam sine suo utcumque ad tempus potiantur, stabilem tamen firmamque fortunam sibi polliceri nequeunt, et adeo mortalium omnium sunt miserrimi. Contra qui hoc sibi constitutum habet, vt bona fide patriae et principi inferuiat, vt longe feliciores actionum suarum successus sibi polliceri potest, ita si vel maxime aut sine suo excidat, aut aduersae fortunae otus experiatur, tranquillo tamen erit animo,
et se-

et felicitatis suae aut nullam, aut exiguam valde iacturam faciet. De *sine speciali* huius aut illius actionis, id dubio caret, quod fini generali, siue directe, siue indirecte, debeat subiici eique inferuire.

§. V.

Sed ad *finem* cum nemo adspirare debeat, nisi is ad eum consequendum sit idoneus, indolem aulici, qualis per naturam, fortunam, industriam, esse debeat, paulo accuratius considerabimus.

§. VI.

Et ad *naturam* quidem quod attinet, haud vulgaribus animi pariter ac corporis dotibus emineat necesse est, qui *politici viri* nomen titulumque promereri cupit. In specie ratione intellectus *iudicium practicum* in eo requiro. Et enim cum, ut supra docuimus, in aliis hominibus imaginatio, in aliis iudicium emineat, alicum quidem virum, ex eorum numero esse volo, in quibus iudicium imaginationem vincit. Illi enim in quibus maior est vis imaginationis, quam iudicii, in multiplicitate inventionum et rationum copia plerumque natant, et segre expediunt aliquid cui insistant. Atque hoc est quod Thueydides alicubi ait, *hobetiores* (ratione imaginationis) quam acutiores, ut plurimum melius rempublicam administrare.

§. VII.

Nec tamen omni *vi imaginandi* destituatur aulicus, cum saepius promptum et expeditum consilium, aut simile quid ab eo exigatur, quod sine imaginandi facultate vix rite peragi potest. Quin cum eloquentia, mascula quidem, sed prompta, et omnibus occasionibus accommodata, politico viro valde necessaria sit, haec autem imaginationis effectus sit, sane sua sponte inde consequitur, quod hac quoque vir politicus instructus esse debeat.

§. VIII.

Memoria excellens ut cum iudicio summo vix unquam consistit, ita politico aulicoque viro vix speranda est, interim mediocri memoria cum pollere necesse est, cum *experientia*, quae prudentiam cum usu gignit, sine memoria nulla esse possit.

§. IX.

Voluntatis propensiones pravae ut omnes cum instituto viri politici et aulici pugnant, ita ut emendatam purgatamque ab iis voluntatem habeat, necesse est. Inter ceteras *ambitio* equidem aulico videtur minimum nocere, cum hac saepius ad res pro patria, principe propriaque gloria praeclare fortiterque gerendas, inflammetur: sed non minora tamen secum incommoda vehit, et qui accuratius cuncta secum reputauerit, eam aeque perniciosam ac reliquas propensiones pravas deprehendet.

§. X.

§. X.

Affectus ut pravam propensionem sequuntur, ita idem de illis iudicandum est. Nunquam prudentiae bene cum affectibus convenit: cum prudentia civili autem e diametro pugnant. Iam pridem ergo prudentes iudicant, ad vitam aulicam civiliumque rerum tractationem cum plane ineptum esse, qui affectibus suis imperare, iisque limites terminosque accurate statuerere, non didicit.

§. XI.

Denique *corporis robur*, decori gestus, et id genus alia maxima sunt naturae munera, quibus profecto nemo carere potest, qui aut aulicam eligere vitam, aut civilium rerum suscipere tractationem, secum constituit.

§. XII.

Ad *fortunae* nunc accedo *munera*, hoc est, ea quae a diuina pendunt providentia, interim ita comparata sunt, ut homo iisdem ad suam felicitatem aut calamitatem uti possit. Huc refero *natalium conditionem*. Qui a parentibus generis nobilitate conspicuis prognati sunt, longe facilius ad honores et dignitates, civiliumque rerum tractationem viam aditumque sibi muniunt, quam qui a plebeis in lucem editi sunt. Ergo nisi in hisce summa et excellentissima virtus, natalium defectum compenset, aut aliae causae tale vitae genus suadeant, minus quidem tutum erit istud elige-

re, aut alii praeferre. Praeterea huc refero *ipsum reipublicae faciem*. Multum profecto refert in qua republica, quo tempore, aliquis nascatur, aut in scenam istam rerum civilium prodeat. Quare si reipublicae status, temporumque iniquitas praecclaris ausibus obstet, non est quod vir prudens miretur. Sed et *favorem magnorum virorum* qui iuvenes rebus tractandis primum admouent, huc pertinet. Vt enim virtus, aut alia causa hunc acquirere favorem quandoque apta sit; saepius tamen contingit, ut nonnulli prae aliis insigni affectu, et benevolentia, nos complectantur, et nos nullam huius rei reddere queamus causam.

§. XIII.

Sed in iis quae natura et fatum tribuunt, nihil aliud hominibus relictum est, quam ut diuini Numinis propitium favorem, pia gratiae agnoscant mente, et muneribus hisce prudenter utantur ad finem, quem sibi proposuerunt, rite obtinendum. Sed in iis quae industria humana comparari possunt, omne studium collocandum est, ut nihil eorum nobis desit quod ad politici viri consummatam laudem pertinet.

§. XIV.

Ratione *intellectus* itaque prima et praecipua politici viri virtus est *prudencia*, iudicii practici filia, sed quae industria humana si non acquiri,

quiri, certe adiuuari, et haud mediocriter au-
geri potest. Quas autem alibi constituimus
prudentiali partes, *attentio, circumspexio, prou-
dencia, discretio*, hic quoque omnino locum in-
ueniunt, et civilem aulicamque prudentiam
penitus absoluunt. Et *discretionis* quidem
quam alii *solersiam* quoque vocant, cum primis
munus est, personas negotisque considerare,
et quam ad institutum nostrum finemque a-
pta aut inepta sint, rite diiudicare, qua de re
insequentibus ex instituto dicetur. *Dexteri-
tas* autem, quam nonnulli addunt, ex ingenii
promptitudine oritur, qua quis celeriter me-
dium magnas difficultates superandi excogi-
tare, et periculosos adeo negotiorum scopu-
los syrtesque perite transmittere nouit. Haec
itaque si cum prudentia iuncta fuerit, tale
quid inde efflorescit, quod aulicum ratione
intellectus perfectum plane, consummatum-
que reddit.

§. XV.

Non minorem autem curam *voluntatis virtu-
tes* promerentur. Quin ausim dicere, volun-
tatis emendationem, correctionemque, in au-
lico utramque facere paginam. Nullam ve-
ram virtutem edere potest, qui voluntatem
nondum emendauit, multo minus affectibus
imponere frenum, iisque leges dare poterit.
Quin ad veram prudentiam non aliam esse
viam, quam voluntatis correctionem, itidem

alibi comprobauimus. Ad voluntate emendata prius riteque correcta, non decerunt viro politico istae virtutes, quarum maximus in omni vita et reipublicae administratione, vsus est.

§. XVI.

Iurabit tamen praecipuas, quibus aulicum politicumque ornatum esse decet, indicare. Has inter primum locum occupat ipsa pietas. Diserte dico, sine pietate nulla est prudentia. In specie ciuilem virum expendere decet, omnes fortunae aut fauentis, aut aduersae, casus a Numine esse. Sine fauore ergo Numinis, frustra vltos successus, vel in minimo negotio, sibi promittere potest. Quomodo autem fauorem Numinis sibi promittet, si istud non colat pieque viuat? Denique sine pietate ceterae virtutes, quibus aulicum instructum esse oportere, omnes confitentur, frustra sperantur aut optantur, vt adeo nullus dubitem asserere, sine pietate neminem boni aulici politicique partes explere posse.

§. XVII.

Si officia hominis erga se ipsum spectes, diligentiam, patientiam, modestiam quam alii humilitatem vocant, virtutes aulicis proprias merito dixeris. Aut credisne hominem sui incurium, negligentem, domini sui gratiam promereri posse? Non patiuntur moram negotia, quibus sospitas totius ciuitatis salus innititur.

Haec

Haec autem hominibus genio saltem indulgentibus, aut otium sectantibus, demandare, summa profecto esset imprudentia.

§. XVIII.

Ast qui *patientiam* virtutem aulico superuacuum putauerit, sine dubio rerum aulicarum admodum rudis est. Nihilibi frequentius, quam aliorum iniuriis, contumeliis, laeosis: voluntate principum nihil mutabilius, aut inconstantius: nullibi maiora crimina aut scelera, praesertim si ipse princeps voluntatem non emendauerit: haec si quis ferre patienter non didicit, exeat aula. Namque vel minimo signo suam prodidisse indignationem, periculo non vacat. Addidi *modestiam*. Hanc vultu, verbis, factis testari decet. Superbo homine nihil intolerabilius. Modestia contra et principis acquiritur benevolentia, et ceterorum aulicorum odia si non tolluntur, saepius tamen mitigantur,

§. XIX.

Succedunt officia erga alios. Hic *iustitiam* et interuendi promptitudinem, inter maxima aulici ornamenta reputo. Iustitiam, quod nullum negotium sine ea rite administrari queat: interuendi promptitudinem, quod haec facillima tuissimaque ad omnium benevolentiam nobis concilrandam, via sit.

§. XX.

Non praetermittendum hic nobis est quod vulgo

vulgo dici solet *simulationem dissimulationemque* inter praecipuas aulici virtutes referendam esse, vt communi plurimorum sententia, regnare quoque nesciat, qui nescit dissimulare. Nec est vt istud reprehendamus, si cetera recte se habeant, cum alibi iam euictum sit, sine ullius iniuria fictionem, simulationemque, quandoque vsurpari posse. Nec enim vlla naturae lege obligati sumus, vt semper signis quibusuis ita vtamur, vt cum nostra conueniant mente. Utendum ergo aulico dissimulatione, sed erga eos potissimum, qui animi sensus ideo explorant et expiscantur, vt deinceps aut nobis, aut aliis, eo grauius noceant.

§. XXI.

Aulicus ergo, quanto pluribus periculis atque insidiis expositus est, tanto diligentius et *cautius dissimulatione* vtatur. Dixi *cautius*. Namque omnino ita se res habet, vt nonnemo pronuntiauit, dissimulatione ita vtendum esse, vt Medici antidotis vtuntur, quae perite adhibita profunt, imperite, et in opportuno tempore, nocent. Intempestiua enim dissimulatio hoc demum efficit, vt nemo tandem nobis fidat credatue.

§. XXII.

Solet autem simulatio ac dissimulatio tribus potissimum modis vsurpari, *silentio, sermone, factis, gestibusque externis*. *Silentio*, cum non tantum consilia, arcana, et quicquid aut nobis

bis aut amicis nocere possit, si manifestetur, reticemus; sed iniurias etiam nobis illatas non sentire videmur. Et talis dissimulatio quam facillime procedit, et semper ac ubique adhiberi potest. Cum verbis dissimulandum, maiori opus est artificio. Nonnulli hic sermonem interrumpunt, et aliud dicendi argumentum subito arripunt: alii ad tria potissimum attendendum monent, ne veritatem dictorum praecise negemus, aut quid praeter decorum regeramus, sed ut verbis ambiguis loquentem suspensum teneamus. Factis denique et gestibus externis dissimulamur, cum v. g. tristes oris corporisque habitum ad laetitiam componimus, et vice versa, &c. Sed eosque haec a nobis saltem probantur, quousque honestatis limites non transgrediuntur.

§. XXIII.

Tandem et *decori* obseruantissimum virum politicum esse decet. Idque adeo necessarium est, ut nonnulli existimauerint, eo ipso totam politicam absolui. Perperam quidem. Humanitas, urbanitas, affabilitas, veracitas homiletica, ad benevolentiam principis aliorumque illi conciliandam, ad estimationem comparandam, et conseruandam, plurimum profecto conferunt. Cum primis huc pertinet *παρρησία* qua subrustico et intempestiuo pu-

pudore excusso, fidenter ea agunt, et dicunt, quae officii ratio agere aut dicere iubet.

§. XXIV.

Solet hic ut proprium aulicorum vitium exaggerari *adulatio*, et merito quidem, si tale vitium hoc nomine tegatur, quod non tantum decori, sed honesti etiam limites migrat. Ast qui decori leges tantum adulatione violant, excusatius peccant. Qui vero eos qui principem laudant, si quidem laudanda agit, aut veneratione ducti, perperam ab eo facta, paulisper emolliunt, ut tamen ea neutiquam probent, statim adulationis accusant, vix satis, quid adulatio sit, pensi habere videntur. Interim quanto hic opus sit iudicio, Tiberius, ineptos adulatorem reiiciens, et reprehendens, quemuis luculenter edocere potest.

§. XXV.

Tot quidem tantisque virtutibus, et naturae fortunaeque muneribus, cum civilem virum instructum esse oporteat, cuiuslibet sane incumbit, priusquam aulicum aut simile vitae genus sectari incipiat, seipsum accurate explorare, ut sitae satis aptus ad illum quem sibi proposuit finem consequendum, inde condoceatur. Atque hoc est, quod nonnulli volunt, dum *notitiam sui ipsius*, inter ipsa prudentiae aulicae elementa, collocant.

§. XXVI.

Postquam autem aliquis, indole sua probe explo-

explorata, secum constituit eiusmodi vitae genus amplecti, de *mediis* ut sollicitus sit necesse est: inter quae *notitia hominum*, quibuscum illi negotium intercedit, et qui finem eius aut promouere aut impedire possunt, haud omnino vltimum occupat locum. Possunt autem homines quibuscum politico negotium intercedit, ad tres referri classes, quarum prima ipsos *principes* rerumque dominos, altera *ceteros aulicos*, tertia *subditos* et qui imperio regendi et gubernandi sunt, continet. De omnibus in genere obseruandum, quod pro temperamenti, aetatis, status, fortunae ratione, varii illorum sint mores, ut in *Ethica* pluribus est expositum, quodue ad hanc diuersitatem sedulo sit attendendum, siue illorum benevolentiam conciliare et conseruare, siue odium et inuidiam amoliri, siue illis aliquid persuadere, eosque in nostras pertrahere partes, cupiamus.

§. XXVII.

Sed cum *principis* potissimum habenda sit ratio, eo quod omnis aulici fortuna ab eius benevolentia pendat, quid civili viro prosit, mores principes perspectos habere, vberius commonstrabimus. Nimirum et principum non semper iidem sunt mores, idque partim ab aetate, loco, tempore, aliisque causis supra commemoratis, partim et maxime quidem a temperamento prouenit. Ceterae enim causae
nihil

nihil aliud efficiunt, quam ut si conspirent, naturalem propensionem augeant, fin ei repugnent, imminuant, aut varia ratione temperent.

§. XXVIII.

Si itaque in principe temperamentum *cholericum* primum teneat locum, iuxta ea quae alibi diximus, superbus erit, iracundus, humilium obsequiorum amans, impatiens contradictionis, alieni iudicii, si ab ipso discordet, contemptor, ad iniurias inferendas pronus, idem tamen placabilis, praesertim si laesi iniuriae illatae memoriam mox deponant.

§. XXIX.

Quaenam aulici hic partes sint, ut eiusmodi principi se probet, eleganter edisserit auctor *aulici inculpato*, quem in latinam linguam *Abraham Marsconetta* vertit: cui cum tali principe viuendum est, *oculos et aures apertas habeto semper, ut prompte et intelligat et exequatur mandantis nutum, nihil obiectans, nihil morae neccens: ne contradictionibus opinionem principi moueat arrogantiae, ac se sapientiozem ipso credere videatur. Nihil dubitet ad infima se submittere ministeria, etiam illa quae fortunae suae parum conueniant, iniuriarum tolerans esto, nec diu memor, ac post offensam tanto officiosior* &c. part. II. cap. X,

§. XXX.

Contra in quibus *sanguineum* temperamentum praevalet principes, ut voluptates et delicias

litas sectantur, ita humanitate, lenitate, clementia, liberalitate se commendant. Austeri mores his valde displicent; contra ex aulicis illi maxime probantur, qui animo sunt hilari, lepidi, faceti, qui seria quandoque iocis apte temperare norunt. Atque hi dum facile ad principis familiaritatem admittuntur, magna prudentia requiritur, ne familiaritas contemptum pariat, aut alia ratione principis animus irritetur.

§. XXXI.

Ast *melancholici* temperamenti princeps ve anxius, meditabundus, diffidens, suspicax, ac plerumque malignus est, ita difficile est eius gratiam sibi conciliare, difficilius retinere. Interim circumspecte et cautissime cum eiusmodi ingeniis agendum est. Linguae imprimis moderari oportet, et de singulis verbis velut in consilium ire, nec aliquid loquendum, aut faciendum, quod vel minimam suspicionis occasionem praebere potest. Veneratione potius nimium quam modicum esse decet, in consiliis haesitantem potius quam vrgentem, in postulando verecundum. Dum enim et avaritia laborant eiusmodi principes, non alia magis re, quam importunis postulationibus, offendi possunt.

§. XXXII.

Iam quod ad ipsas *actiones*, quibus ad finem sibi propositum vir aulicus contendere debet,

Q 9

atti-

attinet, ad tria ea reuocari possunt capita: aliae sunt, quibus quis imperanti *innotescit*; aliae, quibus eius *beneuolentia comparatur et conseruatur*; aliae, quibus *inimicorum machinationes aueruntur*.

§. XXXIII.

Vt aliquis principi *innotescat*, non vna ratione fieri potest. Interdum sola tantum hic militat fortuna. Genetis nobilitas plurimum quandoque huc confert. Vtatiores viae tamen duae sunt: si quis insigni quodam et memorabili facinore efficiat, vt prae ceteris principi *innotescat*: et si aliorum, gratia et auctoritate in aula florentium, commendatione adiutus, aditum sibi ad principem muniat.

§. XXXIV.

Sed non sufficit *innotuisse* principi. *Beneuolentia* etiam et *gratia* eius comparanda, et comparata conseruanda est. Modi vel *spurii* sunt et *illiciti*, minusque *tuti*, vel *genuini*, *liciti*, et *adeo tuti*. Ad *spurios* et *illicitos* refero, si quis affectibus principis, vitiisque quantumuis turpibus, obsequatur, illorumque amori venereo et libidinibus, conciliando illis feminas; auaritiae, nouos modos exactio-
num inueniendo, etc. inferuiat. Huc pertinent etiam seruiles et illiberales adulationes.

§. XXXV.

Modi *honesti* et *genuini* sunt: si quis in rebus honestis et licitis, quoad modum agendi inclinatio-

nationi et propensione principis se attemperet: si quis fidem et industriam suam ubique principi probet: si in consiliis principi dandis caute et prudenter se gerat, hoc est, si suadeat honesta, certo profutura, neutiquam autem quae ambigui et ancipitis sunt eventus, aut periculum magnum secum coniunctum habent. Si princeps in praecipitia feratur, verbis modestis, et summam venerationem spirantibus, ostendatur periculum. Nimirum cum hic officii ratio et prudentia iubeat, affectui principis reluctari, id vero sine periculo amittendae gratiae nunquam fiat, ab ipso modo consilium proponendi, et duriora emolliendi, medela petenda est. Denique et domestici et familiares principum, aulaeque proceres, officiis, et si fieri potest, beneficiis nobis obstringendi sunt, cum illorum fauor multum prosit, odium ita oblit, ut plerosque praecipites dederit. Iuuabit quoque, quod ad benevolentiam conseruandam pertinet, causam, propter quam princeps nobis fauet, accurate explorare. Hac enim cognita, eo facilius quae hunc amorem imminuere possunt, euitantur.

§. XXXVI.

Sed ad *proceres aulicos* quod attinet, magna rursus in illorum amicitia ambienda, opus est cautione. Nimirum non inepte nonnulli procerum aulicorum *quatuor* constituunt genera:

Q 9 2

alii

alii natalium splendore fulgent, gratia principis intimiore destituti: alii gratiosissimi apud principem, nullis tamen honoribus funguntur: alii honoribus quam gratia validiores, alii denique et gratia florent, et negotiis admoventur.

§. XXXVII.

Primi ordinis proceres, non tam prodesse, quam aliquando nocere possunt. Colendi itaque sunt, saltem eousque ne noceant. Sed secundi ordinis procerum gratia omni modo captanda est, cum multiplici ratione, merita nostra apud principem commemorando, errata nostra excusando, aduersus aliorum iniurias protegendo, nobis prodesse possint. Tertium procerum genus apud eos maxime reperitur principes, qui voluptatibus dediti, et publicarum rerum incuriosi, praecipuo ex ministris summam fere rerum concedere solent. Et horum gratiam studiosius, quam ipse dominantis, quaerere solent. Quod si principes ipsi negotia publica curent, magna opus cautione, ne ministrum colendo principem offendas, aut ministrum negligendo cum contra te irrites. Tandem qui et gratia principis valent, et rerum administrationi praesunt, pari fere cum principe honore colendi sunt, cum hisce inuitis, nemo feliciter ad ciuilium reum tractationem eunti possit.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Tandem et quae ratio sit *inimicorum tela* in aula vitaeque civili declinandi, paucis addendum est. Nimirum illorum inimicitia, a quibus tua vnice fere fortuna pendet, vt et omnium aulae procerum, cum difficultates quae superari nequeant, tibi obicere possint, summo studio evitanda, cum summa stultitia esset, hisce inuitis aut renitentibus, fauentem sibi aulae fortunam polliceri. Quin inter prudentiae aulicae regulas haud postrema est, neminem temere esse offendendum, cum nemo facile adeo omnium virium expertus sit, vt nocere nequeat. Interim cum saltem illorum, qui infra proceres positi sunt, inimicitias evitare difficile sit, a prudentia aulica rursus remedia petenda sunt.

§. XXXIX.

Nimirum odii, quo nos alii prosequuntur, causa aut in nobis, aut in iis, quorum partes sequimur, posita est. Si posterius est, odium non adeo erit vehemens, interim prudentiae erit, vnam partem ita sequi, ne alteram nimis offendamus, aut iniuriis nec necessariis, nec profuturis, irriteamus. Iuuabit enim clanculum, aut sine prodicionis aut perfidiae crimine, quosdam, qui alteram partem sequuntur, nobis conciliare. Si odii causa in nobis posita sit, quatuor eius fontes esse possunt: aut enim

ipsi alios laesimus, aut alii nos laeserunt, aut invidia alios vrit, aut denique aemulatio vexat.

§. XL.

Quod ad *primum fontem* attinet, omnino tutius et sapientius est neminem, praesertim si potentior sit, laedere. Si autem *laesimus*, nihil nobis intermittendum est, quo iterum placetur, nec vllum satisfactionis genus temere detrectandum. Poenitentiae significatio, submissio, et quae ceteroquin a laedentibus exigi solent, ad animum laesi placandum, magnam vtique vim habent. At si *laesi* fuerimus, maiori fore artificio opus est. Namque illi, qui nos laeserunt, semper deinde sibi timent, sibi que a nobis cauent, nunquam fidunt. Ita enim est plerorumque indoles: quos laeserunt, oderunt. Ergo prudentiae erit, iniurias, quantum fieri potest, dissimulare, ad reconciliationem se promptum praebere, et nihil non agere, vt vindictae metum illis adimamus. Nihil vero impudentius, quam minas spargere, aut in vltionem et implacabile odium exardescere, cum ita et aliorum odia ac inimicitias augeri necesse sit.

§. XLI.

Vt *inuidiam* euitemus, proderit invidentibus ostendere bonum, quod ipsi expetunt, si in nostra potestate sit, ad ipsorum quoque decus ac commodum facturum, amicitiam illorum quouis modo ambire, fastum, splendorem nimium,

mium, iactantiam, et quicquid inuidiam aliorum excitare et augere potest, summo euitare studio. Tandem *aemulatio* ita declinari aut emolliri poterit, si ea, quae potentior, aut potentioris patrocinio fultus, expetit, non desideremus, si consilia nostra tegamus, si eos quos aemulatio afflauit, ueneratione deliniamus, eorum spem ad altiora erigamus, id contra deprimamus, quod nos expetimus etc.

§. XLII.

Sed cum primis iuuat *artes aulicorum*, quibus ad alios opprimendos uti solent, bene cognitae exploratasque habere, cum eo melius eiusmodi tela declinari, aut in ipsos auctores retorqueri queant. Praecipuae autem sequentes sunt: ut vel sub honoris specie, vel alia ratione ab aula amoueat, si facilius sit absentem quam praesentem opprimere; eadem arte si qui in prouinciis magna auctoritate pollent, in aulam renocari solent, ut eo tutius in eos grassari liceat; item ut principi inuisi suspectique reddantur, idque vel calumniis, vel fictis laudibus.

§. XLIII.

Et ad calumnias quidem quod attinet, iam fere in disciplinam calumniandi ars abiit, adeo frequens est. Nimirum ut calumniis a principe credatur, literas fictas, et alia calumniarum firmamenta adhibere valde solenne est. Inter ipsos vero calumniandi modos is maxi-

me eminet, quo aliquem de dicto accusant, quod in se verum, adeoque principem eo magis irritare aptum est, licet accusato nunquam tale quid in mentem venerit. Laudes vero hunc in finem usurpantur, ut aut princeps, aut proceres ad inuidiam, aemulationem, odiumque adeo concitentur: et ita innocenti paretur perniciēs. Vltimus denique modus alium opprimendi, vis est, quem eo rarius vsurpant, quo manifestior est iniuria, et quod hanc sequitur, periculum.

§. XLIV.

Hiscē artibus vt rite obuiam eatur, sequentia sunt obseruanda: defectus, qui nobis obiiciuntur, si iisdem laboremus, tollendi, emendandi, aliisque virtutibus pensandi sunt: non temere ab aula aut a latere principis discedendum, ne obtrectatores absentia nostra abutantur: amicī quidam sinceri comparandi, qui nos absentes defendant, et calumnias nobis detegant: si detectae fuerint, nihil intermittendum, quo innocentia nostra omnibus manifesta reddatur. Interim magna sapientiae pars est, tepescentem principis affectum statim odorari, vt causa eius explorata, statim malo imminenti obuiam iri possit.

§. XLV.

Vt autem multi aliorum obtrectationibus praecipites dantur, ita nonnulli suis vitis principum odium sibi attrahunt, *iaetantia* scilicet,
nimia


inimiam libertate et familiaritate, superbia, vanitate, avaritia, perfidia, conspiratione, discordiarum excitatione, secretorum proditione, ambiguum et periculorum consiliorum suppeditatione, gratiae principalis ostentatione, &c.

§. XLVI.

Quod si princeps *mutetur*, difficile est aulico in magna dignitate constituto, locum suum tueri! interim si ad prudentiae regulas mores suos componat, et hic fructum eius vberimum percipiet. Si vero fortunae inconstantiam aliquis experiri cogatur, quod plerisque contingit, prudentiae erit, se ipsum imminenti periculo subducere, deponere personam, et ad privatam vivendi conditionem redire: quam quidem homo sapiens et emendatae voluntatis lubentissime amplectetur, et non minori constantia iratam fortunam feret, quam *faventem ridentemque tulit.*

S. D. G.





SERIES PARTIVM ET CAPITVM.

I.

Philosophiae practicae

pars prima

de ratione perueniendi ad summam felicitatem.

Cap. I. de natura et indole tum philosophiae practicae, tum maxime Ethicae.

Cap. II. de natura hominis.

SECT. I. de prima et praecipua hominis parte quam mentem vocant, eiusque facultatibus.

SECT. II. de media hominis parte, seu mente vna cum corpore agente, et facultatibus hinc resultantibus.

SECT. III. de corpore eiusque partibus, vt et rebus extra hominem positis, quae ad mores aliquid conferunt.

Cap. III. de morbis mentis humanae, cum primis voluntatis.

Cap. IV. de sanitate mentis humanae, cum primis voluntatis, siue de summa hominis felicitate.

Cap. V. de signis, ex quibus latentes hominum mores et propensiones cognosci possunt.

Cap. VI.

Cap. VI. de remediis morborum, quibus mens, cum primis voluntas laborat, siue de mediis summam felicitatem consequendi,

II.

**Philosophiae practicae
pars secunda**

de officiis hominum, gentiumque integrarum, ad legem naturae componendis.

Cap. I. de natura et indole iurisprudentiae naturalis et gentium.

Cap. II. de actionibus hominum prout directionis cuiusdam sunt capaces.

Cap. III. de actionum humanarum imperfectione, indeque orta directionis necessitate.

Cap. IV. de perfectione actionum humanarum, seu conuenientia cum legibus naturae.

SECT. I. de lege naturali generatim, vt et primo iuris naturalis principio.

SECT. II. de officiis hominis erga Deum.

SECT. III. de officiis hominis erga se ipsum.

SECT. IV. de officiis hominis erga alios et quidem absolutis, quae obligationem perfectam habent.

SECT. V. de officiis gentium erga gentes absolutis, quae obligationem perfectam habent.

SECT. VI. de officiis erga alios hypotheticis.

SECT. VII. de officiis gentium erga gentes hypotheticis,

SECT.

SECT. VIII. de officiis hominis erga alios, quae obligationem imperfectam habent.

SECT. IX. de officiis gentis erga gentem, quae obligationem imperfectam habent.

SECT. X. de officiis coniugum.

SECT. XI. de officiis parentum et liberorum.

SECT. XII. de officiis dominorum et seruatorum, & aliis societatibus minoribus.

SECT. XIII. de officiis summorum imperantium et ciuium.

Cap. V. de mediis, quibus ad obseruandas leges homines inducuntur.

SECT. I. de poena tum diuina tum humana.

SECT. II. de bello in genere, speciatim de causis belli.

SECT. III. de variis belli speciebus, cum primis de repressaliis.

SECT. IV. de iis quae bellum antecedunt.

SECT. V. de iis quae bellum comitantur.

SECT. VI. de iis quae bellum consequuntur, siue de effectibus bellicis, itemque de iis qui in bello medii sunt.

SECT. VII. de pactis bellicis, vt et de pace.

III.

Philosophiae practicae
pars tertia.

de actionibus hominum singulorum, et integrorum societatum, ad prudentiae leges dirigendis.

Cap. I. de natura et indole prudentiae ciuilis.

Cap. II. de variis hominum statibus.

Cap. III.

Cap. III. de incommodis, quae homines in omnibus statibus premunt.

Cap. IV. de vera cuiuslibet status felicitate.

Cap. V. de mediis statum conseruandi.

SECT. I. de mediis cuiuscunque statum conseruandi seu prudentia status regulis generatim.

SECT. II. de prudentia status Oeconomici.

SECT. III. de prudentia statum reipublicae conseruandi in genere.

SECT. IV. de prudentia status circa leges et iudicia.

SECT. V. de prudentia status circa poenas et praemia.

SECT. VI. de prudentia status circa ministros et magistratus inferiores.

SECT. VII. de prudentia status circa aerarium, tributa, et vectigalia.

SECT. VIII. de prudentia status circa commercia et rem monetariam.

SECT. IX. de prudentia status circa religionem.

SECT. X. de prudentia status circa federa et legatos.


SECT. XI. de prudentia status circa bellum et pacem.

SECT. XII. de prudentia statum ciuitatis monarchicae, et in ea statum imperantium conseruandi.

SECT. XIII. de prudentia statum ciuitatis aristocraticae, et democraticae, et in iis statum imperantium conseruandi.

SECT. XIV. de prudentia aulica.

INDEX



INDEX RERVM ET VERBORVM.

A bstinentiam milites sunt edocendi.	356
de accessione.	311
Acquiescentia in diuina voluntate quid.	257
Acquisitio rerum ab ipsis hostibus bello acqui- sitarum.	404
Acquisitio rerum cui fiat.	405
Acquisitionis rerum fundamentum et modi.	405
Cur actio alicui imputari queat.	217
Actio inuita per violentiam.	216
iusta quo modo differat a bona	222
mixta quid?	216
necessaria quid et quotuplex?	221
Actiones hominum duplici ratione considerari possunt.	435
omnia ad legem naturae dirigi possunt.	210
plene et minus plene licitae.	221
quaenam imputari queant.	217
Actionum humanarum obiecta.	249
Actio vt bona sit, omnes circumstantiae conueni- re debent.	221
Additio in diem.	306
Admiratio quid?	90
an cadat in brutam?	91
certo modo utilis est et salutaris.	92
cur affectibus annumerari non debeat.	47
cur philosophiae mater dicatur.	92
	est

INDEX RERUM.

est morbus intellectus.	92
hominis quomodo se habeat.	91
cur pars felicitatis censeatur, nil admirari, itemque finis philosophiae	93
Admirationis obiectum est res insolita.	91
Adolescentia quid?	20
Adoptio.	337
Adulationis aulicae nomine quid veniat.	306
Adulatio quid?	55
quo pacto declinanda aut emollienda.	615
Aequalitas in contractibus servanda.	302
etiam imperantium.	313
naturalis non obstat statui herili.	340
Aequalitatem etiam princeps servare debet in administratione reipublicae.	581
Aequitas quid.	278
naturalis quid?	212
denegationibus quid censendum.	243
Aerario quinam praeficiendi.	506
Aerarium quomodo constituendum.	512
vnde constituatur.	511
quo pacto augeatur.	513
augendi modi extraordinarii.	514
quo pacto rite conservandum.	515
Aetates certis annis definiri non possunt.	70.71
quomodo mores mutant.	16
Aeternitas Dei.	255
in affectibus considerandum terminus a quo et ad quem.	
de affectibus hominum virtuti appetantium quid censendum.	123
	Affe-

INDEX RERUM.

Affectus aliorum quo pacto excitandi.	198
an imputationem impediunt.	215
an pro morbis voluntatis habendi.	121
cum prudentia aulica e diametro pugnant.	399
deriuatiui.	52
alios iterum gignunt affectus.	56
mentales.	28
non sunt confundendi cum inclinationibus	104
nonnulli inter se sunt coniuncti.	58
principes quot.	51
quidam ratione essentiae sunt indifferentes.	122
quidam per se sunt prauis.	122
quomodo ex propensionibus oriuntur.	121
quo pacto per virtutem emendantur.	154
ratione existentiae in homine non emendato	
omnes prauis sunt.	123
semper in bonum aut malum aliquod futurum	
feruntur.	44
sensuales.	28. 38. seqq.
sunt commotiones voluntatis et actiuas	
et passiuas.	42
quomodo differant a mentalibus.	39
quo pacto differant ab affectibus bruto-	
rum.	40
Affectuum causae vel proximae sunt vel remo-	
tae.	66
causa remota.	66
	diui-

dunſio.	51
effectus varii	47
generatio.	42. 43
gradus.	43
incommoda.	51
moderamen voluntate emendata ſponte ſequitur,	189
propria ſedes.	40
non in intellectu eſt conſtituenda.	41
ſenſualium duae claſſes.	39
uſus.	50
Agnatio quid.	343
Amare proprium eſt voluntatis.	100
Ambitio an noceat aulico.	598
variat pro ſtatuum diuerſitate.	116
Ambitioni deditus quo pacto ſe gerat erga Deum.	III. ſeq.
erga ſe ipſum et alios.	112. ſeq.
in ſtatibus.	113
ratione decori.	113
Ambitionis incommoda ſedulo expendenda,	183
indoles.	110
Amicitia ambitioſi et auari qualis?	115. 116
bonorum cum bonis, ſummæ felicitatis fructus eſt.	156
cum exteris per ſedera firmare, ad commerciorum amplitudinem facit.	423. ſeq.
voluptuoſi qualis?	109
Amneſtia ad pacem pertinet.	425
R r	Amor

INDEX RERVM

Amor quid ?	52
amicitiae	141
complacentiae	144
concupiscentiae	140
Dei quid sit ?	144
Dei pro diuersa obiectorum conditione diuer-	
sa sortitur nomina.	145
quomodo excitari queat.	256
Amoris diuersi gradus	155
diuini effectus.	145
tres species in respectu ad Deum inter se de-	
bent esse coniunctae.	
Amor laudis.	56
obedientiae quid ?	142
sui abstracte spectatus nullum vitium inuol-	
uit.	98
concrete spectatus semper est prauus.	100
etiam ad corpus se extendit.	98
vitiosus est odium sui.	99
vnde prauus fiat ?	99
Amor variat ob accedens iudicium.	52.
et secundum boni differentiam,	33
Αγγινοια quid ?	19
Androgyni veri sunt homines.	69
Anticipatio Epicuri.	253
Antipathia perperam pro affectu habetur.	45
Apparatus bellicus.	550
Appetitus naturales.	23
sensitiui nomine quid veniat ?	36

sen-

sensitivus non differt a voluntate.	37
habet suos motus,	38
Arbitri officium.	393
Arcana dominationis non nisi a principe eman-	
dato recte adhibentur.	576
dominationis quid?	570
quaenam?	572
aristocraticae,	590
regiae.	575
quocuplicia.	579
domus quid?	570
quaenam?	585
Arcana imperii quid:	570
quaenam?	571
imperii aristocratici aduersus plebem,	589
aduersus principatum.	588
imperii democratici.	591. 592
imperii monarchici quaenam?	577
Arcanorum nomine quid veniat,	571
Aristocratia quid?	363
Armamentarium quomodo constituendum?	551
Arma quando capere liceat.	392
Artefacta, commercia ampla reddunt.	524
Artis nomine quid veniat.	22
Astrorum influxus hominem non priuat liberta-	
te.	26
Assecuratio quid?	306
Asyli ius an competat legatis.	289
Athei in republica non sunt tolerandi,	334. 354
Atheismus est vitium voluntatis.	227. seq.

INDEX RERVM

Attentio, prudentiae pars, in quo consistat.	153
etiam aulico est necessaria,	601
Attributa Dei operatiua.	255
Deo cum omnibus creaturis communia.	254
Deo cum spiritibus communia,	255
Auaritia in varias species abit,	57
Auaritiae incommoda sedulo sunt meditanda.	183
indoles.	114
ob auaritiam hominum. introducenda fuere do-	
minia rerum.	284
Auarus quo pacto se gerat erga Deum.	114
erga seipsum et alios.	115
in statibus et ratione decori,	115. 116
Auctio	306
Audacia	55
Aulicae vitae scopus et finis,	596
quis ad eum obtinendum sit idoneus.	592
Aulici munera fortunae.	599
virtutes voluntatis.	601. seqq.
Aulicorum prudentia,	595. 600. seqq.
quatuor genera.	611
Aulicus affectibus imperare debet.	599
artes aulicorum probe cognitae habeat.	615
decori obseruantissimus esse debet.	605
quibus dotibus corporis ornatus esse debeat.	599
quo pacto principi innotescere possit.	610
quo pacto se gerere debeat erga principem	
cholericum temper. gaudentem,	607. seqq.
erga	

ET VERBORVM.

erga melancholico temperam. praeditum.	610
erga sanguineum.	609
si laeserit alios, aut ipse laesus fuerit, quid agere debeat.	614
quid si princeps mutetur;	617
<i>Auloxyeigias</i> crimine quinam sint absoluedi.	260
Axiomata generalia de bono.	130

B.

B ella ciuilia quo pacto praecaueri possint.	567
quo pacto componenda.	568
quaratione reipublicae profint, eandemque destruant,	488
repraesentatitia quid?	393
Belli defensiui milites et conditio.	380. seq.
effectus vnde rite diiudicari queant.	403
Belligerantium officia erga medios.	422
Belli iusti et iniusti diuersitas quoad imperium in captiuos.	409 seq.
occafio non negligenda.	560. 562
offensiui limites et conditio.	381
de bellis inferiorum erga superiores quid censendum	382
in bello quid agendum.	ibid.
Bellorum causae dubiae.	384
causae iustificae et suasoriae.	381
causae iustificae iniustae.	383
causae speciales, variae.	380
ciuilium causae.	366. seq.

R r 3

neces-

INDEX RERVM

necessitas.	371
varietas.	386
Bellum quid et unde.	328
an gerere liceat.	328
an statim post indictionem inchoandum.	396
an vtrunque iustum esse possit.	384
cui indicatur.	396
iustum quodnam dici queat.	382
non temere suscipiendum.	560
perfectum et imperfectum quid?	387
publicum et priuatum.	356
punitiuum non datur.	329
quando licite geratur.	329
y quando sit eligendum.	560
ante bellum quid agendum.	550
post bellum quid faciendum.	564
Bellum quo pacto finiatur.	427
quo pacto iuste geri queat.	398
quoque licite suscipitur pro aliis.	384
quotuplici ratione iniustum esse queat.	382
rite quoque indicendum est.	394
Benedictio sacerdotalis quousque necessaria sit	
ad coniugium.	331
Beneficentia quid?	318
Beneficium quid?	317
Beneuolentia quid?	53
principis qua ratione comparanda.	610
in Bonis quo pacto quis laedatur.	268
Bonitas actionum consistit in puncto.	148

Bono-

ET VERRORVM.

Bonorum certi dantur gradus.	130
ecclesiasticorum administratio ad principem pertinet.	356
Bonum absolute tale.	128
-actiuum	129
apparens multiplex.	130
ommunionis	129
et malum in affectibus ad nos referri debet.	47
indiuidualē.	128
passiuum.	129
relatiuum.	128
verum vnum est	130
Bruta ab homine destrui possunt.	295
per se peculiare officiorum humanorum obie- ctum non constituunt.	351

C.

C alamitates externae vnde oriantur et auge- antur.	124
Calliditas, vitium intellectus,	94
Calumniandi modi.	65
Capti bello an in seruitutem redigi queant? qui in seruitutem consensere, an effugere pos- sint?	408 410
Captiuī an interfici queant? an vendi possint? redimi et permutari possunt.	399 411
de Captiuorum promissis.	432

R r 4

iura

INDEX - RERUM

iura incorporalia an cum imperio acquirantur.	409
redemptio legibus ciuil. minus recte prohibetur.	410
de captura ferarum et piscium quid sentiendum.	298. seq.
Castitas quid?	267
matrimonialis.	332
Causa moralis quotuplici ratione quis esse possit.	216
Cerebri constitutio multum confert ad memoriam.	60
Ceremonias praescribere summi Imperantis est.	355
Charitas distinguitur a iustitia.	318
Charitatis officia.	318
Cholerici temperamenti mores.	67
Cholericum temper. vnde oriatur.	66
Cibus an inter bona referendus.	132
Circulatio sanguinis.	65
in quo consistat.	153
Circumspectio aulico necessaria.	601
Civilis societatis incommoda.	456
Civis quis et quotuplex.	367
quo pacto quis esse desinat.	367
Civitas quid?	345
Civitas finem suum obtinere cupiens naturam suam et vires exploratas habere debet.	488
quomodo ciuibus et hospitibus compleri queat.	525
in ciuitate qualibet duo considerari possunt:	570
Civi-	

Ciuitatis finis quotuplex.	345
forma et materia.	347
ratio status.	420
structura.	346
Clarigatio quid?	395
Coercitio militum necessaria.	556
Cogitationum nomine quid veniat,	34
vanitas et prauitas vnde?	120
Cognatio quid?	343
Colloquia cur inter gentes instituantur.	392
Color faciei quale documentum morum prae-	
beat.	164
Commeatus ius quousque se extendat,	430
quem in finem sit comparandus	551
Commercia vt feliciter procedant, quid facien-	
dum,	523
de commerciis maritimis quid speciatim obser-	
uandum.	526. seq.
Commerciorum directio cui competat.	352
Commiseratio	56
Commoda aliorum quotuplici ratione promo-	
neantur,	316
Commodatum	305
Communio quid? et quotuplex?	296
priuatiua an vnquam fuerit.	296
Compromissum.	393
Concilia conuocari a principe possunt.	355
Conductoris officium.	307
Concursus Numinis non tollit hominis liberta-	
tem.	26

INDEX RERVM

Congratulatio	56
Coniectura	18
Coniugalis societatis incommoda.	456
Coniugia ad morgenatfcam an vera sint coniugia?	331. seq.
Coniugum officia.	332
de confanguinitatibus quid censendum.	330
Conscientia quid et quotuplex.	19. 214
ambitiofi.	118
auari et voluptatibus dediti.	119
Conscientia cauterifata quid?	94
cetta,	20
cur libri, regulae, testis nomine veniat.	21
hominis virtuti dediti qualis?	152
dubia et erronea.	20
Conscientiae diuerfitas vnde?	19
erroneae quae fit obligatio.	215
morsus quid?	59
de conscientiae obligatione regulae.	214
quo fentu tribuatur vis obligandi.	20
Conscientiae vitia.	94
Consensus gentium non facit ius gent.	207
quotuplex.	271
quo pacto impediatur.	271
Conferuatio fui quo ordine inftituenda.	260
ad conferuationem fui homo obligatus est.	259. seq.
Confiliarii principi sunt neceffarii	575
quomodo audiendi.	575

Con.

ET VERBORVM.

Consiliariis facultas libere dicendi sententiam concedenda.	510
Consiliis quinam ministri adhibendi.	507. 575
Constantiae in suppressendis affectibus necessitas.	185. 188
Consternatio.	54
Consuetudo an imputationem impediatur.	216
inter causas morborum intellectus et voluntatis refertur.	95. 102
Consultatio quid?	21
Contemptus non est affectus.	57
Continentia militibus necessaria.	556
Contractus quid? et quotuplex?	305
civium dirigi ab imperante possunt.	362
onerosi.	305
qui aliquid aleae continent.	306
quos tutores imperantium ineunt.	313
summorum Imperantium.	312. seq.
Conuentio de redemptionis pretio an rescindi queat.	411
Conuersatio cum probis sectanda.	187
ex Corpore quatenus mentis imbecillitates oriuntur.	96
in corpore quomodo quis laedatur.	268
Corporis constitutio multum ad more hominum confert.	102
propensionibus praebet occasionem.	64
quoque in emendatione vitae habenda est ratio.	189
	ratio-

INDEX RERVM

ratione corporis quomodo officia humanitatis praestentur.	316
Corpus non pro animae ergastulo habendum.	64
Corruptio rerumpubl. quo pacto fiat.	368
Creatio mundi probatur.	256
Credulitas morbus intellectus.	95
Crimina imperantium virtutum nomine tegun- tur.	236
Culpa quid?	223
quotuplex?	219
Cultui diuino an certum tempus consecrandum sit,	258
Cultus Dei externus in quo consistat.	257
generatim in quo consistat.	256
Curiositas quid?	57
Custodia militaris principi necessaria.	387

D.

D amnum distinguendum a poena proprie sic dicta,	375
Damnum quid?	269
Decori necessitas in publicis negotiis.	426
obseruantissimus vir politicus esse debet.	605
obseruatio cur necessaria.	472
regulae.	473. seqq.
Decorum quid?	472
in quibus actibus maxime obseruandum?	473
quo pacto ad virtutem spectet.	150
variat ratione sexus, aetatis, et aliarum circum- stantiarum.	475
Decre-	

Decretum.	21
Dedignatio.	58
Defensio quid?	379
accusato concedenda.	358
alia est in statu naturali alia in ciuili.	380
quando inchoari, et quousque continuari possit.	381
violenta an sit licita.	263
quousque se extendat.	264
Deformitas in quo consistat.	26
Deformitatis vis quoad mores.	76
Dei erga homines quae sit operatio.	144
essentia quo pacto inuestiganda	254. seqq.
existentia probatur.	253
possessio ab omnibus obtineri potest.	138
Deismus	228
Delectatio cur omnibus affectibus insit.	50
Delicta an omnia puniri queant.	373
Delictis non hominibus irascendum.	500
in delictis totius multitudinis puniendis, quid fa- cere prudentia iubeat.	499
Delictorum grauitas vnde merienda.	374
venia an concedi quandoque queat.	374
ob delictum alterius an quis puniri queat.	375
Demeritum	219
Democratia quid?	363
cur Deo imperium in homines competat.	243. seqq.
de Deo varii errores	227
Depositum quid?	305
	Dere-

INDEX RERVM

Derelictionis signa,	302
Desiderium	59
Desperatio quid?	54
contra officium hominis est	263
Deum cole, principium iuris nat.	251
Deuotionis amor.	53
Deus an omnino amore concupiscentiae aman-	
dus sit.	143
diuersimode nobis exhibetur.	141
omnia requisita summi boni possidet.	136
perenne et aeternum bonum est.	138
per se expetendus est.	139
solus animam hominis tranquillam reddere	
potest.	137
solus summum bonum est.	133. 135
triplici amoris genere complectendus.	142
voluntatem sanitati restituit.	136
ius Dignitates conferendi soli principi competit.	361
ad dignitates homines idonei per gradus euehen-	
di.	508
Dignitatum varietas.	361
Diligentia aulico necessaria.	602
vera virtutis proprietas.	146. seq.
Diligentiae vsus in vita ciuili.	472
Directio aliorum dupliciter instituenda.	196
Disciplina militaris in quo consistat.	601
Discretio aulico necessaria,	601
in quo consistat.	153
Dispensatio quid.	212
	an ca-

ET VERBORVM.

an cadat in leges nat.	245
circa disputationes quale ius competat summo imperanti.	356
Diuinationis quid ?	19
Diuitiae an inter bona referendae.	132
hominum voluntates varie mouent.	82
pro summo bono haberi non possunt.	134
Diuitiarum quae in mores hominum vis sit.	82
Diutum mores.	83
Diuortium an iuri nat. repugnet.	329
Dolor perperam inter affectus refertur.	45.73
Dolor quid ?	59
Dolus an pactum irritum reddat.	272
circa Dominia rerum quae sint hominis officia.	302
Dominii origo.	296. seq.
requisita.	297
de dominio maris quid sentiendum.	297
Dominium quid ?	211
modi dominium acquirendi.	298
Dominium a quibus acquiri possit.	295
eminens quid ?	363
quomodo differat ab imperio ?	312
quo modo in alios transferatur.	300
rerum quid et quotuplex ?	296
Dominorum officia.	342
Dubitatio	90
cur laudari solet.	90
Duces bellici quotuplices.	556
militibus exemplum praecant.	563

de Du-

INDEX BIPUM

de Ducis bellici felicitate.	568
virtutes.	557
E.	
E Brietas an imputationem impediatur.	216
E Educatio causa morborum intellectus et voluntatis.	95. 102
E lectionis quae sit ratio.	367
E mbriones an sint pro hominibus reputandi.	69
E n emendi facultatem alteri genti concedere tenemur.	323
E mptio et venditio quid?	306
E mptio spei.	306
E ntia moralia	78
magna in mores et affectus hominum efficacia pollent.	78
E quitatus an sit praefereendus peditatui.	551
E rratum s. culpa	223
E rrori quo pacto obuiam eundum.	177
E rror, quid?	89
quando pactum irritum reddat.	372
E ruditio non constituit summum bonum.	135
E thica quid?	6
cum theologia morali amice conspirat.	7
cur dicatur pars philosophiae practicae.	7.8.
num recte pro scientia habeatur?	2
quo pacto differat a ceteris pract. philos. partibus.	8
E thices methodus.	13
vsus primarius.	191
	vsus

vsus secundarius in aliorum directione.	195
Eunuchi veri sunt homines.	69
de Execrationibus quid censendum.	294
Examen vitae quotidianum instituendam.	187
Exempla quid apud milites efficiant, virtuti deditorum imitanda.	556 187
Exhaereditatio quousque se extendat.	397
Existimatio an causam belli subministret.	380
intensiva a quo conferri possit.	361
non est affectus.	57
simplex quid? et qua ratione immittitur.	361
eam princeps conservare debet.	379
Existimationem intensivam quo pacto gentes acquirant.	281
simplicem quo pacto gentes amittant.	281
ratione existimationis quomodo officia huma- nitatis praestentur.	317
Experientia.	62
Exploratores alere an liceat.	490
Exteros sedibus pulsos recipere an gentes te- neantur.	312
F.	
F Acta quale documentum morum praebent, ant.	120 seq.
Facultas exigendi restitutionem et satisfactio- nem.	220
locomotiva externa.	73
Facultates mentis purae	17
S.	Facul.

INDEX RERUM.

Facultatum mixtarum numerus.	32
principium.	31
Famae ratio et in bello habenda.	562
Falsiloquium quid?	293
Famam antecessorum princeps conservare debet.	580
an Fama quo pacto quis laedatur.	269
Fames male inter affectus refertur.	45-73
Familiae vox quotupliciter sumatur.	343
Fastidium quid?	59
Fati nomine quid veniat.	84
Fatum homini libertatem non adimit.	26
Fatuus differt a stulto.	96
quis dicatur.	96
Favor quid?	56
regulae de Favorabilibus rejiciuntur.	277
Federa aequalia et inaequalia quae dicantur.	282
an inire liceat cum diversae religionis hominibus	282
an cum infidelibus contra fideles.	283
cum pluribus non facile sunt inunda.	539
nec cum longe distantibus nisi in certis casibus.	539 seq.
offensiva non temere percutienda sunt.	546
realia et personalia.	282
si percutiantur per legatos quid observandum?	543
In fo-	

in federibus ad tempus aliasque circumstan- tias est attendendum.	544
in federibus quoque ad formam ciuitatis, cum qua ea inimus est respiciendum.	545
de federibus cum atheis et impiis quid obser- uandum.	284. 542.
In federibus praecipue finis attendendus.	545.
de federibus quid ex prudentiae praescripto, obseruandum.	538
perpetuis quid censendum.	544.
Federis subscriptio vt recte se habeat, opera danda.	544.
Federum diuisio.	281 seq.
firmamenta non sunt negligenda.	544
materia qualis esse debeat.	284
varietas.	545
Fedus quid.	281
verbis claris concipiatur.	545
Felicitas, impiorum secururae vitae documen- tum est.	376
summa differt a summo bono.	128
quo pacto acquiratur.	176
vera, in quo consistat.	127
a paucissimis intelligitur.	461
Felicitas vera singulorum hominum absolute consideratorum.	462
in certo statu constitutorum	464
rationem ad felicitatem perueniendi reuelatio ostendit.	193
Felicitatis summae effectus	145. seq.
	sons

INDEX RERVM

fons in voluntate quaerendus.	127
Fictiones quousque sint licitae.	292
Fideiussio.	306
Fidelitas quid?	278
religiosa.	399
de fide minorum potestatum in bello.	430
Fidem in Christum philosophia nescit.	11
Fides etiam hosti seruanda.	423
de fide tacita.	432
Fides quid?	18
Fiducia quid	54
in Deum	257
Filius an vendi a patre possit.	336
Flagitia dominationis.	570. 593
aristocraticae.	591
democraticae.	593
regiae.	584
de iure fluminum quid censendum.	361
Fori ecclesiastici constitutio ad principem per-	
tinet	386
Forma reipublicae irregularis s. mixta quid.	364
Formae rerum public. accidentales	363
Formositas quid?	76
an inter bona referenda.	131
Formositatis vis quoad mores.	76
de Fortalitiis quid ex prudentiae praescripto	
obseruandum.	559
Fortitudinis vsus in vita ciuili.	472
Fortitudo quid?	262
	For-

Fortuna quid	84. 558
aduersa, virtuti deditum non reddit misera-	
rum.	154
Fortunae suae faber, quo sensu quilibet dica-	
tur,	84
Fortunati quinam dicantur.	85
Fortunatorum mores.	85
Fraudes integrarum gentium excusari solent	
	238
Frugalitas	267
Furor	97

G.

G Audium animi, summae felicitatis fructus.	
	156
Gloriae vanitas sedulo meditanda.	183
Gratiarum actio quid?	257
Gratitudo quid?	56

H.

circa Haeresin quale ius competat principi.	355
Herilis societatis fundamentum et limites.	340
Hilaritas.	59
Homini ipsi imputandum est, si miser maneat	
	191
Hominis dignitas vnde metienda,	64
in hunc mundum introitus.	85
partes essentialis.	15
Homo et ob vitia sua et ob externa, incommo-	
da miser est.	450
homini bonus, potius quam malus.	132

INDEX RERVM

in nonnullis est deterioris conditionis quam bruta.	230 seq.
sine lege vivere nequit.	210
Honores an inter bona referendi?	132
an pro honore liceat defensionem susci- pere?	245
Honores non possunt pro summo bono habe- ri.	134
Hospitalitas quid?	315
Hostem interficere an et quousque liceat?	399
an vbiq̄ue liceat?	400
Hostis an non tantum factis sed et verbis laedi queat.	398
ad humanitatis officia cui obligemur.	316
etiam gentes obligantur.	319
Humilitas quid?	278. 148
Humilitatis vsus in vita ciuili.	472
Hypotheca.	306
I.	
I dololatria quid?	228
Ignauia causa morborum intellectus.	95
Ignorantia quid?	89
quotuplex?	215
Ignorantiae qua ratione medela afferatur.	177
Imaginandi actus an cogitationes constitu- ant.	34
In imaginando mens concurrat et passiuē et a- ctiue	32. 33
Imaginatio quid?	32
aliorum quo pacto dirigenda.	197
	emen-

ET VERBORUM.

emendata etiam voluntatem emendat.	189
ad imaginationis emendationem quae perti- neant.	188
Imagines fictae interdum affectum excitare possunt.	46
Imitatio aliorum corruptionem voluntatis au- get.	102
Immensitas Dei.	255
Immortalitas animae totius philosophiae pra- cticae fundamentum praecipuum.	16
Imperandi ratio strictior et seuerior cur magis magisque inualuerit.	446
Imperans an ad salutem subditorum aeternam procurandam teneatur.	354
diuersimode considerari potest.	354
quousque mores subditorum emendare te- neatur.	467
Imperantes ipsi ad leges suas se componere debent	495
quoduplici ratione ciuitati incommodum affer- re possint	490
quousque obligentur in contractibus.	313
Imperantibus leges nat. maximopere sunt ne- cessariae.	238
Imperantium mores.	80
officia.	369
status incommoda.	454
ob Imperfectionem non cuncta sunt damnan- da.	467

INDEX RERUM

Imperii monarchici imperfectio et necessitas.	446
particularis acquisitio bellica quo fundamento nitatur.	407
paterni limites.	335
sedes nunquam remittenda.	579
vniuersalis acquisitio bellica quo fundamento nitatur.	412
quotuplici ratione fiat.	413
Imperium quid?	211
coniugale; an naturaliter sit penes matrem?	339
eminens quid?	363
paternum cur praecipue penes patrem sit?	335
quamdiu duret?	336
quis habeat.	210
quo modo desinat.	367
stricte sic dictum quousque se extendat.	359
vniuersale humanitate ac aequitate temperandum.	413
vniuersale raro iure belli acquiritur.	413
Imprudencia quid?	94
Imputatio actualis quotupliciter fiat.	218
ex arbitrio alterius.	218
ex gratia.	218
efficax et inefficax.	218
Imputationis ex lege et arbitrio alterius effectus.	220
Impu-	

Impuritates quaevis illicitae.	262
in incessu quoque decorum obseruandum.	474
Incessus quomodo mores hominis prodat.	165
Inclinationum nomine quid veniat.	27
Incommoda priuata augentur per incommoda status ciuilis,	456
quae homines in omnibus statibus pre- munt.	440 seqq.
Incommodorum horum causae ubi quaerendae.	457 seq.
Incredulitas quid?	94
Independentia Dei.	255
Indictio belli est duplex.	394
bellica in bello defensionuo superuacanea est.	395
unde sit accersenda.	395
Indictionis bellicae forma	397
Indifferentes actiones.	221
Indigenae ratione dignitatum praeferendi pere- grinis.	504
Indignatio quid?	55
Induciae quid? et quotuplices.	428
quo pacto finiantur.	42
Induciarum effectus.	428
terminus a quo et ad quem.	429
tempore quinam actus sint liciti aut illiciti.	429
	per
Ss f	

INDEX RERVM

per industriam ciuium commercia ampliora red- duntur.	524
Infantes an in bello interfici queant.	399
Inferiorum media rationem status conseruandi	485
Infinitas Dei.	255
Informatores quinam sint patri familias adsci- scendi.	485
Infortunati, quinam dicantur	85
Infortunatorum mores.	85
Infortunium quid?	223
Ingenii morbi quo pacto per virtutem curentur.	154
Ingeniorum diuersitas	35
hujus diuersitatis causae.	36. 78
Ingenium quo pacto per voluntatis morbos cor- rumpatur.	120
sumitur vel late vel stricte.	35
Ingrati animi fructus.	236
Ingratitudo an crimen?	318
ex inhumanitate quae vitia oriantur.	236
Inimicitia quo pacto aulico euitanda.	613
Iniuriae requisita	223
illatae reparatio	379
Iniuria imperantium, bellum iustum vocatur.	236. seq.
ob iniurias leuiores non statim arma corripienda sunt.	392
Iniustitiae species.	223
Innocentia quid?	278
Inno-	

Innoxiae vtilitatis officia.	317
Inquisitio quomodo instituenda.	358
Insania quid?	96
Inseruendi promptitudo aulico maximum orna- mentum	603
Intellectus aliorum quo pacto dirigendus.	197
determinatio affectum consequitur	48
imbecillitates	89. seqq.
morborum causæ	95
neutiquam est sedes affectuum	41
operationes	17
non sufficiunt ad summi boni possessionem	139
puri et imaginationis discrimen.	33
puri perceptiones nobis sunt obscuræ.	34
quaenam vis sit.	214
quomodo differat a voluntate.	23
quomodo sanitati restituendus sit.	177
quo pacto per virtutem emendetur.	151. sq.
Intellectus totus affectibus corrumpitur.	48
ad Intemperantiam homines propensi sunt.	229
Intemperantia in appetendis et recusandis hono- ribus.	231
in congerendis et dispensandis opibus.	230
in rebus secundis et aduersis ferendis.	231
de Internunciis conuentionum	273
Interpretatio quid et quotuplex?	274
legis quotuplex.	212
restrictiua adhibenda, quando duæ leges se- cum pugnare videntur.	277
Inter-	

INDEX RERVM

Interpretationis regulae.	276	seqq.
Interpretatio secundum aequitatem	277	
an cadat in legem nat.	245	
Inuasores an sint inuiolabiles.	349	
de Inuentione quid censendum.	311	
Inuidia quid	56	
affectus in se malus est.	122	
Inuidiam quomodo auiliens euitare queat.	614	
Ira quid?	55	
Irritio.	56	
Irritamenta prauarum cupiditatum vitanda.	186	
Iudicia a quibus iure exerceantur,	357	
quo pacto sint exercenda.	495	
Iudicii defectus	90	
Iudici inferiori non facile res magni momenti		
permittenda.	496	
Iudiciorum processus.	357	
Iudicium quid?	22	
practicum?	18	
Iura dominationis quaenam.	572.	582
de Iuribus dominationis monitum.	581.	seqq.
aristocraticae.	590	
democraticae.	593	
Iura maiestatica.	352	
aequiparantiae.	537	
quo pacto rite exerceantur.	492	
an iurare liceat?	398	
de Iure et fauore necessitatis.	265.	seqq.
In iureiurando Deus non vt testis sed vt iudex		
consideratur.	293	
de iu-		

de iureiurando per idola concepto quid censendum.	293
Iureiurandorum diuersitas.	295
In iuribus quomodo quis laedatur.	268
Iuris bellici limites ex fine belli metiendi.	398
Iuris gentium finis quis?	205
Iuris iurandi finis.	295
Iuris nat. quotuplici ratione aliquid esse dicatur.	246
Iurisprudentia naturalis quid?	202
an detur?	202
Ethicam semper supponit.	12
et gent. quomodo differat a ceteris philosoph. pract. partibus.	207
quæenam officia complectatur.	5
Iurisprudentiæ nat. finis duplex.	204
finis secundarius interdum sufficit.	204
in officiis integr. gent. tantum intenditur.	205
fundamentum.	5
nat. et gent. dignitas.	207
Ius emphyteuticum quid?	299
feciale quid?	394
gentium a iure nat. distinctum non datur.	205 seq.
Ius in res alterius quo pacto acquiratur.	299
Iusiurandum quid?	293
an nouam obligationem progignat.	294
an remitti possit a summo imperante.	295
quo pacto sermone det firmamentum.	293
	ad

INDEX RERUM

ad iusiurandum requiritur intentio.	294
Ius Naturae quid?	246
perfectum et imperfectum vnde dependeat.	221
Iustitia actionum in quo consistat.	222
Iustitia aulicorum maximum ornamentum est.	603
commutativa et distributiva.	300
correctrice cur opus sit.	147 seq.
expletiva quid?	222
vindictiva.	373
Iustitiae divisio.	222
expletivis divisio.	222 seq.
Iuvenes in contubernium magnorum virorum adsciscere laudabile est.	508
quibus officiis adhiberi debeant.	505
Iuventus quid?	70
Iuvenum mores.	71
L.	
neminem Laedendum esse	258
quotuplici ratione gens gentem laedere possit	268
ad laedendos alios, homines prae sunt	232
Laedentium et laesorum officia.	270
Laesio alterius quotuplici ratione fiat.	268
ad laesionem non requiritur ut aliquis eam sentiat.	325
Laetitia.	54
Latitudo moralis an detur?	224
Latronibus quousque sit servanda fides.	424
Lau-	

Laudis vis in mores hominum.	82
Legati an semper sint admittendi?	287
etiam eximuntur a repressaliis.	390
quinam sint inviolabiles	286
circa legatorum receptionem et admissionem	
quid obseruandum.	546. seq.
Legatorum virtutes, indoles, et conditio, quales	
esse debeant.	547. seq.
circa Legatos ad alios mittendos, quae leges sint	
obseruandae	547
Legatos violari Imperantes nolunt, sed eos vio-	
lare religioni sibi non ducunt.	237
Legatus admissus quousque sit inuiolabilis.	287
ad tertium missus, an in territorio hostis sit in-	
uiolabilis	288
an famulos suos delinquentes punire queat.	289
quotuplici ratione laedatur.	287
si deliquerit, an puniri possit.	288
sine lege homines viuere noti possunt.	226
Leges ciuiles ferre summi Imperantis est.	356
quo pacto subueniant naturalibus.	357
diuinae quousque cedant necessitati.	265
fundamentales quid?	350
naturales non dantur sine Deo.	244
cas Deus dare voluit.	244
gentibus integris maximopere sunt necessa-	
riae	238

INDEX RERUM

inuestigantur per certum cognoscendi principium.	246
non nunquam etiam ciuiles vocantur	357
quomodo differant a positiuis.	245
Leges non saepius mutandae.	494
diuinæ particul. quem vsum hodie habeant.	213
quo pacto ferendae.	492
tum, probis tum improbis prosunt.	
Legibus ciuilibus quousque sit obtemperandum	357
Legis causa impulsiva et promulgatio.	211. 212
ciuilis requisita.	357
nat. promulgatio.	244
nat. auctor Deus.	243
obiectum.)	245
Lex quid?	210
charitatis.	222
commissoriam.	306
naturalis quid?	243
nulla datur, quae non sit lata a superiore.	207
perfecta et imperfecta.	212
positiua vniuersalis et particularis.	213
Liberalitas quid?	318
Liberorum officia.	339
actus an omnes imperio paterno subsint.	336
Libertas quid?	211
hominis non tollitur per concursum Dei	25 seq.
quo sensu hominis voluntati tribui queat.	24
summae felicitatis fructus.	156
Liber-	

Libertate sublata et poenae et praemia locum habeant.	25
Lbidini hominum per matrimonium obuiam itum.	239
Liquorum varia genera in corpore humano.	65
Lites quo pacto inter gentes componendae sint.	393
Libri qui ad virtutem excitant legendi.	187
Locustiarum officia.	307
Locatio et conductio	306
Loci in bello diligenter ratio habenda.	363
Locorum quoad mores efficacia.	77
Lucta carnis et spiritus.	38
Loquela in quo consistat.	73
Lotaria.	306
Luxuriae rerum pretium et commercia origi- nem debent.	234
M.	
M Achiauellismus.	459
Macula.	219
Magia.	228
Magistratibus quanta sit concedenda auctori- tas, et quo pacto illis conseruanda.	509
Magistratus quid?	359
quinam sint eligendi.	502
quomodo eligendi.	508
quot eligendi.	507
Maiestas quid?	347
contra Mala inuicta sensim proceden- dum.	500
T t	Mali

INDEX RERVM

Mali originem philosophia ignorat.	191
Mandatum quid?	305. 431
siquis fuerit transgressus, quid iuris?	278
Mansuetudo.	278
falsa	233
Mares an gaudeant prerogatiua prae femi- nis.	69
Maritus quomodo felix dicendus	462
Materia substrata in interpretatione sedulo ob- seruanda.	277
Mater plus conseruat ad generationem quam pa- ter.	85
Matrimonii legibus cur opus fuerit.	239
necessitas.	329
Matrimoniorum libertas.	323
effectus civiles.	331
obligatio quando cesset.	328
ad Matrimonium inueadum obligamur.	318
absoluitur consensu.	319
secundum leges nat. quid?	328
quo pacto se habeat secundum leges po- sit. vniuers.	331 seq.
Media illicita plus nocent quam prosunt	481
rite adhibenda sunt prudentiae civilis stu- dio.	476
Medicina voluntatis an praemittenda medici- nae intellectus?	196
Mediorum officia erga belligerantes.	411
Melancholici temperamenti mores.	67
Melancholicum temp. vnde oriatur.	66
	pro

pro Membris an liceat defensionem suscipere.	264
Membrorum quorundam positus singularis affectum consequitur.	49
Memoriae sensualis natura.	59. 60
in memoria mens nostra se habet aut passiuè, aut actiue	60 61
Mendacium quid?	292
Mens corpore longe praestantior.	64
hominis immaterialis et immortalis	15 seq.
circa mentem officia hominis.	260
Mentis facultates	16 seq.
ratione mentis quomodo officia humanitatis praestentur.	316
Mercatoribus vt suppetat pecunia, quid faci- endum.	522
Mercatorum conueniens multitudo requiri- tur, vt commercia floreat.	520
quomodo acquiri possit.	521
Mercatura an deceat imperantes.	513
Merces quid?	519
Mercès duplici modo nobis subministrantur. pro re turpi data, an repeti queat.	523 273
Mercibus quae tantum ad luxuriam faciunt, gratibra vestigalia imponenda.	517
de mercium ad alias gentes exportatione quid obseruandum.	520
Mercium conueniens adfluxus ad commercio- rum amplitudinem requiritur.	522
	Ti 3. p16m

INDEX RERUM

prompta distractio quo pacto promouea- tur.	525
transitus quousque denegari queat	321
Meritum quid? eiusque requisita.	218
Methodus dirigendi intentionem.	222
Metus quid?	54
Metus iniustus ex potentia vicini bellum facit iniustum.	383
quo sensu pactum irritum reddat.	272
Milites an et quousque aliquid in bello acqui- rere possint.	405 seq.
quotuplices.	551
subsidiarii.	553
de Militia mercenaria.	552 seq.
Militis boni notae.	554
Militum delectus quo pacto instituendus	553 seqq.
Ministri an et quousque status sui rationem habere queant.	595
Ministris quanta sit concedenda auctoritas	509
quanta concedenda potestas	360
Ministri super quibus rebus pacisci queant.	431
Ministrorum electio sorte nonnunquam tem- peranda.	508
indolem et temperam. imperans probe perspectum habere debet.	505 seq.
Ministros ecclesiae idoneos constituere sum- mi imperantis est.	355
	Misc.

Miseriae humane causæ in ipso homine quaerenda.	88
Miseria ex vitiis resultans sedulo expendenda.	180
Miseria hominis per varios status haud raro augetur.	451
mentis non emendatae.	123
augetur per conscientiae terrores.	124
Modestia quid?	267
salutis necessaria.	602
Modestiae usus in vita civili.	472
a modestia alieni sunt homines.	234
Modi acquirendi Iuris Gentium quinam discernantur.	310
Monarchia quid?	363
ceteris formis accident. praeferenda.	363
de statu monarchico quid obseruandum.	573
Monarchicum imperium quo pacto acquiratur.	364
Monarchismus quid?	459
saepe sub religionis specie tegitur.	460
Monopolia an sint licita.	307
integrarum gent. quousque sint licita.	414
an sint concedenda.	262. 320
Montes pietatis aerarium augent.	513
Moralitas actionum vnde?	221
a Morbo certa pendet mentis dispositio.	75
Morborum mentis causam philosophis ignorat.	11
voluntatis causae.	102

INDEX RERVM

Morbus mentis quid?	89
corporis quid?	75
Mores quid?	27. 189
aliorum exploratos habere debet prudentiae civilis studiosus.	476
latitantes difficulter cognosci possunt.	159
cognoscuntur tamen ex signis.	160
quoad singula vitae genera variant.	87
sunt vel boni vel mali.	159
Mors an inter bona aut mala referenda,	131
Mortem non timet virtuti deditus.	155
Morum diuersitas ratione aetatis.	70
Motus certi in corpore, affectus praecedunt.	42
faciei quo modo mores hominum pro- dant.	164
praeui suppressendi sunt.	185
vitales.	69
voluntatis suos habent gradus.	43
Mutatio rerumpublicarum quo pacto fiat.	368
in Mutuo quaenam officia sint obseruanda.	307
Mutuuum quid?	306

N.

N aturae beneficia quandoque per artem corrigenda sunt	513
Necessitas moralis quid?	214
Neutralis quid et quotuplex?	420
ad Neutralitatem quis cogi possit?	422
Nobilium in magistratibus eligendis praecipue est habenda ratio.	502
Nobi-	

ET VERBORVM.

Nobilium mores.	79
Notitiam principis habere debet aulicus.	607
Notitia sui ipsius comendatur.	179
quo pacto rite instituenda.	179
sui ipsius et aulicorum aulico maximoperè necessaria.	606 seq.
Nummi inuentor.	304
ferrati quem in finem comparati.	529
valor rite definiendus.	528
circa rei nummariae conseruationem et emenda- tionem quid obseruandum.	530 seq.
Nummo cur signum et nomen imperantis, loci etc. imprimendum.	528. 529
Numus quomodo conficiendus.	529
quomodo comparatus esse debeat, vt inferuiat commerciis.	527.

O.

O bedientia, verae virtutis proprietas.	147
Obligatio quid?	219
imperfecta quandoque mutatur in per- fectam.	315
legis pro conscientiae diuersitate diuersi- mode se exerit.	214
Obligationem quis recipere possit.	211
Obligaciones contractuum quo pacto soluan- tur.	308
Oblivio quid?	60
non in nostra posita est potestate.	61
Obscuritas verborum quo pacto tollatur.	275

INDEX RERVM

Obsequiositas matrimonialis.	332
Obsequium liberorum unde fluat?	335
Obsidentium et obsessorum officium	564
Obsides ad firmamentum pacis pertinent.	417
quando liberentur.	418
Obstacula finis prudentiae studioso remouenda sunt.	476
quae ab aliis hominibus oriuntur quomodo remouenda.	477
quomodo ea quae proueniunt ab ipsius negotii natura.	478
Obstaculorum varietas	6. seq.
Occasioni inseruiendum	478
Occupatio quid et quotuplex.	298
quo sensu dicatur iuris gent.	310
Occupationis iuris gent. species.	311
Ochlocratia quid?	364
regulae de odiosis reijciuntur.	278
Odium.	12
multiplex.	53
Oeconomica prudentia.	6
quomodo differat, ab ethica.	9
Oeconomicae prudentiae finis.	480
quibus mediis obtineatur.	480
Oeconomici status obstacula quo pacto remouenda.	487. seqq.
Officia erga alios quotuplicia.	268
hominum in statu uiuentium ex fine metienda.	318
hypothetica.	291
	media-

media non sunt virtutes.	203
non tamen in iuris prud. nat. neglig.	204
perfecta & imperfecta.	203
publica vt sint perpetua, cum expediat.	510
vendere imprudentiae est.	509
ab officiis publicis nemo temere excludendus.	508
in officiis vel honestas spectatur vel utilitas.	5
Officium quid.	203
sumitur interdum pro actionibus, quae non fluunt ex virtute.	149
Oligarchia quid?	364
Olla fortunae.	308
de Operationibus Dei quid censendum.	255
Opinio quid?	18
Opinionis species	18
ratione Opum quomodo officia humanitatis praestentur.	316
Ordo a militibus obseruandus.	356
Organorum dilatio et contractio affectum consequuntur.	49
Opum vltimus affectuum gradus.	44
P.	
P Acem soli imperantes inire possunt.	423
Pacis condiciones et interpretatio, firmamenta.	426
Pacta adiecta.	306
cur habeant vim obligandi.	271
quando sine perfidia violare liceat.	425
Pacta seruanda esse.	270. seq.
ad pacta violanda homines procliuēs sunt.	232

INDEX RERVM

Pactorum conditiones quætriplices.	273
Interpretatio.	274
materia debet esse possibilis.	272
violatio in imperantibus prudentia dic-	
itur.	237
Pactum quid?	271
antichrifeos	306
Parentum consensus an sit necessarius ad libero-	
rum matrimonia.	318
felicitas in quo consistat.	462
officia.	338
Paupertas politica necessaria.	605
Partium confirmatio an mores arguat.	166
Pastu quomodo utendum.	161
Paterfamilias quinam felix dicendus.	462
si paterfamilias plures sustineat personas, quid	
obseruandum.	484
Patientia quid.	167
aulica necessaria.	607 seq.
Patientia vsus in vita ciuili.	472
Patriciis quomodo in statu monarchico obui-	
am sit eundum.	578
Patrisfamilias requisita et indoles.	481 seqq.
Pauperes non omnino ab officiis et dignitati-	
bus arcendi sunt.	503
Pauperum mores.	85
Pax quid?	421
quotuplici modo rumpatur.	416
Pecunis belli neruus.	551
Perceptionis imbecillitates.	89
Per-	

ET VERBORVM.

Percussores an mittere liceat in hostem.	400
Peregrinis non facile aditus ad honores concedendus.	504
Pertinacia a quibusdam pro vitio cardinali habetur.	104
Phantasia hominis virtuti dediti, qualis.	154
in affectibus corrumpitur.	48
Phantasiae corruptio in quo consistat.	119. 120
imbecillitates a morbis voluntatis augentur.	121
Philantiae rectae requisita.	97
Philantia prava praecipuus voluntatis moribus.	97. 100. 101
fons omnium vitiorum moralium.	101
hominem tranquillum esse non sinit.	101
homini non est naturalis.	101
Philosophia in multis imperfecta est.	191
hominis cum Deo coniunctionem non adsequitur.	192
ignorat modum placendi Deum iratum.	192
practica quid? et eius partes.	4. 5
non pugnat cum theologia morali.	9
quo pacto ab eadem differat?	16
Phlegmatici temperamenti mores.	68
Physiognomi quot modis mores hominum latententes colligant.	163
Pietas quid, et quotuplex?	258
autilico necessaria.	602
sine pietate nulla est prudentia.	602
	Pie-

INDEX RERUM

Pietatis proprietates.	258
Pignus quid.	396
an possit praescriptione acquiri.	418
Piratis etiam seruanda fides.	424
Piscationis ius cur competat summo imperanti.	360
Plebeiorum mores.	79
Plebi quomodo in statu aristocratico obuiam fit eundem.	589
quomodo fit adimenda voluntas et facultas sta- tum monarchicum mutandi.	577. seq
Poenae quid.	372
cur dicatur malum passionis.	372
an exigi possit ab uniuersitate.	375
capitalis si sine periculo exigi nequeat, quid factu opus.	497. seq.
iuris naturae quotuplex?	376
Poenae causa efficiens.	373
legibus sunt definiendae.	498
medicinam imitari debent.	500
necessario ab imperante infliguntur.	373
paulo grauiores indicandae.	499
Poenam mitigandi facultas magistratibus inferior. neutiquam concedenda.	499
Poenarum finis duplex.	373
necessitas.	371
in poenis magna adhibenda cautio.	497
in poenis ciuilibus ad utilitatem reipublicae est respicendum.	358
	non

ET VERBORVM.

non omnes actus pravi subditorum puniri possunt.	358
Poenitentia quid?	59
Politicae vox diuersimode accipitur.	437
architectonicae propria sedes.	438
Politica quomodo differat ab Ethica?	9
Ethicam semper supponit.	12
per politicam quid vulgo intelligatur.	436
Politices nomine quid nobis veniat.	438
obiectum et finis	439
Politicorum indoles naturalis, qualis esse debent.	591. seqq.
Polygamia an iuri nat. repugnet?	329
etiam legibus diuin. posit. vniu. repugnet.	331
Postliminium quid et quotuplex?	415
Postliminii omnes sunt capaces.	416
Postliminio quatenam non egeant.	419
qui reuertuntur quidnam recuperent.	415. seq.
Potentes quinam dicantur.	81
Potentium et minus potentium mores.	81
Potestas quid?	349
quotuplex?	211
Potus an inter bona referendus.	122
Praecedentia summorum imperantium.	281
de Praediorum publicorum venditione et elocatione quid censendum.	514
Praejudicia practica exuenda sunt.	128. seq.
quo pacto exui queant.	178
	Prae-

INDEX BREVI.

Praeindiciorum scaturigo.	94. 95
Praeinducium auctoritatis perniciosissimum.	103
Praemia quo pacto prudenter sint conferenda	500. seq.
Praemium quid? eiusque species.	219
Praescientia Numinis non infringit hominis libertatem.	26
Per praescriptionem an acquiratur imperium.	317
Praesumptio quid?	19
Precatio interna.	257
Precum conditiones.	257
Pretia rerum moribus hominum occasionem praebent.	82
Pretii eminentis materia qualis esse debeat.	304
vulgaris fundamentum.	303
Pretium affectionis.	304
a quibus definiatur.	304
commune et legitimum.	304
conuentum pro captiuis, et ante mortem eorum non solutum, an ab haerede debeat?	418
rerum in quo consistat,	303
cur sit introductum.	303
vulgare cur intendatur et remittatur.	303
Primogenitorum in successione vbique potior est conditio.	368
Princeps avarus quo pacto se gerat.	116
quibus virtutibus ornatus esse debeat.	577
Prima	

Principia actionum.	213
iuris nat. tria constituenda sunt.	249. seq.
Principii Iuris N. requisita.	248
Principis boni requisita.	273. seq.
monarchæ præsentia in bello an sit necessaria.	552
prima cura sit, vt emendet voluntatem.	576
Principium	
iuris nat. quomodo inuestigandum.	248. sq.
primum cognoscendi pro diuersitate disciplinarum variat.	247
de Priuatorum fide in bello publico.	432
Priuatorum imperantes et hostes.	420
Priuilegium quid?	212
non facile concedendum.	493
Procerum sulicorum amicitia quomodo am- bienda.	612
Procliuitas ad alios contemnendos.	233
perperam iudicandi affectum consequitur.	47
Promissio simplex et perfecta quomodo differant a pacto.	221
Promulgatio belli.	396
Propensio ad mala per actus contrarios imminui põtest.	185
eminens quo pacto explotari queat.	182
Propensiones malæ non in omnibus eodem mo- do se habent.	116
sunt in quibusdam magis se prodant, in aliis ma- gis lateant.	117
	22

INDEX RERUM

an menti soli insint,	106
) maxime nocent aulico.	598
Propensionum humanarum varietas vnde.	106
prauarum incommoda serio meditanda.	182
In proportione inter poenam et delictum quid ob-	
seruandum.	358
Proportionem hanc accurate obseruare prudentia	
iubet.	497
Propositum serium vitam emendandi necessari-	
um.	182
Proprietas quid.	296
de Propugnaculis quid obseruandum.	559. seq.
Prouidentia in quo consistat.	153
aulico necessaria.	601
Dei euincitur.	256
diuina etiam in bello se exserit.	558
Prouinciarum gubernatores qua indole esse de-	
beant.	507
Prouocatio ad alterum iudicem quousque sit licita.	
	357
circa prouocationes quid obseruandum.	496
Prudentia quid denotet.	153
quomodo acquiri possit.	178
bellica praecipua prudentiae civilis pars est.	
	550
Prudentiae partes.	153
praecepta generalia.	469. 470. 476
species.	6
Status nexus cum Ethica et Iurispr.	440
	obic-

ET VERBORVM.

obiectum et finis.	432
Prudentia status quid ?	436
in integris societatibus.	479
Pseudographema.	93
Pudor quid ?	57
Pueritia quando incipiat et desinat.	70
Puerorum mores.	79
Pugna non temere subeunda.	562
rationis et appetitus sensitui	37
sedulo distinguenda a lucta carnis et spiri-	
tus.	38
Puillanimitas.	55
Q.	
Q ualitates morales.	82
actiuæ et passiuæ.	211
Quantitates morales.	82
Quantitas actionum.	223. seq.
R.	
R apinae integrarum gentium excusari solent.	238
Ratiocinationis imbecillitates.	93
variae species.	18
vitia quomodo euitentur.	177 seq.
Ratio quo sensu recta dici queat.	10
principium cognoscendi est in philosophia.	10
de ratione legis quid obseruandum.	27
Ratio status quid ?	44
quo pacto negligatur.	451. seq
spuria in omnibus vitæ gener. se exerit.	458
Vv	
	Rea-

INDEX RERVM

Reatus quid.	219
culpae.	219
poenae.	220
Rebellio	387
pro Rebus an liceat defensionem violentam suscipere?	264
Rebus extra nos positis nemo nisi emendatae voluntatis rite vti nouit.	154
Receptio rerum quousque se extendat.	418
Recordatio quomodo fiat.	61
Reformatio ecclesiae an competat summo Imperanti.	355
Regalia aequiparantiae et disquiparantiae.	352
Regnum patrimoniale et legitimum.	365
Reipublicae finis verum bonum esse debet.	487
quotuplici ratione fiat bonum apparens.	487 seq.
quae sit vera felicitas.	466
Religio an vna tantum in ciuitate toleranda.	534
christiana per vim propagari nequit.	354
quoad externa opus habet quadam directione.	354
est firmissimum ciuitatis vinculum.	532 seq.
si statutū ciuitatis aduersetur, quid factū opus	535
vera ut dominans sit, opera danda	536
circa religionem falsam quo pacto Imperans se gerere debeat.	533
Religionis libertas allicit hospites.	525
diuersae homines non facile irritandi sunt.	536
Reli-	

ET VERBORVM.

Religionum diuersitas si permittenda; quid ex prudentiae praescripto faciendum.	534. seq.
Remedia quibus homines ad leges obseruandas compelluntur.	370 seq.
quae philosophia proponit, ad voluntatis emendationem non sufficiunt	189
ex remediis vitiorum nona orta sunt vitia.	234
Reparatio quo pacto fiat.	269
Repraesentatio obiecti in affectibus dupliciter fit.	46
Repressaliae quid?	38.
a quo exercere possint?	388
Repressaliarum effectus.	390
iustitia.	395
modus et limites.	389
obiectum.	389
requisita.	388.
Rerum publicarum finis specialis quotuplex esse possit.	487
irregularium regulae prudentiae.	593.
morbi.	304
Res sacras hostium an et quousque vastare liceat.	407
Rescripta moratoria caute sunt impertienda.	362
Res externae quale documentum morum subministrant.	162 seq.
exterorum an iure belli acquirantur.	404 seq.
extra hominem positae.	77

INDEX RERUM.

non nisi per accidens malae sunt.	132
hostium an vbique capere liceat.	407
Respublica quid?	345
Respublicae quomodo intereant.	368
Respublicae ideales.	466
Restitutionem gentes per vim exigere possunt.	280
Restitutionis conditio in statu naturali et civili.	381
Restrictiones mentales.	293
Reuelatio rite inuestiganda.	193
Reuelationis signa.	194
Ritus et caeremoniae in federibus non negligendae.	544
Robur an inter bona referendum.	131
S.	
de iure circa Sacra monita	353
iuris circa sacra fundamenta.	354
partes.	355
iuris circa sacra pertinet ad summum imperantem	356
Sacrificia non sunt iuris nat.	258
Sanctitas summorum imperantium quousque se extendat.	347. seqq.
Sanguineum temperamentum vnde oriatur.	66
Sanguinis motus extraordinarius affectum consequitur	49
natura.	65
Sanitas quid?	75
bonis annumeranda.	131
	cor-

ET VERRORVM.

corporis non constituit summum bonum.	135
a sanitate certa pendet mentis dispositio.	75
Satisfactio quid?	59
Scholarum erectio quid faciat ad aetarii augmentum.	514
Scientia an inter bona referenda. quid sit.	131
	18
Scortatio iuri nat. repugnat.	262
Scriptura S. sedulo scrutanda.	195
Scrupulosa conscientia.	21
Securitas quid?	54
vt acquiratur quid opus sit.	346
Senectutis gradus.	71
Senes quibus officiis adhiberi debeant.	505
Sensus externi quid? et quot?	73
interni.	72
officia circa regimen sensuum externorum.	262
Senum mores.	71
Sepulturae nomine quid veniat.	325
Sepultura nec iure belli denegari potest. pertinet ad officia humanitatis.	326
in sepultura signum honoris positum	325
Sermo quid?	291
officia circa sermonem ex fine cognoscuntur.	292
officia gentium circa sermonem.	310
Sermo firmissimum rationis argumentum.	24
in sermone quodnam decorum observandum.	473
	Ser-

INDEX RERVM

Sermonis finis,	291
obiectum quo pacto animum hominis detegat.	169
origo.	334-291
Serui quales sint adsciscendi.	482
de seruis bello captis.	341
Seruitus bellica quousque cadat in feminas, pueros etc.	407
non directe est effectus belli.	408
vnde oriatur.	407
perfecta et imperfecta.	342
poenalis.	341
Seruorum officia.	342
posterii an ad dominos pertineant.	409
Seruus natura quo sensu quis dicatur.	340
Sexus praerogatiua.	69
diuersitas.	69
Signa propensionum causalia.	166 seq.
moralia.	166
naturalia.	162
physiognomica.	163 seq.
Simulachra imperii.	571
democratici et monarchici.	593
quam prudentiam requirant.	572
Simulachra status aristocratici et democratici.	383
Simulatio et dissimulatio.	604
Sitis affectibus non est annumeranda.	45-73
Soboles quo pacto educanda.	485
Sobrietas.	267
Soci-	

Socialitas fons totius iurisprud. nat. esse non potest.	250
Socialiter esse viuendum.	268
viue: primum principium in officiis erga alios.	252
Societas dupliciter considerari potest.	479
in societatibus quo pacto se vitia hominum exerant.	236
Societatis contractus.	306. 308
Socii an ad prae dae partem sint admittendi.	406
Societatum integrarum incommoda.	456
vera felicitas.	464
Sociorum ratione potentiae quis instituendus electus.	540. seq.
Sodomia iuri nat. repugnat.	262
Somnia quid?	74
in somniis cur exhibeantur res praeteritae et futurae.	74
Somniorum diuersitas.	75
in morum doctrina habenda est ratio.	75
Somnus quid?	74
Sophismata tyrannica.	586. seq.
Sordities.	57
Sors diuisoria.	306
per sortem litibus gentium quandoque finis imponi potest.	393
Spes quid?	54
Spirituum animalium agitatio causa proxima affectuum.	46

INDEX RERVM

Sponsiones quid?	285
an in sponsionibus summus imperans obli- getur.	285
Sponsionis contractus.	306
Sponsores quousque obligentur.	285
Ius Stapulae	321
Statui civili quam necessariae sint leges nat.	240
Status nomine quid veniat.	79. 441
aduentitii.	327
civilis.	345
De statu conjugali, paterno et herili quid censen- dum.	445
Status externi ob imperfectionem abrogari non possunt.	444. 468
integrarum societatum varii.	444
quidam a societatibus introducti cum ve- ra hominis felicitate pugnant.	444
quo pacto rite conseruari possit.	469. seqq.
singulorum hominum	442. seqq.
sui finem quisque exploratum habere debet.	469. seqq.
varii haud raro in vno homine concurrunt.	347
Statuum per societates introductorum incommo- di.	455
Stratagemata an sint licita.	399
Stratagematibus vti prudentiae est.	564
Stultus quisnam dicatur.	96
Subditorum mores.	80
Suc-	

Successio. aliter se habet in regno patrimoniali,	
aliter in regno legitimo.	365
Francica et Castellana.	366
praeferenda electioni.	366
circa successionem imperiorum quae obser-	
uanda sint.	365
Successiones ab intestato.	300
Successor certus designandus principi in re-	
gno monarchico.	580
Summi boni characteres.	133
praestantia et necessitas saepius medi-	
tanda.	184
Summum bonum est ultimus hominis finis,	
non summa felicitas.	128
in quibus non consistat.	134
quo pacto possideatur.	139
Summi imperii auctor Deus est.	348
partes.	352
subiectum proprium variat.	363
Summum imperium quid ?	347
ad omnia se extendit.	349
an competat inaequaliter federatis.	351
interdum diuiditur in partes potentiales.	364
in bello vni tantum est committendum.	556
per leges fundamentales interdum cir-	
cumscribitur.	350
tantum penes imperantem est, non au-	
tem penes populum.	350

INDEX RERVM

Summus imperans quousque teneatur ex contra- ctu antecessoris.	314
Superstitio quid?	228
Supplices an interfici queant.	399
Suspicio.	94
Sympathia non est affectus.	45
Syncretismus voluptuosus tribuitur.	188
Συνείδησις et Συνηθησις quid?	19
Συνκατάθεσις secundus affectuum gradus.	43
T.	
T emperamentorum diuersitas vnde.	66
mixtio.	68
Temperamentum aliorum non semper accura- te explorari potest.	168
causa affectuum remota.	46
mores hominum quodammodo prodit.	161
per voluntatis emendationem non tolli- tur.	173
Temperanter viue: primum principium iuris nat. in offic. erga se ipsum.	251
Temperantia quid? et quotuplex	266
Temperantiae vsus in vita ciuili.	473
Temporis vis quoad mores hominum.	77
Terror quid?	54
cur ex affectuum numero eiiciatur.	45
Testamentum quid?	391
Cur in testamentis solennitates ciuiles sint necessa- riae.	301
Theologiae moralis subiectum.	11
	Theo-

Theologia moralis quomodo differat a philos. practica.	9. 15
Timor Dei quid.	257
Tituli spurii imperium aut dominium acquirendi	383
de Tortura quid censendum.	388
Tranquillitas animi summæ felicitatis effectus.	155
Transitus militaris quousque denegari queat.	310
Translatio iuris est effectus pactorum.	222
Trepidatio quid.	54
Tributa plurimum faciunt ad augendum aerari- um.	515
quomodo colligenda.	518
ad tributa soluenda quo pacto cives idonei red- dantur.	517
in tributis maxime obseruanda est æqualitas.	516
a tributis nemo temere eximendus.	516. seq.
in tributis occasione etiam inseruendum.	318
Tributorum onus vt ciues minus sentiant quid fa- ciendum.	517
Tristitia quid?	54
Triumphus ius.	414
Tyrannis quid?	364
Tyrannis etiam seruanda fides.	424
Tyrannorum mors.	89

INDEX RERUM

V.

V Adimonium.	306
Vasallis an competat summum imperium.	312
Vestigalia an sint iuris nat.	322
plurimum faciunt ad augendum aerarium,	515
in vestigalibus maxime obseruanda aequalitas.	516
circa Venationem quid iuris?	311
Venationis ius cur competat principi.	60
Vendendi facultatem an alteri genti concedere teneamur?	323
Venditio per euersionem.	306
Veneratio quid?	58
Dei quid?	257
Venerē quomodo vtendum.	261
Veniam delictorum quando imperans imperitare possit.	358
Veracitas quid?	308
iustitiana.	309
Verba quo pacto mores hominum indicent.	169
Verbum Dei praedicare non est summi imperantis.	354
Veritas ethica quid?	292
in vestitu quodnam decorum obseruandum.	474
Victi cur non gaudeant possessio.	416
Victi quo pacto se gerere debeant.	565
Victor.	

Victoria quo pacto vtendum.	564 seq.
Victoriae ius.	414
Victoris quae circa pacem debeat esse circum- spectio.	566
Vigilia quid.	74
Vires suas quilibet, rite aestimet.	470
naturae frustra a nonnullis extolluntur.	190
Virorum mores.	71
Virtus quid?	145
Virtus ipsum summum bonum.	135
pro temperamenti varietate diuersimode se exerit.	173
quomodo differat ab officiis.	149
recte habetur pro dono Dei.	290
saltem vnica est.	149
vera hominem aptum reddit ad statum suum conseruandum.	471
vnde diuersa sortiatur nomina.	150
Virtutes cardinales quot?	150
omnes externae etiam vitae felicitati in- seruiunt.	472
omnes inseparabiliter sunt connexae.	151
quo sensu vitiis deditis tribuantur.	109
verae quomodo discernendae a falsis vir- tutum imaginibus.	172
Virtuti dediti in dignitatibus praeferendi sunt ceteris.	506
Virtutis verae proprietates.	146 seq.
Virtutum homileticarum vsus in vita ciuili.	475
Vita	

INDEX RERUM

Vita corporis sensualis in quo consistat, it. vegetatina.	65
Vita hominis an inter bona referenda.	131
Vitia actionum humanarum ex voluntate oriuntur.	220
cardinalia.	103. seq.
oriuntur ex prava philautia.	105
tria esse probatur.	104. seq.
quae per naturam insunt non confundenda cum iis, quae insunt per consuetudinem	171
Vitiorum indoles.	170
Vituperii in mores hominum vis.	82
Voluntas quid?	23
aliorum quomodo dirigenda.	197
an ad legem flecti possit.	215
civitatis quomodo per imperantem declaretur.	351
quandoque praecedit, quandoque sequitur intellectum.	23
quomodo differat ab intellectu.	24
semper bonum appetit.	26
Voluntatis actus.	27
elicit et imperati.	28
emendatio vnica vis ad prudentiam.	601
temporis aliquod requirit interuallum.	186
Voluntatis morbi.	97. seq.
sanitas in quo consistat.	137. 145
	Volu-

ET VERBORVM.

Voluptas animi est consequens iunni boni.	134
perperam affectibus annumeratur.	45. 73
Voluptates corporis non sunt summum bonum.	134
Voluptatibus dediti quomodo se gerant erga Deum, seipsos et alios.	107. seq.
quo pacto se gerant in statibus et ratione decorari.	110
Voluptatis cupiditas in quo consistat.	107
incommoda sedulo meditanda.	182
Vsucapio quid?	301
an etiam rite a gentibus vsurpetur?	112
Vsucapionis fundamentum.	301
modus ab imperante determinari potest.	303
Vsurpatores an sint inuiolabiles?	349
Vxoris bonae indoles.	482

Z.

Zelotypia quid?	58
-----------------	----



